Iebusaei quales praedicatores

Praedicantes lignam crucē manū tenent. 266 [278]
Docent q rationi sunt conformia. 27. 290
Vide lectis ligna ipse 4. fol 58. 225
Abyssinus ... Jesuitarum praedicatorē instructum ... portant fol 64
... spectaculis exercitia docent 81. 226. p.
Miracula qbus suā praedicationē confirmant 82. 184
Sermones pro Sanctis Vendiduto, nunc idola; ... plantantes 90
Exercitia pietatis 180. 214. ... 240
Jebusaei ubi ... docent 202
Apparitione ... 253
Indis religionē verā invisam reddunt 266

... Abbas
...

EPISTOLÆ

IAPANICÆ, DE multorum in varijs Inſulis Gentilium ad Chriſti fidem conuerſione.

ILLVSTRISSIMO PRINcipi Domino D. Guiliel. Bauariæ Duci dicatæ.

Acceſſit demum rerum ac verborum Index locupletiſſimus.

Louanij,
Apud Rutgerum Velpium
Sub Caſtro Angelico.
Cum Priuilegio Regio.
1570.

EXCERPTA
QVÆDAM EX EPISTOLA
R. P. FRANCISCI XAVIER,
Præpositi Prouincialis Indiæ, ad Præpositum Generalem.

An 1549. Epta. 1

MI. Pater, in visceribus Christi vnicè dilecte, pauca hæc de rebus Indicis accipe. In omnibus Indiæ partibus, vbi Christiani sunt, aliqui ex nostra Societate morantur, in Molucco, Malacca, Caulano, Comorino promontorio, Basaino, Socotora. Quibus in locis parũ videor posse adiumenti afferre, tum quòd ibi Patres degant, tum quòd multum hebetes sint horum locorum Indi, & immanibus infecti sceleribus, quibus fit, vt graue sit de baptismate suscipiendo à nobis audire. Relatum mihi est à multis de Iapania Insula prope Sinas posita, quam ethnici tantummodo, nõ Mauri, nec Iudæi incolunt: eamq; habere viros bonis moribus præditos, ingeniosos, auidissimósq; rerũ nouarũ tam diuinarũ quàm naturaliũ. Decreui nõ absq; magna animi voluptate illã quoq; insulã inuisere: quòd existimẽ eo in loco fructũ ac fidei ædificiũ (fundamento semel iacto) in multas annorum myriadas duraturum.

Indorum hebetudo.

Horũ corruptela. Iapanenses ethnici.

Iapanes curiosi & ingeniosi.

Goæ in Collegio sanctæ fidei tres sunt adolescentes Iapanes, qui anno 1548. Malacca mecum venerunt: hi magna de Iapania promittunt: bene

morati sunt, præstant ingenio, præsertim Paulus, qui ad T. C. literas dat. Hic octo mensium spatio legere, scribere, Lusitanicè loqui didicit, nũc spiritualibus meditationibus multum profecit, res fidei, quàm optimè callet. Magna me spes tenet, plurimos in Iapania, Christianos futuros. Statui ante omnia illorum adire Regem, postea & Academiam, maximè confidens in Christo Iesu fore, vt ibi Dei legem promoueam. Affirmat Paulus Iapanenses originem trahere à regione Cegnico nuncupata, quæ vltra Sinam & Tarthaum sita est, itinereque trium annorum opus esse, vt quis ex Iapania in Cegnicum abeat, redeatque. Ex Iapania ad T. C. literas dabo, ac planè mores, & ritum gentis significabo. Præterea intelliges quæ præleguntur & docentur in magna Cegnicensi Academia, quãdoquidem vniuersa Sina & Tarthaum etiam doctrinam non habet aliam, quàm illius Academiæ, vt Paulus asseuerat. Libros eorum vt videro, & cum Academiæ Doctoribus egero, fusius singula scribam. Cosmã Torres fratrem nostrum vrbe Valentia oriundum, & tres illos Iapanenses adolescentes (Deo fauente) hoc mense Aprilis 1549. mecum deducam. Per Malaccam nobis transeundum est & Sinas. Iter verò ex Goa in Iapaniam miliaria habet 3090. Finem nunquam scribendi facerẽ, si literis persequi vellem, quanta animi perfundar lætitia ex hac nostra profectione, licet mortis & periculorũ plenissima, ob ventos & procellas, plurimosq; piratas, adeo vt tum optimè enauigatum putent, si è 4. nauibus duæ portum Iapanensem tenuerint. Verùm in Iapaniam proficisci nõ desistam, hac spe semel concepta in domino (quãuis certissimè sciã maiora quàm antehac vnquam subiturum

Iapanes. Cegnici situs.

Cosmas Torres.

iturum me vitæ discrimina) sanctam fidem nostram in hac insula mirũ in modum auctum iri. Videbis sanè ad Christi doctrinam dispositionẽ perquam optimam illarũ regionum, ex ea quam vnà cum his literis ad vos de hac insula mitto, narratione. Mitto & tabellam alphabeticam Iapanum more confectam, in qua contemplari licebit harum gentium miram scribendi rationẽ, & multum à nostro discrepãtem: à summo enim deorsum lineas suas ducunt. Rogatus hic noster Paulus, cur non more nostro versus pingerent, vicissim quæsiuit, cur non Iapanum more nos id faceremus, & nostram quæstionem lepidè dissoluit, sed & hanc demum rationem reddit: Cùm inquit, homini caput sublime natura dederit, pedes verò imo, humilioríque loco sitos esse voluerit, quid ni etiam in scribendo perinde naturę ordinem imitabimur?

Cathaica et Iesuitica relatio parum distant.

Reliqua quæ de Iapanica insula scripta mitto, gentiumque ritu & moribus, Paulo veritatis amatori accepta ferantur. Is tamen libros, qui de gentium lege ac religione tractant, quòd alio quàm vulgari idiomate, vt apud nos, conscripti sint, fatetur se non intelligere: quid verò cõtineant, inquirã, & T. R. certiorẽ faciã. Hic finem scribendi literis meis impono, vbi T. char. mi P. imprimis obseruande, ex animo rogauero, genibus etiã in terra prouolutus, nõ secus ac si iã corã essem, vt me feruentibus tuis precibus, ardentibus orationibus, sacrosanctis sacrificijs Deo cõmendare non cesset, quo suã voluntatẽ intelligere, intellectã perfectissimè sequi & adimplere donet, & emẽso huius vitæ curriculo, in paradisi gloriã traducat, Amen. Coccini ad 19. Kal. Feb.

Anno 1549. *Franciscus Xauierius.*

Epta 2.

DESCRIPTIO RITVVM ET *morum Iapaniæ.*

Situs Iapaniæ.

AD Septẽtrionalem plagã haud procul à China versus Oriẽtem repererunt Lusitani mercatores Insulam, cui nomẽ Iapan, eiusdem prope cum Italia altitudinis: fines verò habet amplissimos, qui in longitudinem miliaria 1800. in latitudinẽ 900 patent.

Lõgitudo. & latitudo Iapaniæ.

Qua ex Insula Cal. Maij quidã industrius planè vir ad nos venit, mysteriorũ fidei nostræ cognoscendorum auidissimus in S. fidei nostræ collegio Goensi nõ ita diu agens, legere, ac characteres Occidentaliũ more, formare didicit, & nonnulla fidei nostræ præcipua capita in maternam transfudit linguã, in quibus perlegendis assiduè versatur. Orationi, & meditationi vacans, Iesum Christum ardentibus inuocat suspirijs. Tanta probitate insignis est, eaq; morum honestate venerandus, ac suspiciendus: quãta pro dignitate nunquam dici possit. Quo tempore apud nos fidei rudimenta dicebat, interrogatus à me mores, ac patrias leges, vt exponeret, ea quæ occurrebant potius ex vulgari hominum sententia quàm patrijs edoctus disciplinis referre videbatur. Quia tamen huius narratio multa cognitione dignissima continet, eam qualemcũque ad te mitto, donec veritate per P. Franciscũ Xauier in Iapaniam proficiscatur explorata certius aliquid scribatur. Imprimis Iapanica insula, vnius Regis imperio paret, viros principes habet simillimos ducibus, comitibusue numeris 14. quorum vno moriente, qui primogenitus est, hæreditatẽ adit cum dignitate, cæteris verò fratribus tot

Administratio ciuilis apud Iapanenses

cedunt oppida, quot ipsis honestè alendis sufficiant: ita tamen vt semper obedientiam maximo natu præstent, & eum velut clientes patronum obseruent. Inter hos principes qui minimus est, decem millia hominum bellatorum conscribere potest: ex reliquis alius quindecim, alius 20. alius 30. millia.

Minimus principum decem millia bellatorum conscribit.

Rex illorum nobilissima omniũ familia progenitus, suã stirpem cum alijs gentilitatibus nõ sinit permisceri. Hic eo apud illos est loco, quo apud nos Pontifex Max. non enim in religiosos solùm, deorumque ministerio dicatas personas, quorum in illis partibus ingens est numerus: verùm etiam in populares, prophanósq; homines potestatem exercet: nunquam tamen per se bellum gerit, nec in facinorosos alioqui homines animaduertit. Omnem rerum huiusmodi curam Gozo cuidam (sic enim illis, qui apud nos Imperator est, appellatur) committit, qui totius insulæ gubernacula, & imperium administrat. Dũ Gozo Regem inuisit, altero in terram genu flexo, caput ad dimidium tibiæ ei in signum reuerentię, atque honoris submittit. Gozo hic, cui & belli gerendi, & iustitię administrãdæ cura mãdata est, magna nobiliũ virorũ turba, ducũ exercitus, & armatorum multitudine stipatur. Tantę præterea est potentię, vt Gozoonẽ tũ imperio, ac dignitate, tum etiã vita (si facinus admissum mereatur) priuare possit. Porrò quod ad Regis genus viuẽdi pertinet: id ferè sic sese habet. Vnicam matrimonio sibi mulierem iungit, crescẽtisque lunę initio ab vxore seiunctus, cibis abstinere incipit ad 15 continuos dies, semel de die, idq; moderatè admodũ cibũ sumẽs: lectioni, cõtemplationi, & orationi intentus, vestitu albo, in-

Rex & Põtifex.

Imperator Gozo, sub est Pontifici.

Hic Gozo alia epistola Gungas dicitur.

Regis mira uiuendi ratio.

gentique corona redimitus, perfectum lunæ incrementum operitur. Vbi decrescere luna cœperit, ad consuetam viuendi rationem residuis 15. diebus redit, atque vxori cohabitat, & venationibus, alijsque voluptatibus vacat. Si verò coniunx antequã 30. expleuerit annũ, mortẽ cum vita commutauerit, aliam in eius locũ ducere potest. Quòd si tricesimũ annũ excesserit, toto reliquo vitæ suæ tẽpore castè, ac religiosè viuere debet: nec priusquã vxorem duxerit, aut illa superstite, cum alia consuetudinẽ habet. Præter 14. illos quos dixi principes, sunt equestris dignitatis viri mercatores, cæterorumque hominũ multiplices ordines. Diligentissimè minores obediũt maioribus, eosque obseruant religiosè ob iustitiã quę exercetur. Peccata æqualia esse opinãtur, parique pœna adfligitur is, qui 10. ducatos surripuit cũ eo, qui ducatorum aliquot sublegit millia. Vnica oẽs contenti sunt vxore, quæ si cum altero deprehẽdatur in adulterio, morẽ hũc atque legẽ mordic⁹ seruãt, vterq; adulterans simul vt perimatur. Nã si alterutro viuente alter fuerit trucidatus, viro in ius vocato, mortis sententiam in illum pronũciant. Si neutrum interemerit: ignominiæ sibi maritus notam inurit sempiternam. Præterea mulier si in criminis suspicionem veniat, nec tamen rea peragi possit, à marito in paternam domum remittitur sine vlla viri infamia, qui aliam deinde ducens, priorem mulierem ea relinquit turpitudinis infamia notatam, nemo vt eam matrimonio velit dignari.

Vidualis castitas gẽtilis pontificis.

Obedientia subditorum (manuscript)

Pœna adulterij.

Infamiæ ignominia.

Illustres illius insulæ viri, filios vbi ad 7. vel 8. peruenerint suæ ætatis annum, cœnobijs includunt ad septimumdecimum, aut vicesimum

vsquę

vſque annum, quibus in locis legere, characteres formare, atque etiam diuinas res edocentur, vt ad familiam, gubernandamque rempublicã reddantur aptiores.

Illuſtrium filij in monaſterijs inſtituuntur.

Tria hic hominum genera reperiuntur, qui in cœnobiis monachorum noſtrorum more habitant, quorum nonnulli in ciuitatibus, alij etiam ruri, aut in pagis. Qui in ciuitatibus verſantur, vxores non ducũt, & eleemoſynis viuunt, comã, & barbã radũt, veſtibus oblongis, ampliſque manicis vtuntur. Hyemis tẽpore cucullum geſtant, reliquo anni ſpacio nudo capite incedũt, vno in loco omnes comedunt, crebra ſtataq; per annum habent ieiunia, nulla animantis carne veſcuntur, vt corpore macreſcente peccandi volũtatẽ funditus eradicẽt: quę abſtinẽtia omni huiuſmodi hominũ generi cõmunis eſt, intẽpeſta nocte ſomnũ abrũpentes, ad dimidiatę horulę ſpaciũ pſalmodię ac precibus incũbunt: quo trãſacto lectũ repetunt, quieſcẽtes vſq; ad lunæ horã, tunc iterum de lectulis ſurgentes varias recitãt orationes, quod ipſum etiam oriẽte ſole, & meridie, & veſpertino tẽpore religiosè obſeruãt. Dũ ſignum ad preces datur, vniuerſa multitudo ad genua prouoluta leuatis in cœlũ manibus (vt etiã apud Chriſtianos fieri cõſueuit) ſuas preces fundit. Sæpenumerò ad populũ ingẽti cõfluentem multitudine concionãtur, quẽ etiam, ſui ploratus exẽplo, ad lachrymas prouocãt. Vnũ Deum creatorẽ, ac cõſeruatorẽ rerum omniũ prædicant, purgatoriũ quoque, infernũ, & paradiſum cõfitẽtur, aiũntq; tã bonos, quàm facinoroſos locũ pœnarũ ſubire, ſic tamen vt boni tandẽ locũ, vbi Deus ſit petãt, mali tartara, vt ibi cũ dæmone habitent, quẽ vt in malos animaduerteret, Deus miſiſſe in hũc mũdũ arbitrãtur: huius

Monachi Gentiles.

Videntur olim fuiſſe chriſtiani.

Cucullati.

Ieiunia.

Media nocte orant.

Genu flexio.

Vnũ Deũ Paradiſum infernũ & purgatorium credũt

Dæmones tortores malorũ credunt.

huius ſectæ homines execrandis vitijs laborant, quamuis caſtitatem publicè ſummis efferentes laudibus, impuritatem damnent. Omnes ad talos vſque nigras veſtes gerunt, nullum admittũt, qui non vel mediocriter in virtutibus ſit exercitatus.

Aliud genus ſacerdotum.

Eſt & quoddã ſacerdotum genus, quod veſtibus cinericij coloris amictum, magnis ſe præcingit funibus, vxores ducit, quibus etiam veluti monacharum eodem habitu cœnobia parat, contiguis propemodum ædificijs. Ait plebs iſtiuſmodi ſacerdotes monialibus iſtis conſueſcere, nec tamen proles procreare: quòd pharmacis cõceptum impedientibus vtantur. Hi licet imperiti ſint, atque à trecentis extiterint annis: preces tamen fermè cęterorum more fundunt, niſi quòd mares vnum teneant templi latus, alterum verò moniales, certaque ſeruant ieiunia.

Tertiũ genus penitẽtijs deditũ.

Tertium genus eſt eorum qui nigris induti veſtibus, grauiſſimis pœnis ſeſe torquent: ter orant, mane, veſperi, & ſub mediam noctem. Omnes iſtorum omnium preces ſimillimæ ſunt. Idolis vtuntur ligneis, ac deauratis, inque pariete depictis.

Imagines.

Vnum Deum adorant, quem Doniche patrio ſermone nuncupant: aliquando vnum corpus formantes, tribus capitibus inſigniunt, tunc Cogi nominant. Non ignorare videtur Doniche, & Cogi idem eſſe quod apud Chriſtianos Deum ac Trinitatem. Narratur inſuper iucunda de homine, qui apud illos ſanctus habetur, hiſtoria.

Vnum Deum colunt. Trinitas.

Aiunt enim vltra Chinã Occidentem verſus, regionem eſſe Cegnico vulgò dictam, in qua Rex erat Gioibondarnus, cui vxor fuit nomine Magabonina. Regi dormienti, per ſomnum viſum eſt, puerum clamantem ſe audire, ac verba hæc ſæpius iterantem. Rex vxori iungere: illę coniugi rem

Origo religionis Iapanum, a Brachmanibus Indiæ orta videtur.

pem aperit:ambo mirãtur,& obstupent: nec amplius vnà versantur. Circa id ferè temporis Regina cum nullo mortalium, vt credebatur, re habita, grauida fit: post nouem mẽses puerum, cui nomen Xagua in hanc lucem edidit, vitalem, sed matri in ipso partu exitialem. Quamobrem Rex infantem Reginæ sorori educandum tradit. Statim à partu inusitatę magnitudinis serpentes alati, super puerulum volitarunt,& ex ore in eum aquæ magnã vim effuderunt. Post trimestre spatium erigens se puer,& stans, tres passus progressus est,& altera in cœlum elata manu, altera ad terram depressa, sic fatus est: Ego vnicus in cœlo, vnicus sum in terra. Hic annum natus 19. cùm vel inuitum pater ad matrimonium compellere vellet, humanę conditionis miseriam perpendẽs ac secum diligentius examinans, vxorem noluit sed clam de nocte arrepta fuga, montem altissimum, desertumque conscendit. Ibi postquam in asperrimo vitę genere perdurasset sexenniũ: descẽdit tandem, & magno animi ardore, nec minore cum eloquentia plurimas ad Ethnicos habuit conciones: Tantę sibi integritatis, & virtutis breui tempore conquisiuit nomẽ, vt & penes ipsum esset abolitas dissuetudine leges reuocare,& nouam adorandi Dei rationem commonstrare. Discipulorum, qui ipsius erant sectatores doctrinę, eiusque viuendi institutum sequebantur, ad 8. millia erãt. Horũ aliqui ante An. 1500. aut paulò amplius, cũ in regno Cegnico (ex quo per Chinã & Tartaũ in Iapaniã venitur) Idola protriuissent, Chinã ingressi, leges,& colẽdi Dei modũ incolis proposuerũt, iisq; dicto citius propter magistri celebritatem in suam sententiam pertractis, vt omnia & hic idola quibus sacrificare consueuerant, con-

Miracula

Xagua propheta gentilis.

Xagua nouas leges condit.

Idola demolitur Xagua.

confracta sunt. Inde progressi, postquam in Iaponicā insulam peruenerunt, eadē designāt, vt etiā nunc apud Chinas, & Iapanas videre sit, haud secus quàm Romæ confractorum signorū partes. Xagua iste vnum Deum fabricatorem omnium esse docuit, atque eo quo iam diximus modo exsculpsit truncum tribus capitibus insignem. Idem quinque præcepta seruanda præscripsit: Primum, non occidendum: Secundum, non furandū: Tertium, non fornicandum: Quartum, non mentiendum. Quintum, à vino abstinēdū: addunt, vt non iis de rebus soliciti sint, mœstitiáque conficiātur, quibus nullū potest remedium adferri, iniuriasq; condonent. Multa alia de virtutibus, & vitiis, atq; moribus, quibus homines cuiuslibet conditionis præditi esse debent, volumina conscripsit. Sæpius ieiunādum, multumq; Deo corporis afflictiones gratas esse contendit, & seruandis peccatoribus pernecessarias docuit. Interrogatus, num in eiusmodi prouincia aliquo vterentur baptismatis genere: respōdit, infantes vt primùm in hanc lucem prodierint, exemplo Xaguæ lauari, quem (vt superius diximus) serpentes natum lauerunt. Si quis verò non lotus decesserit, grauissimè peccatum esse credunt. Affirmant insuper religiosos, quos dixi, ægrotantes inuisere, cōsolari, ac vt testamento extremam voluntatē declarent hortari. Quòd si periclitari de vita decumbens cœperit, alterius vitæ bona in memoriam reuocāt, de terrenis rebus quandoquidem vanæ sint, anxius ne sit, monent. Vbi extremum clauserit ægrotus diem, supplicatione instructa, psallētes funus in monasterij cortem deponunt, Deum, vt peccata ei condonet, rogantes. Pauperes, ac diuites sine discrimine gratis & officiosè sepeliunt: ignominiæ sibi

Quinque præcepta.

Baptismus gentilium.

Ægrotorū uisitatio, et ad mortem præparādi modus.

Mortui sepeliuntur gratis.

notam

notam inureret sempiternam, qui minimum quid acceptaret, si tamen defunctorum parentes eleemosynæ nomine offerant, non recusent.

Vsurpant præterea in ista Iapanensium regione afflictionis eiusmodi genus, nimirum quod post centum dierum à cibis, & re vxoria abstinentiam, vastas syluas, horridáque nemora ingrediantur, multis referta Pagodorum delubris religionis causa, quæ ab aliquibus etiam asperrimę vitæ Eremitis incoluntur. Multi iis in locis clamores, multæ voces exaudiuntur, multi quoque videntur ardentes ignes. In huiusmodi sylua vigintiquinque dies commorantur, nec plus orizæ sumunt, quàm vola manus continere possint: ter, & quidem aquam, tantummodo bibunt. Post 25. dierum spacium, qui per loca deserta magno numero vagantur (vt facilè etiam millenarium expleant) vnum in locum conuenientes, coram Pagodo aliquo, totius anteactæ vitæ crimina, alta voce, illorum vnusquisque flexis genibus confitetur, reliquis omnibus miro silentio auscultantibus. Vbi confessiones fecerint, manu Pagodo admota, se oēs sacramēto, & iureiurādo astringūt, nulli vnquā mortaliū quæ audierint, patefacturos se esse, deserta illa loca cùm primū reliquerint. Toto pœnitētiæ tēpore, vestes quas lineas asperiorésq; habent, nō exuūt, arctius præcincti, absque calceis, nudo capite incedunt, nunquā penè quiescūt, eò quòd totos dies in nemore circū montē oberrātes supplicationis in morem cōsumunt. Cum ad destinata loca peruenerint, aliquantulum quiescūt, ingentem pyram construunt corpus calefacturi. Præceptorem habent à quo tum in oratione, tum afflictionibus suscipiendis instituuntur. Quietis tempore si quis necessitate superatus obdormire cœperit, à magi-

Corporis afflictio horrenda.

Eremitæ asperrimæ vitæ.

Dæmonū illusiones.

Confessio totius vitæ publica.

Doctores religionis Gentilium

Papistica poenitentia q[ue] constat, contritione, confessione satisfactione

magistro bis fuste percussus excitatur. Si quis lãguore correptus prosequi nequiuerit iter cũ reliquis, à socijs derelinquitur, omni ope destitutus, cęteris pergentibus, disperire cogitur. Quòd si extremũ ante alios diem illorũ aliquis clauserit, obruunt cadauer lapidibus. Schedulã affigunt baculo in terrã defixo, in qua scriptũ est: Hic iacet N. ciuitate vel oppido. N. oriundus. Tabellam vnusquisq; de collo dependentẽ gestat, in quo nomẽ tum hominis, tũ patrię exaratum cõtinetur.

Epitaphia mortuorũ.

Dum per ista loca deserta vagãtur: monstra quã plurima, lemuresque cernunt, suę peregrinationis comites, vt cùm centum sępenumerò sint, ducenti interdum videantur, numerenturque. Tunc eos omnes intuens magister, vt videt nonnullos tabulam è collo dependentem non habere, subsistere omnes continuò iubet, ac ad Doniche, qui ipsis Deus est, orationem conuertens, petit à tali societate se suosque liberari, quam credunt esse demoniorum, qui hominibus se familiariter adiungentes, ita hominis imaginem prę se ferunt, vt vnus, duo appareant, absque vlla vnius ab altero differentia. Postquam verò orare incipiunt iuxta præscriptam sibi à pręceptore formam, omnia omnino euanescunt dęmonia. Homines isti, postquã tẽpus afflictionis expleuerint, sic macię confecti remanẽt, vt mortẽ ipsam præ se ferant. Quod verò vestes nõ exuãt, neq; hoc tẽpore corpora lauent, pro comperto habetur. Domũ, plurimis oppidanis, qui & illorum vestes magna cum veneratione deosculantur, redeunt comitati.

Visiones siue apparitiones mortuorum

Demones sodales.

Donichus Deus.

Reliquia

Sunt in istis regionibus multi venefici, & sagę, qui licet apud simplices magno sint in precio, nihilominus tamen apud prudentiores vilissima eorum est existimatio,

Venefici.

Maxi-

Maximi inter hos fiunt Astrologi, quòd plurima rectè prędicunt: Annales more nostro conscribunt, quod vt in moribus, & ingenij acumine quàm simillimum est nobis, sic & nostrã in multis viuẽdi rationem, & consuetudinem imitatur. Vir hic qui mihi harum rerum iam scriptarum est author, si quis alius, pręstantissimo, acerrimóque est ingenio. Opere, verbisq; cõfirmat se odio habere peccatorum varietatem, quã inter Christianos esse deprehendit. Existimat Iapanenses vniuersos libentissimè Christianam fidem amplexuros esse, si qui ad illos venirent Christiani, quod scriptum suis in libris habeant, vnam omnium mortalium legem aliquando futuram, quã etiam hoc nomine tanquam perfectiorem expectant ad se deferendam. Cùm autem religione nostra meliorem inueniri non posse, cõfiteatur: in maximis Dei donis reponendum esse arbitratur, si modus excogitetur, quo Christianę legis pręcones in Iapaniam transmittantur. Quãuis autem vxori alligatus sit, comitem se tamen Patrum, qui eò profecturi sunt, futurum pollicetur ad duos, quatuórue annos, imò eis semper se adfuturum affirmat, donec Christianę fidei optima iecerint fundamenta, atque idioma perdidicerint. Regionem illam saluberrimam esse confirmat, sed ventosam & nonnunquam terremotu tam vehementi concuti, vt prosternantur homines. Fructibus cuiusuis generis abũdat, nec minus auibus, & metallis, quàm Europa: Rari ibi serpentes. Syluestrium animalium ferocissima est natura, cuiusmodi sunt Cerui, apri, &c. Vino carent, quamuis in syluis Vuę syluestres abunde reperiuntur, quibus vesci consueuerunt. Orizam cum brassica comedunt, & pisces: panis

Astrologi. *Annales.*

Ingeniosi ut Europei

Prophetia Iapanensium.

Temperies Iapaniæ.

vsum habent nullum, sed eius vicem Oriza subit, vt etiam in India. Tritici granum vtcunque suppetit. Gallinæ non desunt, nullum tamen animal domi enutriunt. Refert in illa prouincia Du cem quendam esse, in cuius vexillo depicta cernitur ingens crux, & hoc illi, suęque familiæ peculiare insigne est, quod vsurpari ab aliis est capitale.

Gallinæ.
Vexillum crucis habent Iapanenses.

Iapanenses qui legere norunt, preces horarias recitant, vniuersi autem ex antiqua consuetudine, preces spherulis precariis, quę centum & octo signis constāt, vt nos, rosariis vocatis, numerant, ad vnamquamque spherulā orationē duplo nostra dominicali prolixiorē recitantes. Rationem numeri spherularum interrogatus, respōdit à doctis viris affirmari, homines centum & octo modis peccare. Quare ad singulorum expiationem peccatorum orationem quam non intelligunt (quòd peregrina lingua scripta sit) recitant, vt nos latinè. Matutino tempore dum surgunt, nouem proferunt verba, ac duobus dextræ digitis elatis (vt Christiani facere solemus, cùm nos signo crucis munire volumus) nouem se crucibus forma literæ X referentibus signant, propugnari se à dæmonibus credunt. Eorum religiosi castitatem, paupertatem, & obedientiam vouent, ac profitentur, & antequam in eorum familias recipiuntur, in humilioribus officiis, operibúsque exercentur.

Spherulis precariys suas preces numerant.
Ratio precarum huiusmodi.
Orant lingua peregrina.
Signant se signo crucis D. Andreæ.
Vouent religiosi castitatem, paupertatē & obedientiā.
Humilitas.

Isti populi, quòd sub eodem quo nos constituti sint terrę quasi singulo, colore etiam sunt albo, eiusdem nobiscum proceritatis, prudentes, nobiles, virtutis amatores, disciplinarum studiosi, doctos maximoperè venerantur, & suspiciūt. Quod ad gubernandæ pacis in repub. conseruandę, bel-

Natura & mores legesque Iapanensium.

lique

liq; gerendi rationẽ pertinet, nostris persimiles sunt, hoc vno dissimiles, quòd ius verbis, nõ libellis dicãt. Itaq; expedita apud illos est iustitia, seuera itẽ adeo, vt famulus Dominum afficiens contumelia, vel alia quauis leui iniuria, ab illo possit ilicò trucidari, nec in herum animaduertetur.

Inscriptũ reijciunt.
Ius iniquũ in famulos

Amplissimum dignitatis gradum, primogenitus hæreditario iure sibi vendicat, si desint liberi proximus succedit agnatus, quod cæteri quoque istius prouinciæ principes facere consueuerunt. Tyrannidem principes non exercent, quòd si bello inuicem contendere cœperint, nec in gratiam mutuam sponte redierint, Gozo authoritatem suam interponit, pacémque conciliat. Si verò pertinax aliquis non obedierit, priuatur imperio, atque interdum etiam vita: dignitatem vel bona concedit, cui iure obtigissent. Infamis est omnis adulter.

Primogenitus Zazoni succedit.
Gozonis authoritas.
Adulter.

Orant Iapanenses, eleemosynas erogant, peregrinantur, à cibis abstinent, vt veniam peccatorum cùm viuis tum mortuis consequantur, idq; in anno sæpius, prandent circa meridiem: abstinentia multò est nostra grauior. In quodam monte 5. millia religiosorum virorum habitant, qui & ditissimi sunt, & famulis abundant, optimisque domibus, ac indumentis. Castimoniam sic tuẽtur, vt ad tertium lapidem nec mulier, nec aliud feminini generis possit accedere. Mulier vbi peperit, dierum 15. spacio neminem attingit: 40. verò diebus abstinet à templis. Ancillæ parturientes, ab aliis alia in domo seiunctæ habitant, quod etiam faciunt menstrui tempore. Qui illas toto illo tempore contigerit, immundus creditur, debétque lauari. Mulieres tenuioris fortunæ, si multos procreauerint filios, occidere

Eleemosynæ. Opera meritoria
Preces pro defunctis.
Religiosorũ mores.
Mulier à septismonasterij arcetur.
A partu immunda.
Immensa crudelitas in proprios infantes.

cōſueuerūt natu poſteriores, ne calamitoſam eos vitā ducere videant, quod ſcelus animaduerſione apud illos caret. Infernū ex Xaguæ doctrina eſſe credūt, quo impiæ peruenietes animæ variis cruciatibus, vt perpetuo igne, aliiſq; tormentorū generibus torquentur, excruciantúrque: hoc etiam illis qui in purgatorio conſtituti ſunt, vſu venire contendunt, quod in hac vita dignam ſceleribus pœnitentiam non egerint, nec inde exituros adſeuerant, quoadúſque ab omnibus maculis expurgati ſubuolent in cœlum. Cœlorum indigenas Angelos eſſe volunt, qui ex alia quadam elementorum materia conſtantes diuinæ maieſtatis contemplationi vacent, quos inſuper hominum cuſtodes eſſe affirmant: in cuius teſtimonium depictas Angelorum imagines de collo appenſas geſtant. Prolixas in Dei laudem preces fundunt, contemplationi omnes dediti ſunt, præcipuè Religioſi, iiq; toto quo Dei laudes cantant tempore, altare circumeunt, campanis populum conuocant ad conciones & ſacra, & communes preces, funus candelis accenſis comitātur, donec aut ſepelierint, aut in rogum coniecerint. Leges ac libros lingua, à communi multum diſcrepante conſcriptos habent. Interrogatus num ſacrificiis vterentur, reſpondit, certis quibuſdam diebus ſacerdotes ſacris operari, præſertim tamen illorum præſulem, certiſque veſtibus indutum templum petere, ac tum præſente vniuerſa multitudine thus in ara, cum foliis, odoriferis adurere, atque ſimul orationes decantare. Horū templa ſi criminis reus ſalutis cauſa ingrediatur à lictoribus extrahi non poteſt, quantumcunque admiſſum facinus graue ſit ac execrandum, fures tamen nequaquam ibi ſunt tuti. Multis ſancto-

Infernus. Purgatorium. Cœlum. Angelorū materia. Angeli Deum contemplantur. Angeli cuſtodes. Contēplatiui. Altaria. Campanæ. Candelarum uſus in curādo funere. Thuris incenſum. Templa aſylum.

ctorum, ſanctarúmque imaginibus ſculptis, depictiſque cum diademate & micantibus radiis abundant templa. Quamuis autem vnum Deum adorent, omnium quæ extant, rerum fabricatorem, ſanctos nihilominus deprecantur, qui pro ſua ſalute intercedant. Mulierem inſuper depingere ſolent infantulum intra brachia tenentem, quam vocant Quaneuoa: ad hanc tanquam patronam communem in omnibus calamitatibus confugiunt, quo pacto Christiani B. V. auxilium inuocant. Nullam hiſtoriæ, aut vitæ huius mulieris rationem reddere potuit. Cibis quibuſlibet hoc genus hominum veſcitur, nec circumciditur. Quare veriſimile eſt illi regioni Euangelicæ veritatis lumen olim adfuiſſe, & vel propter peccatorum tenebras extinctum eſſe, vel per impoſtorem aliquem, qualis Mahometus veritati tenebras eſſe offuſas. Porrò dum huic exarandæ epiſtolæ intẽtus ſum, venit ad me Epiſcopus quidam Armeniorum, qui his in regionibus 40. annis verſatus eſt, retulitque Armenos in ipſis naſcentis Eccleſiæ primordiis, Chinam ad Chriſtum conuertiſſe. Quantò præclarius mererentur de Eccleſia Dei, Si qui pro hominum ſalute nullos refugientes labores, vaſtam in hanc plagam fidei lumen inferrent, quàm qui per vniuerſam Europam in ſacerdotiis (vt metuendum eſt) luxuriantes talento quod à Chriſto acceperunt, in terram defoſſo, neque ſuę, neque aliorum conſulunt ſaluti. Meſſis ſanè copioſiſſima eſt, ſed idoneis deſtituta operariis. Neminem terreat diſtantia, qui ſibi mandatam eſſe proximi curam, & ſalutem intelligit. Quamuis etiam Roma Iapania vſq; iter ſit 8. milliũ leucarũ, ſalutis tamẽ animarũ gratia labo-

Pœna ſanctorum. *Imagines ſanctorum.* *Vnum Deum colunt ſuoſque ſanctos.* *Imago virginis.* *Patrona peccantiũ*

Peccata, lumen Euangelij in his regionibus deleuiſſe videtur, impoſtoremque aliquẽ meruiſſe.

Multi in Europa talenta ſua in terra defodiunt.

labores,& pericula pro Ecclesia Dei adita quiuis delitias esse persuasum habere debet. Si Deus voluerit, R. P. Franciscus vnà cum Paulo huius narrationis authore, aliisque duobus Iapanensibus Christianis,& tribus Societatis nostræ fratribus,circa Aprilis initium se ad Iapanensem nauigationem accingent. Post biennium intelliget R. T. omnia quæ in ea insula ad gloriam Dei perfici poterunt, fauente Christo Domino nostro, qui est benedictus in secula seculorum Amen.

Paulus Sã fidius hui' narrationis author.

Epistola 3

Gratia & dilectio Christi Domini nostri semper nobis adsit.

NAVEM cuiusdam gentilis Sinensis, qui condixerat arcis Malaccensis præfecto,se nos in Iapaniam vecturum, Malaccæ, quę mille octingentis miliaribus abest à Goa, conscendimus. Dei fauore tempus nauigationi opportunum nacti sumus, quam ob causam male nos habuit gentilium inconstantia, qui mutata sententia, parum solliciti de Iapania, in obuiis insulis hærere cœperunt, cùm tempestas profectioni accommoda, elabi non ita multò pòst soleret(statis enim temporibus nauigatur)ea autem elapsa in Sina fuisset hyemandum. Nec minus grauis molestaq; nobis erat continua Idololatria, & impiorum sacrificiorum in naui oblatio, quam impedire non potuimus, Idolum enim quoddam secum vehebant, à quo sæpe sortibus

Malaccæ à Goa distantia.

Idolũ Nautarum.

tibus ſciſcitabãtur, an eundũ eſſet in Iapaniãnec ne,an venti proſperi ceſſarẽt,interdũ ſors omnia proſpera,interdũ infauſta promittebat. Deinde in Inſulã quandã quę 300. miliaribus à Malacca diſtat egreſſi,cũ ligna & alia,quę contra vim ingentiũ tempeſtatum Sinenſis maris,in naues inferri ſolent, importaſſemus,& ſortes proſperitatem promitterent, non ſine magna animi voluptate,vela fecimus:Gentiles quidem quod Idolo confiderent,id enim in puppi conſtitutum magna veneratione accenſis candelis, & ſuffitu ligni aloes, venerabãtur: nos verò quòd fiduciam noſtram in Deo & Domino noſtro Creatore vniuerſi, & in CHRISTO Ieſu Vnigenito ipſius filio poneremus, pro cuius amore & obſequio & augmentandæ fidei deſiderio, in tam remotas venimus regiones. Idolũ nauĩum

Rurſus gentiles ad ſortes ſuas conuerſi ſciſcitantur à ligno, nauis ne in Malaccam incolumis rediret.Sorte abnuente,omnium hic rurſum concidunt animi,diffidentia & trepidatio omnes occupat,pergere in Iapaniam nolunt: ſed in Sinam ad hyberna concedere,& in ſequentem annum profectionem, donec nauigationis tempus recurreret, differre. Videte quæſo quo deuoluimur, dum à dæmone & ipſius miniſtris noſtra pendet nauigatio, dum ſe non mouent nautæ, niſi pro ſortium nutu. *Sortilegia.*

Cùm itaque ad Regionem Cochinchinam pergimus, duo miſerabiles caſus, pridie Beatę Magdalenæ euenêre. Nam Emanuel Chinna orta tempeſtate in Sentinam eſt præcipitatus, qua ex re nos omnes, tum ob grauem lapſum, tum quòd capite deorſum dependente, medius non parum diu ſub aquà mergeretur, mortuum pu- *Cochinchina.*

 taui-

tauimus. Tandem non sine difficultate, graui solum affectum in capite vulnere, DEI gratia extraximus. Vix bene obligato vulnere, Nauarchi filia in mare, vi tempestatis, præceps deiicitur, moxque sub nauem rapta, cùm in tanta tẽpestate iuuari non posset, inspectante patre, periit. Tanti hic clamores exorti sunt & eiulatus toto die noctuque, dum quisque vitę suæ metuit, vt saxeum cor non potuisset non moueri. Certè dolere plurimùm æquum erat, tum ob vitæ discrimen omnium, tum ob æternam tot animarum iacturam. Interrogantibus Idolum, cui toto die noctéque multas aues sacrificauerant, cibum potúmque libârant, cur periisset filia, Sortibus respondet, si Emanuel ex casu illo periisset, filia minimè submersa fuisset. Videte fratres in quæ adducti fuerimus pericula, quidue nobis euenisset, si Deus permisisset in nostrum redundare caput, quæ crudelissimus dæmon meditabatur.

Idolo sacrificant

Fruct⁹ aduersitatis. Illo die quo hæc euenêre infortunia, dedit Deus sua gratia, vt intelligerem, ipsáque experientia discerem dæmonis astutias, technas, ac tyrannidem, nam periculis & horrendo metu homines exagitat, vtiturque variis ipsorum affectionibus atque perturbationibus, & cùm à Deo permittitur, ad id quod maximè est perniciosum adigit. Didici etiam remedia, quæ in huiusmodi casibus adhibenda sunt, inter cætera id vnicum est non deiici, sed forti animo hosti obsistere, & de se diffidendo omnem in Deo fiduciam viresque collocare, neque vel minimum timoris signum dare: & cum talem tantumque habeamus defensorem, tutoremque, nihil de victoria & triumpho dubitare.

Qui aduersa superanda.

Et

Et quidem magis, hoc rerum ſtatu, timenda eſt diffidentia, quàm malum quod dæmon inferre poteſt. Sed ad iter noſtrum reuertamur, ceſſante tempeſtate, anchoriſque ſubductis triſtes, vt par erat, ſoluimus, & non multis elapſis diebus in Sinam ad portum Cantonenſem appulimus, vbi vno animo omnes hyemare ſtatuerunt: ſoli nos rogare cœpimus, & precib⁹ etiam minas addere, ſi ea quę prȩfecto Malaccenſi promiſerant, non præſtarent, id nos ipſi ſcripturos. Verum Deo ipſorum mutante voluntatem, & orto ſecundo vento relictis Inſulis Cantonenſibus, ad alium Sinarum portum, Chincheum, paucis poſt diebus, peruenimus. Cumque hic hybernare ſtatuiſſent, quod iam tempus nauigationi aptum ferè deſierat, ecce nuncium adfertur nobis per nautas quos obuiam habuimus, portum quem petebamus, latrones occupaſſe, actumque eſſe de omnibus nobis, ſi eò concederemus. Cum itaque ventus ad reuertendum Cantaonem eſſet contrarius, ſecundus verò in Iapaniam, inuito dæmonio & ipſius miniſtris, menſe Aug. ipſo B. Virginis feſto anni 1549. cùm nullum daretur ſubire portum, infinita Dei miſericordia in Congaximam appulimus, Pauli Sanfidij integerrimi amici noſtri patriam, vbi tam ab ipſius parentibus quàm à populo; imò & à Gubernatore humaniſſime fuimus excepti, hæſimúſque, cum per ventos contrarios Meacum pergere non liceret. Admirati ſunt non parum, quod viderent ſacerdotem ex tã remotis locis profectum. Paulum tamẽ admirati non ſunt, quòd relicto patrio ritu Chriſtianum dogma ſectaretur, tantum abeſt vt id ęgrè tulerint. Ipſi quoque hoc nomine congratulabantur, quod remotè diſſitam Indiam, &

Canton.

Chincheũ.

Congaxima Pauli Sanfidij patria

res ipsis incognitas, vidisset. Ex qua re non parum ipsi accessit authoritatis & existimationis, tam apud parentes, quàm alios qui ipsum sanguine non contingebant. Dux item multo ipsum honore affecit, multaque rogauit de Lusitanorum moribus, virtute, fortitudine, & imperio apud Indos parto, de quibus omnibus non sine Ducis lætitia, luculenter respondit.

Ducis congratulatio.

Adoratio imagis

Habebat Paulus apud se insignem quandam B. Virginis imaginem, qua visa, dux non solum plurimum est delectatus, verùm etiam positis genibus eam religiosè est veneratus, volens idem ab astantibus fieri, dein matri suæ etiam visendam exhibuit: quæ simul ac vidisset, non minus obstupuit, iussitque sibi huic similem depingi: verùm cùm nemo ibi tantum possit, res omissa est.

Quorūdā conuersio.

Cupiuit etiam hæc mulier sibi scripto tradi Christi doctrinam, qua in re se aliquot occupauit diebus Paulus, multaque de rebus fidei in suam transfusa linguam ad ipsam misit. Deo gratias agite de aperta modò Euāgelio via, iam vestris desideriis nihil defuturum sperandum est. Paulus sua industria nocte dieque vxori, filiis, & parentibus fidei Christianæ mysteria proponens, multos ad Christianismum pertraxit.

Meacum.

Iapaniæ metropolis est Meacum, vbi Rex agit, & primatij totius Regni nobiles, eò nos conferemus post quinque mēses (ante enim non spirāt oportuni venti) abest hinc 900. miliaribus. Multa & magna de ea vrbe nobis referunt, inter cætera asserunt in ea esse 9000 ædium, & Academiam magnam multis studiosis celebrē, collegia tamen quinque præcipua, Bonzorum verò amplius 200. præter ea quæ sunt monachorum genti-

Meaci a Cōgaxima distātia & vastitas. Academiæ Iapanum.

gentilium, quos Legnixu, & moniali ũ quas Hamacatas vocant. Sunt præterea circa Meacum aliæ quatuor primariæ vniuersitates, Coia Nigru, Frazon & Homi, quarum vnaquæque, vt mihi relatum est, amplius quàm ter mille studiosos habet. Est & quinta admodum ab his dissita, Bãdu nomine, quæ totius Iapaniæ maxima est & præcipua, ad quam se longè etiam plures conferunt studiosi. Est autem Bandu ampla ditio in sex ducatus diuisa, vnum tamen ducem habet primarium, cui reliqui 5. subsunt, ipse verò primarius Meacensi Domino, qui est totius Iapaniæ Rex. Tam multa mihi narrãt de amplitudine huius vrbis & Academiæ celebritate, vt antequã quidquam scribam aut afferam, videre velim, nũ ita se habeant: tũc enim fusissimè transscribã omnia. Præter has præcipuas Academias ferunt plures sparsim esse in Iapania minores.

Monachi & Moniales *Coia. Nigru Frazon Homi.* *Bãdu Academia præcipua.*

Vbi omnia perlustrauero, scribam ad præcipuas Academias Europę (vt si nihil aliud, in ipsas saltem exonerem conscientiam) quæ tot animabus hic miserè pereuntibus, succurrere possent, easque ad Creatoris sui & redemptoris notitiam traducere. Scribemus autem, cum ea qua par est modestia, vt serui & filij ad maiores & patres: quod verò assecuturum me confido, id est, vt ij, qui huc aduolare non poterunt, auxilio sint iis, qui se promptos ad tantum Dei obsequium, & ipsius gloriam propagandam, & ad animarũ salutem offerent, vt hic participes fiant consolationum & sanctę voluptatis, quibus fortè vbi modò degunt, miserè frustrantur: & si tãta erit messis, quantum speramus, & res ipsa promittit, non prætermittam quin ad summum Christi vicariũ & credentium pastorem in terra, aliorumq́; qui ad

Studiosos Academiarum ex Europa uocat in Iapaniã.

ad Christi Iesu Saluatoris notitiam & illius iurisdictionem sunt venturi, scribam: necnon ad omnes fratres nostros, verè hoc nomine fœlices, quòd magno teneantur desiderio gloriæ Dei in animabus Christo lucrandis, vt huc confluant, votis suis abundè satisfacturi, nec solùm huc, verum etiam ad Sinas, vbi etiam maior fructus sperari potest. Ad hos enim tutò, multas Iapanenses naues proficisci intelligo, saluus tamen conductus à Iapaniæ Rege nobis erit accipiẽdus, quem fore amicum nostrum spero, nec se difficilem nobis exhibiturum, si quid huiusmodi à nobis petetur, eò autem ex Iapania decem aut duodecim dierum spatio nauigari potest. Addam modò ea de Iapania, quæ hactenus cognoscere licuit; & primo de populo, quocum iam aliquamdiu egi. Certè hactenus nullam inueni gentem inter infideles, quæ mihi magis probata fuerit, placueritue: Iapanes enim optimis moribus conuersationeque præditi sunt, expertes malitiæ & fellis. Honores tamen præ omnibus alijs gentibus studiosissimè sectantur, tametsi plerique sint pauperes, nec paupertas vsquam aut apud nobiles, aut plebeos, pudori est, nec vir nobilis pauperi diuiti ignobili, quantũlibet magna collata dote, aut muneribus, filiam suam collocaret: quòd putet tali facto aliquid nobilitati & honori decedere, quem diuitiis longè anteferunt. Inter se ciuilitatis sunt obseruantissimi, inuicem honorant, ac reuerentur viros nobiles maximè: nobilibus verò vnicum studium est, vt principibus & primatibus obsequiũ ministeriũmue præstent, non tam timore adacti, quã ne vllam honoris iacturam patiantur. A ludis & iocis planè abstinent, quod his honori detrahatur, ij qui

Iapanum commẽdatio.

Honoris studium.

Paupertas honorata.

Ludus contemptus.

ludis indulgent, rem alienam appetere & viam quodam modo ad furta sternere videantur, & fures hic maximè exosi.

Temperatè cibum sumunt, largius bibunt, vna vxore contenti viuunt, iuramentorum rarior est inter eos vsus, si eo opus sit per Solem iurant. Idola colunt: Alij solem, alij lunam, alij ex veteribus quosdam, vt putant, homines, nihil tamen sub bruti specie & forma. Plerique omnes legere & scribere norunt. Vnde fit, vt orationes Christianas, & quæ ad doctrinam Christianam pertinent, facilius addiscant, magno tenentur discendi desiderio, res diuinas libenter audiunt, potissimum si ita proponãtur, vt eas capere possint. Humanissimi sunt, & maior ipsorum pars, vt intellexi, philosophorum more viuit, libenter ea audiunt quæ consona sunt rationi: & quamuis non paucis vitijs inuoluantur, admoniti tamen edoctique quæ faciunt, mala esse, æquo accipiunt animo, & in bonam partem interpretantur. Minus errorum & peccatorum inuenio in plebeis & idiotis, quàm in Bonzis quos veluti patres & doctores venerantur. Hi enim ad omne genus vitiorum, etiam à quibus natura abhorret, adeò sunt propensi, vt ea ne in minimis quidem malis habeant, & nihil dissimulent, palamque sit omnibus, viris, fœminis, & pueris.

Sobrietas.

Idolatria

Iapanes æquo ferunt animo uitia reprehendi.

Bonzorũ improbitas.

Hi qui Bonzi sunt, libenter nos audiunt, dum in vitia inuehimur: iudicantque id nos summa ratione agere, ac meritò conuellenda esse ac traducenda, quæ DEVM summoperè offendunt. Bonzi verò quicquid in hanc rem dicimus, ioco & risu excipiunt, atque vt nugas reiiciunt: nec erubescunt, cùm ob nefanda sua scelera reprehenduntur.

Insti-

Vestitus monachorum

Instituunt isti Bonzi in suis monasterijs multorũ nobilium filios,quos legere docent & scribere.

Quidam istorum more monachorum vestibus cineritijs vtuntur,capite, barbaq; ita perpetuo rasi,vt tertio quoque die radi videantur. Alij verò sunt vestiti sacerdotum more,atque isti illos oderunt.

Aliud genus sacerdotum.

Duo hic cerno,quæ me in admirationem nõ mediocrem rapiunt. Primum quòd grauissima flagitia nihili faciãt,cuius causa est,quod à multo tempore ijs assueuerunt, & maiorum exẽplo eadem sine scrupulo committunt. Quemadmodum enim continua negligentia in ijs quæ sunt perfectionis,vitiat soluitq; perfectionẽ:ita quoq; vitia quæ naturæ aduersantur (si in illis perseueretur) iudicium deprauant,& naturalem hominis affectum inuertunt. Secundum autem quod admiror est, laicos & idiotas rectius in suo statu viuere,quàm Bonzos in suo: & quanquàm id notum sit omnibus, nihilo tamẽ secius in maxima veneratione,& existimatione haberi.

Doctores maioribus inuoluũtur erroribus.

Erroribus multis inuoluuntur, & ij grauioribus,qui maioris sapientiæ sustinent opinionem. Sæpius eos conueni, & inter cæteros quendam, cui plurimum omnes deferebant, multumq; venerabantur, tum propter literas & vitæ rationẽ, tum propter dignitatem & grãdem ætatem:annos enim natus erat 80: dicebaturque ipsorum lingua Ninxit,quod latinè sonat Cor veritatis(nomine quidem,si vita respondisset,beatus dici potuisset) officio verò erat inter suos, vt apud nos Episcopus quispiam. Hũc dubium admodum in reb⁹ religionis,& quæ ad animæ immortalitatẽ pertinent,inueni, modò aiebat, modò negabat idem,nec dubium quin huic similes sint reliqui:

Ninxit.

me

me nihilominus amat mirificè.

Tam Bonzi, quàm seculares hactenus de nostra conuersione sibi gratulantur, mirantúrq; maximè nos è tam remotis orbis partibus, Lusitania nimirum in Iapaniam, quæ 18. miliariorum millibus distat, eo solùm nomine venisse, vt ipsis res diuinas, & viam æternæ salutis per Christi fidem demonstraremus, quod planè diuinū & vnicum Dei nunciū esse fatentur. Id refero fratres, vt Deo summas gratias agatis, quòd hic Iapaniæ populus, vt Christi doctrinā admittat, sit aptissimus: nec dubiū est, quin multi baptismatis fonti admouerentur, si linguā probè calleremus. Det Deus nobis gratiam, vt eam cito addiscamus, quam iam aliqua ex parte degustauimus, eoque profecimus, vt 40. dierum spatio, mandata Domini explicauerimus. *Quid maximè admirantur Iapanes.*

Regiones inuentæ sunt, in quibus & desideria satietatis, & multas accumuletis virtutes, præparetisq; vos ad multos propter Christi nomē subeundos labores. Meminisse verò vos oportet Deū pluris facere animum planè demissum, quo quis se, vitam, suaq; omnia ex charitate ad ipsius obsequium & gloriam offert, quàm alia multa seruitia sine hac humili alacritate. *Humilitatis commēdatio.*

Præparate igitur vos fratres, nam ante biennium plures huc euocabimini. Comparate vobis humilitatē, & omnes affectus, qui vos impugnāt, subiugate, reprimite, omnibus neruis contendite à Deo assequi eam vestri notitiam, qua intelligatis, quid præstare possitis, atque ex vestri notitia fides & spes, & in Deum fiducia augeatur; charitasque erga Christum & proximum magis accēdatur; nam ex sui diffidentia oritur vera in Deū confidentia, & hoc modo interior in nobis orie-

tur

tur humilitas,qua omni in loco opus est,maximè autem in hisce vbi dego regionibus.Stabilite,igitur vos,& vestra omnia in Domino rogo fratres, nec propria nitamini virtute, aut sapientia, aut etiam opinionibus humanis quibus muniti armis securi eritis in quibuslibet aduersitatibus quę obuenire solent,siue ea spirituales, siue temporales fuerint.

Modò Dei beneficio in humilitatis schola versamur,non mediocri enim desiderio gentē hanc iuuandi tenemur, verum cùm tanquam statuæ, linguæ ignari,inter ipsos degamus,non quantum velimus proficimus, nam sæpenumero dum nobiscum agunt,tacere cogimur.Interdum balbutientium puerorum more, paulatim loqui discimus;det Deus vt etiam simplicitatem & puritatem puerilem imitemur, omniqué malitia careamus:certè adigimur modo, vt hæc à Deo sedulò efflagitemus.

Gratitudo vocationis

Non parui muneris loco ducendum est, quòd Deus nos in has regiones adduxerit,vbi nosipsos negligere cogimur: cùm regio tota sit Idololatrarum,& hostium Christi plena,nec sit ad quem recurramus, præter Dominum nostrum Iesum Christum asylum & spem nostram & robur spiritus: amici enim qui in angustijs & infirmitatibus adesse solent, tam carnales quàm quos spiritus nobis conciliauit, hic nobis desunt:vt & alia, quæ alijs in locis nos à Deo auocant, & in ipsius propemodum obliuionem addúcũt, amorem dico parentum, familiarium, amicorum, patriam, studium accumulandi, quæ ad vitam putantur necessaria: quam quidem DEI gratiam, vt & multa alia dona, cùm attentè consideramus, confundimur sanè & Dei immensam mani-

Creaturæ a Deo plerumque auocant.

manifestamque erga nos misericordiam admiramur. Cùm huc proficisceremur, putabamus ipsius maiestati aliquid opellæ & seruitij impendere ad fidei augmentum: modò verò luce meridiana clarius, nobis ostendit, quanta nos cumulauerit gratia, dum in Iapaniam adduxit, & ab amore creaturarum liberat, qui augmentum fidei, spei, & fiduciæ in Deum grauiter semper impedire solet. Itaque propter Christi Iesu amorem adiuuate nos in agendis gratijs Omnipotenti Deo de tantis nobis impensis beneficijs, ne in ingrati animi vitium prolapsi, efficiamus quò minus liberaliter nobis deinceps sua dona impertiat. Aliud Dei beneficium adijciam, quo nos est dignatus, vt & vos in gratijs agendis iuuetis alacrius. Siquidem cibi potúsque abundantia, quæ in alijs regionibus in causa esse solent, cur malæ affectiones & appetitus pullulent insurgantque, atque sobrietatem lædant, corpus, simul & animam in discrimen vocent: hic non solùm desunt, sed si quis se delitijs & eiusmodi irritamentis dedat, non ferat regio. Sunt præterea exigui plerumque nutrimenti omnia, quibus vulgo vescuntur: interdum quidem piscibus & oriza & frumento vtuntur, sed herbis plurimum, quibus hic satis abundant, & nonnullis fructibus. Sani admodum & vegeto hic degunt corpore (vtinam etiam animo) & ad senectutem multam pertingunt.

Irritamenta gulæ desunt Iaponibus.

Sanè à Iapanensibus probè discimus, quàm pauca naturæ sufficiant, etiamsi facilè conqueratur & difficulter admodum placetur. Est præterea sobrietas hic in tanto precio, vt tametsi Bonzi (qui plurimi sunt) scelerate viuant, idq; nullus nesciat: in honore tamen sint & magni fiant, ipsisque

obtem-

Jeiunia

obtemperetur, abstinentię tantum nomine, nunquam enim carnibus aut piscibus vescuntur, sed herbis ac fructibus solis, & oriza, idque semel in die tantum, & ad mensuram, nec eo qui ex oriza fit potu vtuntur: cum mulieribus sub pœna capitis ij potissimum, qui sacerdotum modo vestiuntur, non consuescunt. Ob hæc, inquā, & nonnullas, quas norunt de rebus suę superstitionis referre, fabulas, apud populum magni fiunt, quare cùm nos tam aliena ab ipsorum nugis de DEO doceamus, fieri non potest, quin grauiter nos tandem sint persecuturi: In hoc enim sumus toti, vt gentiles istos ab erroribus ad veram Dei notitiam perducamus, speramusq; diuinā bonitatem adfuturam: ne se populus (quantum licet conijcere) nobis opponet, nec persequetur, nisi fortè importunitate Bonzorum impulsus. Curamus itaque ne ipsos offendamus: veritatem tamē de Deo & salute animarum intrepidè proponimus; cùm sciamus ipsos nihil amplius mali in nos posse, quàm Deus permiserit: & idipsum inter egregia diuinę largitatis beneficia esse annumerādum, si ob Christi amorem & animarum zelum detur occumbere, & perpetuam istam mortē in qua degimus, semel finire, ac breui temporis spacio nostris desiderijs satisfieri: vtut euenerit, veritatis legem promulgabimus, quantumcunque contradici contingat, quandoquidē obligamur, vt magis proximi salutem curemus & amemus, quàm hanc fluxam & momentaneam vitam. Hoc igitur Dei præceptū, si vires dederit, in medijs Idololatris perficiemus: & quia de nobis planè diffidentes, de Dei auxilio confisi, hoc opus aggredimur, speramus successum, Faucbit cœptis B. Virgo Mater, & totus hierarchicus Angelorum

Bonzorum abstinētia. Cœlibatus

Preclara mors sanctorum.

Auxilium Sanctorū implorat.

Idolatra idolatras instituere conatur

lorum cœtus,ducem nobis exhibens,è tot beatis ſpiritibus S. Michaelē Archangelum Principem & defenſorem militantis eccleſiæ: huic ſiquidē commiſſum eſt hoc Iapaniæ regnum , cui ob id meritò multum confidimus, vt & omnibus angelis animarum iſtarum cuſtodibus , quī apud D E V M pro Iapanenſium conuerſione , quorum ipſi ſeruatores hactenus,& duces fuerunt,intercedunt.Hos itaque, & vniuerſa ſanctorum agmina inuocamus, vt tantam reſpiciant animarum ruinam,ſemper interea ſuſpirantes pro ſalute tot animarum,quæ non minus quàm nos,ſunt Dei imagines& ſimilitudines. Speramus quoq; in Dei benignitate,noſtras negligentias & errata nihil huic negotio obſutura,verùm quæ indiligentius egimus, dum nos ſedulò diuinæ bonitati commendamus,beatos noſtrę Societatis,qui modo in cœlo degunt,ſua diligentia ſarturos cō fidimus,oblaturoſq; aſſiduò noſtra deſideria ſanctiſſimę Trinitati.Preterea fratres,oportet & vos participes reddi magnæ,qua tenemur ſolicitudinis , vt veſtris ſacrificijs & orationibus iuuetis. Cùm enim errores noſtri & peccata Deo ſint manifeſta, meritò vereri debemus,ne ſubtrahat nobis ſuam gratiam,qua ipſi cum feruore & ſedulitate magna inſeruire incipiamus , & ad finem vſque perſeueremus,quod quidem nō facile aſſequemur,niſi magna in nobis ſequatur vitæ emēdatio.Atque ideo opus eſſe putamus , vt eos interceſſores ſeu deprecatores potius diligamus, quos etiámnum viuos habet noſtra Societas , & vna cum his,ſibi deuotos & amicos, cæteroſque omnes quorum interceſſione vniuerſis cœlitibus commendemur , in primis autem I E S V C H R I S T O Domino & Redemptori

Angelorũ cuſtodum.

noſtro,& Sanctiſſimę B.Virgini ipſius matri,per hos verò æterno Patri bonorumque omnium fonti,rogantes interim vt nos, ne eum offendamus,conſeruet,nec ceſſet continuò nobis ſua impartiri dona & gratiam,attendens non ad noſtra peccata, ſed ſuam immenſam bonitatem, qua permoti, ad has venimus regiones (vt optimè nouit, cui totum cor noſtrum propoſitum,& infirma deſideria notiſſima ſunt) ad adiuuandas miſerrimas animas, quæ tanto tempore duriſſimum dęmonis luciferi iugum ferre coactæ ſunt, dum ſe ab ijs tanquam DEVS in terra coli & adorari vult, poſtquam in cœlo diuinos aſſequi honores non potuit: idque tantùm, vt ſe de amiſſo honore quantum poteſt, vindicet. Non dubium,ſi huc venerint Chriſtiani,non fide tantum, ſed vitæ probitate præditi, cum ijs, quos ex hoc regno conuertemus, admirabilia in gentilium conuerſione videbimus.

Duo Bonzi cõuerſi. Hoc anno duo Bonzi,qui Meaci & Banduuij ſtuduêre,cum nõnullis Iapanibus in Indiam, vt res fidei noſtræ addiſcant,abeunt.

Ducis in le gem affect' Ipſo ſancti Michaelis,Ducem huius vrbis conuenimus, qui multo nos honore affecit, & inter cætera ſolicitè nos monuit,vt libros quos de Chriſti lege conſcriptos,habemus, diligenter conſeruaremus,addens,ſi vera eſſet,& legitima, dæmonem grauiter perturbatum iri ,quod ſua tyrannide & dominio excideret.Conceſſit etiam omnibus ſuis ſubditis, vt Chriſti doctrinam,qui volent amplectantur,adeóque ſe fides diffundit, vt iam omnibus ſatis eſſe non poſſimus. Hæc lęta nuncia in calce adijcienda duxi,& pro veſtra cõſolatione, & vt Deo maiores gratias agatis. *Libertas Euangelizãdi.*

Occupabimus nos hac hyeme in componendis

dis explicationibus articulorum fidei,idque satis diffuse:curabimusque ea typis mandari,quandoquidem plerique omnes hæc legere norunt.Paulus suam fideliter nobis impendit operam in ijs quę componimus ad animarum salutem Iapanice traducendis Modò igitur desideria vestra manifestentur,quibus testemini vos fidos Dei seruos esse,quod fiet,si eo, quo dixi modo, humili submissoque animo præditi,omnem de comparanda apud populum authoritate,curam Deo relinquatis:tantam enim daturus est,quantā ad proximi salutem expedire iudicabit Id si non cōcedat,existimate Dei bonitatem vestrę saluti consulere voluisse,& ab eo malo liberare, quo homines aliquando sibi,quod Dei est, attribuere solent. Sed hoc me cōsolatur quod forè confidam, vt semper plurima in vobis quæ reprehendatis sitis conspecturi,atque ex hac consideratione vēturi in summum vestri odium,& amoris proprij immoderati,inordinatique contemptum,simúlque tantam perfectionem adepturi,vt pauca quę in vobis reprehendat mundus,inueniat, ipsiusq; laudes vos cum magno fastidio audiatis, considerātes in ijs ipsis clarè proprios defectus.Finiam igitur tandem , vix sciens epistolæ modum , ob charitatem magnam qua in vos omnes & singulos feror. *Sui notitia uitia reprimit.*

Sanè si amantium in Christo animi in præsenti vita videri possint: credite mihi fratres charissimi,clarissimè vosipsos in mente mea conspecturi essetis: & si fortè propriam imaginem non agnosceretis , id non aliundè proueniret , quàm quod vos tāti faciam:ipsi verò, qua estis virtute prędit,vestri cōtēptores,& ob magnā humilitatē vos ipsos nō agnosceretis , tāetsi ipsissimę species *Charitas.*

vestræ in animo meo & corde impressæ sint.

Rogo vos plurimum, vt veri amoris vinculo semper vniti, nihil in animis vestris amaritudinis suboriri permittatis: conuertite partem vestri feruoris, in amorem mutuum, partē in desideria multa pro Christi nomine & amorē tolerandi, superādo in vobis ipsis, quæ hisce virtutibus aduersantur, nec permittunt hunc verum amorem pullulascere, potissimum cùm audieritis Christū dicētem, hoc signo cognosci suos seruos & discipulos, si se mutuò ament. Det Deus vt suā sanctissimam voluntatem, & gratiam in animis nostris sentiamus efficacem, eaq; omnia perfectè quæ vult exequamur.

Congaximæ 5. Nouemb. 1549.

Totus vester in Christo
Iesu Domino nostro.

Franciscus Xauier.

EXEMPLVM LITERARVM
R. *Patris Francisci Xauieri ad eos qui de eadem sunt Societate in Europa.*

An. 1552.

Pax

Pax & gratia D. N. Ieſu Chriſti ſint ſemper in cordibus noſtris, Amen.

Epiſtola. 4

SALVI & incolumes in Iapanenſe Regnum appulimus, 13. Calend. Septemb. An. 1549. nauimque ſumus egreſſi Congaximæ, quæ patria eſt eorum Iapanenſium, quos eò nobiſcũ aduximus. Gauiſi ſunt admodũ gentiles, verba diuinæ legis audientes iis in locis inaudita, atque incognita. Eſt autem Iapanenſe hoc regnũ ampliſſimum, vndequaque mari circũcinctum, vnica tantum lingua vtuntur omnes, quæ haud difficulter addiſcitur. Nonus (ni fallor) vel decimus nunc agitur annus, ex quo Luſitanis, totum ferme terrarum orbem longa, nec minus periculoſa nauigatione obeuntibus, hæ Iapanenſes Inſulæ primum innotuerũt. Incolæ viri ſunt magnæ exiſtimationis, ſpectatæque authoritatis, in rebus bellicis, equitatu præſertim, nullos omnino ſecũdos ſe arbitrãtur: quapropter & reliquos præ ſe populos vilipendunt: arma plurimi faciũt, multumque iis confidunt, neque vlla de re tantopere ſeſe iactitant, eoque magis, ſi vel auro, vel argento affabre ornata ac elaborata ſint: Gladiis ac pugionibus perpetuò tam pauperes, quàm nobiles, tam domi quàm foris à 14. ætatis anno ſub capite repoſitos aſſeruant, iniuriarum ſunt impatientiſſimi, nec contemni ſe vllo modo ferũnt, Iaculandi peritia cæteris facilè nationibus antecellũt, pedites dimicãt, licet quos cõſcendãt equi nõ deſint. Morũ ciuilitate ſunt inſignes, ea tamẽ erga peregrinos, quos præ ſe contemnunt, vtuntur minimè. In armis, veſtitu, & famulis, quicquid habent

Deſcriptio Iapaniæ per digreſſionem.

Iapania à Luſitanis anno 1543. inuenta.

Iapanenſes bellicoſi.

Mores & conſuetudines Iapanenſium.

habent, insumunt, nullos thesauros coaceruant. Sūt apprimè bellicosi: & quia semper in militia viuunt, vnicum habent Regem, tametsi iam inde à centum & quinquaginta annis ei non paruẽrint: hac etiā de causa perpetuò armis inter se decertāt. Est porro in hoc regno Iapanẽsi ingens tā virorū quàm fœminarum multitudo, qui religionem profitentur. Viri ab indigenis Bonzi nuncupati, in duplici sunt differentia, siquidem alij Griseo, alij Nigro vestiuntur: inter vtrosque parum conuenit, his enim illi diras imprecantur, quos & indoctos esse, & vitam omnium flagitiorum turpitudine contaminatam degere asserunt. Bōzarum item aliæ Nigro, aliæ Griseo insigniuntur, illæque viris eiusdem coloris, quo sunt indutæ, parent. Incredibile penè est, quantus sit horum in terra Iapanensi numerus. Accepi à viris fide dignis (quotū authoritati ob ea quę ipse post modū vidi, facilè subscripserim) ducẽ esse, in cuius ditione octingenta plus minus monasteria vtriusque sexus reperiantur: quorum singula non minus triginta personas alunt. Præter hæc & alia inuenies plurima, quæ quatuor, sex, aut octo personas sustentant. Quas profitentur leges, è Sina antiquitus allatæ sunt. Scripta hominum quorundam asseruant, qui vno, vel vt alij fabulantur, duobus, tribúsue annorum millibus in summo totius vitæ rigore & asperitate pœnitentiam egisse dicuntur: horum nomina sunt Xaca, & Ameda. Fuerunt & huius farinæ alij plurimi, sed hi duo præcipui, velut coriphæi, omnium sententia & opinione constituuntur. Nouem habent legum maximarum inter se discrepātium genera, integrumq́ue passim omnibus est vtriusque sexus, vt pro sua quisque libidine, quam velit, legem secte-

Religiosi Iapaniæ Bōzi & Bonzæ.

Ingẽs Bonzorum & monasteriorum numerus.

Ex Sina leges suas habent.

Authores religionis.

Religionis varietas.

ſectetur: Itaq; familias licet reperire plurimas,in quibus vir vnã,vxor aliam,aliam filij ſectam colunt atque ſuſcipiunt,vt verè dicere poſſis, quot capita, tot ſenſus. Quamuis autem hæc legum diuerſitas, aut mutuum animorum conſenſum, aut concordiam pacemque domeſticam non labefactet aut conuellat,cùm in religione deligenda,ſuo quiſque, non alieno vtatur iudicio: agitantur tamen non rarò ſeditionibus inter ſe, quin & armis decertant, dum ſuam ſinguli cæteris omnibus legem anteferre contendunt. *Seditionis cauſa.*

Nulla penitus nouem ſectarum, aut creationis mundi,aut animarum quicquam meminit. Profitentur quidem omnes Infernum eſſe & Paradiſum, verùm nulla poteſt, in quem hæc duo finem condita ſint: multò vero minus, quibus de cauſis homines ad inferos deturbentur coniectare. Nugantur tamen in ſuis ſcriptis de nonnullis, quos & infernum cum paradiſo condidiſſe,& vno, duobus, vel tribus annorum millibus pœnitentiam egiſſe dictitant, vt nimirum ſupplerent aliorum hac in parte defectum, quos aut rarò, aut nunquam vitæ anteactæ,commiſſorumque facinorum pœniteret: quò vel ſic tandẽ aliquid ſpei conſequendæ ſalutis talibus reliquũ facerent: eos igitur confidenter & citra vllam animi hæſitationem harum ſectarum primos authores inuocârint, in ipſos tanquam in ſacram anchoram, omnem ſalutis ſpem collocantes, non ſolùm ab omnibus calamitatibus & ærumnis liberari aſſerunt, verum ex ipſis inferni penetralibus reuocari. *Inutilis & uana de paradiſo & inferno Iapanenſium ſententia.* *Iapanenſiũ uana ſuperſtitio de ſuæ religionis authoribus.*

Variæ atque multiplices ab hoc hominum genere fabulæ pro veris miraculis recenſentur: quas ſi oẽs hic ſermone cõplecti vellem,fines &

Præceptorum numerus. *Præcepta 5. necessaria.*

modum excederem, quare ijs prætermissis ad alia pergo. Sectarum alię trecenta, alię quingenta pręcepta numerant, communi tamen cōsensu asseuerant omnes, omnibus quinque esse necessaria. Quorum primum est, non occidere, nec aliqua re vesci, quę morti sit obnoxia: secundum, non furari: tertiū, non adulterari: quartum, non mentiri: quintum, à vino abstinere. Bonzi & Bonzę dum hęc pręcepta pro concione statis diebus declarant, vafrè persuadent neminem hęc pręcepta obseruare posse, propterea, quòd in mundo adhuc versentur: paratos igitur se offerunt, totum istud malum, quod in pręceptis non obseruandis populus committit, in se suscipere, ea tamen lege, vt sibi de monasterijs, prædiorum fructibus, pecunijs, alijsque ad vitam necessarijs à populo prospiciatur, ac summus honor deferatur. Cæterùm non grauatim huic petitioni subscripserunt optimates, quò videlicet omni exempto peccandi scrupulo (vt nemo non licentia sit deterior) voluptatibus diffluerent, indulgerent genio, aliaque nefanda flagitia perpetrarent licentius.

Bonzorum fraudes, & peruersum in aliorum bonis occupandis cōsilium.

Impia Bonzorū licentia.

Habētur itaque Bonzi in magna existimatione & honore, eoq; magis, quòd populus omnino sibi persuasum habet, & penes eos potestatē esse, animas vel ex ipsis Orci faucibus reuocandi & eripiendi, cum se illi omnium nomine mandata seruaturos, precesque recitaturos obstrinxerint, eosque extra oēm dānationis aleam positos esse affirmēt, quāuis longè grauissima peccatorū, quę cōmiserunt, committuntque indies, mole premantur. Pauperibus tamen oēm consequendi salutis spē adimūt, quippe qui nihil, quod Bōzis elargiantur, habēt. Quin & mulieres quinq; mā-

Bonzorum conciones.

Bonzorum de mulieribus opinio.

data

data transgressas vix seruari posse docent, cùm quæuis mulier plus criminum habeat, eorum arbitratu, quàm omnes in vniuerso mundi ambitu viri: tamen & Bonzorum intercessione & larga eleemosynarum elargitione rem tam immundam seruari posse. Asserunt item quòd qui magnam pecuniam in Bonzos, dum hac luce mortali fruuntur, elargiti fuerint, recepturos decuplum eiusdem prorsus monetæ in altera vita, vt variis rerum vsibus necessitatibusque illic obuenientibus subuenire possint. Vnde efficitur, vt plurimi vtriusque sexus ingentem nummorum copiam Bonzis elargiantur, vel concredant potius, & chirographum à Bonzis, velut certum huius rei testimonium accipiunt, quod cùm ex hac vita migrant, vnà secum terræ mandari volunt, arbitrantes certò certius, etiam dæmonem huius virtute perterritum fugari. Vt demum paucis multa complectar, meras deceptiones & imposturas populum docent Bonzi. Est sanè res omni commiseratione dignissima, videre quantam apud omnes passim authoritatem obtineant, quantáq; reuerentia prosequatur plebecula eos, qui nullis vel minimum largiuntur, cùm ab omnibus plurima recipiant, & mille artibus ab inerti vulgo circumuento pecunias eliciunt, quas hic breuitatis gratia prætermitto.

Peccata eleemosynis expiari putant.

Paulus concionibus suis quas multas Congaximæ habuit, parentes Christo lucrifecit: quin & alij plurimi, adeoque omnes ferè incolæ Christianam professionem suscepissent facile, nisi Bonzi, pessimum genus hominum, multa conatibus nostris impedimenta obiecissent. Detulerũt illi nostros ad eius regionis ducem amplissimum, minitantes fore breui, vt & prouincia tota funditus euer-

Bõzi prohibẽt populi conuersionem.

Mulieres aegre seruari

Litera indulgentiaria

Similes Jesuitis

euerteretur, & deorum fana solo adæquarentur, si impunè subiectos Christianam religionem cum suis legibus ex diametro pugnantem, amplecti fineret. Addiderunt etiam, quòd qui nomina Christo darent, perdituri essent omnem deuotionem & amorem, quo prius erga sanctos legum suarum conditores afficiebantur. Extorserunt tandem à duce, vt capite plecti edicto publico iuberet eos, qui Christianæ se religioni addicerent. Rebus ergo hoc modo constitutis, annum hic longè minori fructu, nec sine periculo exegimus, occupati tam instruendis, quàm confirmandis neophytis, linguáque addiscenda, transferendis item in Iapanensem sermonem quibusdam è lege nostra ad mundi creationem spectantibus, additis nonnullis commentariolis non minus vtilibus quàm necessariis, quæ partim explicabant vnum esse rerum omnium Deum, partim mysteria vitæ Christi ab assumpta natura humana vsque ad eius in cœlos ascensum complectebantur, cum breui quadam, etsi lectu non indigna extremi Iudicij enarratione. Quæ sanè omnia non absque ingenti nostro labore in linguam Iapanensem transfusa, characteribus nostris exarauimus. Eum librum recens conuersis legebamus, vt quo ritu Deus cum Iesu Christo vnigenito filio colendus ac adorandus esset, intelligerent. Non mediocriter, tam Christiani quàm gentiles hac lectione recreati sunt: ita vt ingenue ipsissimam (quod aiunt) veritatem fide nostra contineri asseuerarent. Sunt enim singulari quadam perspicacia ingenij, mentisque acumine præditi, neque grauatim suum rationi iudicium submittunt. Deterruit plurimos ducalis edicti seueritas

Capitis sententia fertur in eos qui Christũ amplectuntur.

Libelli de Christiana doctrina edũtur.

Modus cõseruãdi cõuersos & alios adiuuandi.

Iapanẽses ingeniosi-

ritas, suppliciique capitalis in transgressores lata sententia, quò minus nostræ se religioni adiunxerint, cùm tamen fidem nostram veram esse, suamque falsam ac falso excogitatam minimè ignorarent. Euoluto anni spacio, cùm videremus eius terræ ducem nulla ratione adduci posse, vt nobis Christianæ fidei mysteria propalandi potestatem faceret, illinc discessimus, nosque digredientes Christiani indigenæ multis sunt prosecuti lachrymis, ob singularem quem in nos conceperant amorem, pro accepto beneficio immortales agentes gratias, quòd videlicet ad immortalis Dei notitiam opera nostra essent prouecti. Mansit illic Paulus Iapanensis, verus Christi miles, vt Christianos, quæ fidei sunt orthodoxæ, explicatius doceret. In aliam deinde vrbem profecti, ab eius loci Domino omnibus humanitatis officiis excipimur, vbi, etiam post paucos dies exactos, decem personas Christo baptismatis sacramento ablutas adiunximus.

Conuersorum gratitudo.

Princeps Xauerium humane excipit, ac Christũ annunciari patitur.

Interea temporis vnus nostrum Iapanensem linguam perdidicerat, qui partim concionibus habitis, partim lectione libri supradicti, non paucos Christo Domino acquisiuit, relictusque est ibidem cùm neophytis Christianis Cosmas Torrensis, ego verò & Ioannes Fernandez ad amplissimam ciuitatem Amanguccum, potentissimo cuidam Principi subiectam proficiscimur, quæ 100000. domos ex lignis tantum constructas habere dicitur.

Amanguccum urbs 10000 familiarũ, auide audit Euangelizantes.

Illic plurimi tam nobiles quàm populares, cupide, quam legẽ doceremus, scire desiderabãt, vnde cõmuni decreto statuimus, bis dieb⁹ singulis in plateis & compitis concionem nobis esse habendã, quæ absolueretur partim lectione libri in

Iapa-

Iapanense idioma traducti, partim nonnullis explicationibus ad lectionem accommodatis.

Nobiles Christi legē probāt.

Magnus fuit hominum ad cōciones nostras confluentium concursus, nec rarò primates, aliiq; nobiles viri nos accersendos curarunt, & tam fidei, quàm concionum nostrarum sibi rationem reddi postulabant, pollicentes, quòd ad religionem nostram animum adiicere, illamque, relicto errorum labyrintho, amplecti vellent, si modò suis legibus præstantiorem nostram probaremus.

Irrisio infidelium in Christianos cōcionatores.

Plures sibi à nobis satisfactum, haud obscuris significabant argumentis, cùm interim alij vel nos irriderent, vel inuidię stimulis agitati, iniquo ferrent animo, quòd in cōpitis concionaremur. Pueri & reliqua populi colluuies sibilis & cachinnis nos explodebant, vociferantes: Hi sunt qui dicunt Deum à nobis adorandum & colendū esse, vt nos seruet, neque aliud quicquam nos seruare posse, præter rerum omnium Conditorem. Alij clamabant: Hi sunt, qui virum vnica vxore contentum viuere debere asserunt. Sicque sigillatim singula nostra legis mandata suggillabant, quò vel sic maiorem in nos ignominię notam inueherent. Post dies plurimos quibus strenuè ac indefesè concionibus domi quàm foris habitis insudatum fuerat: accersendos nos ad se curauit Dux Amangucci qui tum fortè illic agebat, multaque ex nobis sciscitatus est; videlicet, cuiates essemus, & quæ nam causæ nos ad eam traduxissent vrbem. Cui ego in Iapaniæ regnum nos venisse refero, vt legem Dei viuentis illis locis incognitam promulgaremus, cùm nullus salutis æternæ compos fieri possit, qui Deum Opt. Max. eiusque filium Iesum Christum ignoraret. Iubet ille hanc sibi fidem enodari. Prælecta est illi bo-

na

na pars libri translati, quam postquam nõ æquis tantum auribus, sed & lubenti attẽtoque animo, per vnius fermè horæ spatium audiuisset, missos nos fecit, nec aliud tum quicquam effectum est. *Dux Amãguci legem attente audit.* Mansimus hac in vrbe diebus plurimis, concionibus & lectionibus intenti. Libenter multi vitam Christi audiuerunt, nec sine consolatione singulari, adeò vt multis lachrymę sint excussæ, præsertim cùm ad passionis mysteria peruentum esset. Cùm verò hic paucos ad Christi fidem accedere animaduerteremus, nullumque vel exiguum saltem fructum promanare pro summis laboribus nostris, statuimus aliam vrbem, eamque totius Iapanensis prouinciæ primariam, petere, quæ Maiacum vulgò nuncupatur. *Maiacũ Iapaniæ caput.* Totum hoc iter spatio duorum mensium confecimus, nõ sine præsenti vitæ nostræ periculo, cùm ob bella diuersa, quæ tum temporis in iis locis gerebantur, tum etiam ob prædones passim grassantes, *Prædones* nec non propter rigidissima eius prouinciæ frigora. Illuc tandem appulsi, diebus aliquot laborauimus, vt ad Regem pateret nobis accessus, vt *Ingentia frigora.* ab eo impetrata facultate citra molestias legem diuinam promulgaremus. Sed frustrà: minimè enim Regis mandatũ expectare profuit, cùm subditi à Rege defecissent. Itaque tẽtare per nos cœpimus, si fortè quis verbi Dei capax esset. Sed & id frustrà, propter imminentis belli rumorem.

Fuit hæc vrbs Maiacum quondam maxima, nũc autem maiori ex parte deuastata est. *Vrbis Maiaci vastitas.* Sunt qui dicunt olim centũ & octoginta millia ædium habuisse, quod, quantum ex ipsius situ & amplitudine licet colligere, verè mihi dicere videntur: & quanquam (vt dixi) magna ex parte combusta, deuastatáque sit, numerus tamen ædium ad

100000

100000. plus minus manet.

Cùm itaque ibi omnia extrema quæque minarentur, nec in turbata pace euangelio locus esset, mutato consilio, Amanguccum reuertimur. Gubernator interim forte Goensis, & Episcopus literas nobis ad ducem Amangucensem dederant, cum munusculis quibusdam in signum beneuolentiæ. Qui certè beneuolè munuscula cum literis accepit, & pro officio liberalissimè vicissim auri argentique pondus non minimum obtulit. Sed nos planè nihil, præterquam hoc vnum, vt Euangelium tutò in regionem illam liceret inferre, postulauimus, quàm vnam, si vellet, nobis gratiam referret. Retulit certè, remque hanc nobis gratissimam, non solum concessit, sed suam quoque authoritatem adiunxit, ac veluti scitum, per publicum præconem proclamare iussit, liberam cuique posthac transeundi ad fidem Christianorum facultatem esse.

Literæ ad Ducem Amanguccẽsem.

Dux Amãguci cõcedit ut suis Christ' annuncietur.

Dedit præterea Præfectus nobis monasterium quoddam in modum Collegij, extructum, quod inhabitare cæpimus, & fidei Christianæ doctrinam Amangucci in dies singulos bis populo exponere: deinde bona temporis pars disputationi data est, qua ipsi aut suas quæstiones opponebant, aut, de quibus non satis erat explicatum, rogabant: nobis verò ad omnia continuò erat respondendum, nec agendum aliud. Tantus sanè erat omnium confluxus, vt domus nostra perpetuò quasi referta populo fuerit, imò verò frequenter tantam multitudinem non ceperit. Nec ipsi à rogando desistebant, quousque clarius aliquantò ex responsis nostris intelligerent suarum legum vanitatem, & nostræ fidei solidam veritatem.

Maximus gentiliũ ad conciones concursus.

Disputant gentiles.

Ali-

Aliquanto tempore, quòd suis quæstionibus negotij certè non parum nobis fecerint, paulò tamen pòst acquieuerunt, & ij maximè, qui antea tum in concionibus, tum disputationibus vehementissimè pro viribus nobis aduersabantur. Qui verò Christiani sunt effecti, maiori ex parte nobiles erant, & magno deinceps studio Societatem dilexerint, diligenter ad nos deferunt, quicquid gentilium legibus (sunt autem eę nouem, admodum inter se discrepantes) continetur. Quibus perspectis, probationes quærimus, ad euincendam legum istarum, opinionumque falsitatem. *Conuersi gentiles.*

Quotidie igitur leges ipsorum oppugnauimus tam interrogationib⁹, quàm argumẽtis, nec potuit ad ea vel hiscere quisquã, vel Bonzorũ vel Bõzarũ, vel si qui alij hic sunt fidei Christianę hostes. Christiani recens conuersi, ob id gaudebant, faciebantque indies prouentum non pœnitendum. Gentiles etiam qui disputationibus intererant, magis magisque à suis legibus atque perfidia auertebantur. *Bonzi conuicti de suarum legum falsitate.*

Videntes Bonzi tot à patria religione deficere, inuidiæ stimulo perciti grauiter incessebant conuersos, quòd sanctorum suorum contemptis legibus & proculcatis, Christum sequerentur. Responsum à Christianis est & Catechumenis, primum legem hanc Christi sibi veriorem multò, rationique magis consentaneam videri, & idcirco se hanc amplexos esse: tum, Christianos rerum suarum rationes & causas adferre, cùm ipsi interim, si quod de religione argumentum proponitur, penitus obmutescant. Verum id mirum videtur, gentiles hosce (quod etiam anteà dixi) nullam in libris suis, quos de religio-

religione conſcriptos adſeruāt,de creatione mū-
di mentionem habere,aut ſolis,aut lunæ, ſtella-
rum,cœli,terræ,maris,&c. Sed arbitrantur hæc
non aliundè,quàm à ſeipſis ortus principiū ſum-
pſiſſe.Quare quæ de rerum creatione à nobis ge
neratim dicebantur,ſumma cum admiratiōe au
diebant,maximè quòd etiam animas eundem
creaſſe & amare intelligerent : ac eo maior erat
omnium admiratio , quo minus antea de crea-
tore ſcire aliquid potuerant, aut vnquā tale quid
in hiſtoriis erat auditum.Imò verò ſi vniuerſa re
rum natura ab vno creatore producta fuiſſet, ar-
bitrabantur Synenſes id(qui peritiſſimi habētur,
tam in his quæ ad religionē, quàm quæ ad rem-
pub.bene gubernandam ſpectant)minimè latere
potuiſſe.Multa ſciſcitabantur à nobis de eo prin-
cipio,bonum ne eſſet,an malum. Præterea ſi v-
nicum eſſet tātum bonarum rerum principium,
an bonarum & malarum ex æquo? Reſpondi-
mus vnum tantum eſſe ſummè bonum,citra ma
li alicuius participationem.Hoc putabant impoſ
ſibile. Si enim Deus, inquiebant,ſummè bonus
eſt, quomodo dæmones peſſimos,generíque hu-
mano infenſiſſimos hoſtes creauit? Diximus na-
tura bonos fuiſſe, malitia verò propria deprauа-
tos,in eas pœnas quas nūc luunt,æternumq; luēt,
incidiſſe. Atque(inquiunt) cum ſumma bonitatè
tanta crudelitas eſſe non poteſt, vt miſericordiæ
omnis immemor,propter vnicum lapſum æter-
nas pœnas infligat.Deinde ſi,vt aſſeritis, hominē
quoq; creauit,cur tentari eum à demonibus per-
uerſiſſimis patitur,preſertim cùm ideo crearit,vt
per ipſum honoretur,& laudem ferat? Addebant
etiam:quomodo bonus eſſet, qui homines miſe-
ros adeo,ac imbecilles,promptiſſimoſq; ad omne
malum

Bōzi creatione rerū ignorant.

Synēſes cæteris peritiores, a quibus alij ſuas leges accepĕrūt

Quæſtio de principio rerum

Quid de diuina Iuſtitia iudicēt Iapanēſes.

malum fecerit, quos absolutissimos fecisse oportebat? Atqui non hæc tantum inconsultè ac perperam egisse Deum affirmabant, verùm etiam infernum omnium malorum pessimum creasse, longeque teterrimum, vt nulla misericordia erga damnatos moueretur, quin potius in æternũ torquendos relinqueret. Prçterea quomodo fieri possit eum bonum esse, qui legem illam decem præceptorum tulerit, obseruatu longè difficillimam? Quare ex his, multisque aliis constare dicebãt, legem illam quam hactenus obseruârant, pietatem maiorem & misericordiam præ se ferre, cùm vel ex ipsis inferni faucibus se liberãdos promitteret, intercessione suorum legislatorum: nos verò contrà, nullam in inferno redemptionem esse diceremus.

Cur suã legẽ nostræ putẽt præferendam.

His aliisque multis eorum quæstionibus propositis (Deo iuuante) à nobis satisfactum est, vt non parum nostris responsionibus contenti discesserint. Sed hoc admiratione mihi dignum videtur, homines Ethnicos conuictos çquo animo cedere, & rationi parere, adeóque studiosè cognitionis & sciẽtiæ cupiditate trahi, vt prius ab inquirendo non desistant, quàm rem probè intellexerint, atque responsa nostra aliis non cessent enarrare.

Ignorabant mundum esse rotundum, ignorabant solis cursum, ignorabãt causas Cometarum, Planetarum, grãdinum, similiumque rerum, quæ vt diligenter à nobis explicata, ita ab illis excepta sunt, summa cum alacritate. Quo factum est, vt magnam de nostra eruditione opinionem conceperint, nobisque in disputando maior authoritas parta sit. Solebant antequam quisquam nostrum huc veniret, etiam inter sese

Ignorãtia gentilium.

dispútare de suis sectis,quæ nam ex omnibus esset præstantissima,& cæteris anteferenda:quas sanè altercationes deinceps omiserunt, solam Christi legem animo voluentes.

Res erat admiratione digna , videre passim per domos & compita tantæ ciuitatis homines magno studio de recens accepta fide ac legibus agere.Infinitum esset omnes hic omnium quæstiones asscribere. Erat autem inter nouem sectas, quæ negaret animorum immortalitatem, omnium pessima habita, ac sectatores habuit vt plurimum nebulones & scurras. Hæc etiam infernum planè explodebat.

Scurræ gẽtilium immortalitatẽ animorũ negãnt.

Post multas demum habitas interrogationes ac quæstiones , intra duorum mensium spacium 500. plus minus baptismi sacramento Christo sunt consecrati:& plures indies Christo laus,consecrantur.Cognouimus sanè ex his,qui fidem susceperunt,versutias & technas Bonzorum , sectarumque aliarum , quibus miserè populo imponunt,quas certè , absque illorum opera non ita facile fuisset indagare.Singulari nos amore diligunt , vt vel hac vna in re fidei synceritatem agnoscas. Cæterum non parum negocij fuit,antequam baptismum admitterent in eximendo quodam scrupulo , quem ex iis quæ de summa Dei bonitate à nobis dísserta erant,conceperant. Nam misericordem Deum esse negabant, quòd ante aduentum nostrum sese illis non reuelasset: ita vt,si verum esset quod dicebamus, nullus salutem æternam sperare potuerit, qui illum antea non coluisset.

500.Baptizati.

Quã sacra religionis Bonzorum mysteria.

Disceptatio de Dei bonitate.

Certè crudelitatis id esse non pietatis , quòd priores vt voluit vera sui cognitione carere , ita etiam omnes in infernum detrusit.

Hic

Hic ſcrupulus maximè illos remorari videbatur, quò minus Deum hunc adorarent. Sed placuit diuinæ bonitati, etiam hoc malo exemptos, veritatis capaces efficere. Adduximus rationes varias, quibus probaremus, diuinam legem, omnium fuiſſe primam, nec Iapanenſes olim latuiſſe, illicitum eſſe occidere, furari, falſum dicere teſtimonium, aliáque innumera contra Dei præcepta committere, ſciuiſſéque ea omnia antequam Sinenſium leges in Iapaniam eſſent allatæ, idque abundè teſtatum fuiſſe conſcientiæ vermem & remorſum, qui ob malum perpetratum animum arrodebat perpetuò, ſcriptam proinde legem in cordibus à malo declinandum cenſuiſſe, bonumque faciendum, ita vt decem mandatorum cognitionem habuerint gentes, à nullo mortalium præter quàm Deo Optimo Maximo inſtructi, edoctique.

Quòd ſi adhuc anxij hæſitarent, experirentur in aliquo fero & agreſti homine, qui aut in montibus, aut ſyluis educatus, literarum imperitus, & legum Synenſium eſſet ignarus, quem interrogarent, num perpetrare homicidia, furta, aliáque enormia crimina, licitum eſſet, an non: atque eius reſponſo agnoſcerent legis diuinæ notitiam à natura ineſſe. Quòd ſi in feris ac beluinis propemodum hominibus ſit hæc notitia, quantò magis in liberaliter inſtitutis & prudentibus? Ex quo concludebamus, priuſquàm lex illa à Deo ederetur, voluntatem eius hominum cordibus inſculptam fuiſſe. Hac ratione conuicti, libenter acquieuerunt, omniqúe ſcrupulo prorſus abiecto, facilius Chriſti iugo ſeſe ſubmiſerunt.

Bonzi nobis ſunt longè infenſiſſimi, quòd eorum fraudes & mendacia detegimus.

Nam populo imponentes perſuadebant quinque præcepta obſeruari non poſſe: quare obſtringebant ſe ea pro plebe ſeruaturos, hac lege tamen, vt neceſſaria ſuppeditarentur, & honor deferretur: quin etiam ex ipſo inferno, ſi qui eò deſcendiſſent, erepturos. Nos contra docebamus, redimendi in inferno ſpem nullam eſſe, neque quenquam à Bonzis inde liberari poſſe.

Hac noſtra ratione pacati ſunt, & conciliati nobis Iapanenſium animi, ita vt ingenuè faterentur ad id vſque temporis ſibi à Bonzis impoſitum fuiſſe. Effectum eſt tandem (Deo ſit laus) vt vel ipſi Bonzi negare non potuerint, quæ de inferno à nobis diſſerebantur, ſeque animas è pœnis eripere non poſſe: imò fatebantur, ſe animas ab inferni cruciatibus liberare poſſe, non alia de cauſa prædicare, quàm ne ſibi ad vitam ſuſtentandam neceſſaria deeſſent.

Succeſſu verò temporis magis magiſque deficere cœperunt ſolitæ in eos largitiones, & ipſi in honore eſſe deſierunt, ita vt viles & abiecti domi cum inedia conflictarentur. Ingens ſanè controuerſia de inferno inter nos & iſtos Bonzos orta eſt, eoque euecta, vt exacerbatos eorum animos vixdum mitigatum iri, odioque ſopito gratiam iniri poſſe ſperemus.

Plurimi tum viri, tum fœminæ huius ſectę habitu reiecto, ad communem vitam rediêre, produntque Bonzorum verſutias, qui adhuc in ſua veſania perſeuerant. Vnde eorum res in Amanguceo quotidie in anguſtum redigũtur, omnémque fidem apud ciues amittunt. Retulerunt mihi Chriſtiani breui fore, vt multa Bõzorum Collegia,

legia,quæ centum hac in vrbe numerantur, ob elemosynarum defectum intereant.

Antiquitus Bonzos & Bonzas, si quando quinque illa mandata transgrederētur, capite plectebat Præfectus Prouinciæ, seu homicidium id esset quod patrassent,seu fornicatio,seu furtum,seu vetitorum esus. Verum abolita iam est hæc consuetudo,& vsus versus in abusum, vt non modò publicè vinum bibant,piscibus vescantur, mentiantur,verùm etiam impudentissimè fornicentur,pueros impuri alant, ac ne vereantur quidem hæc publicè prædicare, peccatum esse negantes. Ex populo plerique eisdem criminibus detinentur,ad tam preclarum scilicet istorum hominum exemplum, magistros enim plurimum sequũtur discipuli. Mulieres assiduè apud eòs versantur,tanquam famulorum vxores,hortis & agris excolendis deditæ. Sed nec offendit plerosque eiusmodi conuersatiò, quæ sine maiori familiaritate esse non solet. Inuisunt vltrò citroque Bonzi Bonzas, & hæ illos. Nec desunt qui dicant has herbis tum conceptum impedire,tum abortum procurare. Nec mirum equidem tam enormibus flagitiis implicari, qui à Dei notitia planè desciuerunt, Cacodæmones amplectuntur, venerantur,colunt.

Iapanen. in orationib⁹ coronis vtuntur.

Omnes in vniuersum Iapanenses in orationibus,longis coronis (quas vocant) vtuntur: constant autem centum & octo sphærulis, & dum orant, ad singulas eius quam sectantur,sectæ authorum & principum nomen exprimunt. Quibusdam etiam sphærulas quasque murmurando frequentius percurrere, peculiaris religio est. Qui verò sectarum præcipui habentur & authores, sunt Xaca & Ameda.

Bonzi & Bonzæ fuluo colore insigniti, cum potissima populi parte Amedan sequuntur: qui verò nigro, & hunc & Xacan: potissimum verò Xacan cum aliis multis.

Curaui, quanta potui diligentia, explorandum, quid de illis cognosci posset, sapientésne hi, aut philosophi insignes fuissent, simulque rogaui Christianos, vt vitas eorum scripto ad me referrent. Deprehendi itaque ex ipsorum scriptis homines non fuisse, nam mille, aut duo annorum millia vixisse dicebant: Xacam verò etiam tria annorum millia in vita fuisse: quibus accesserunt multa non minus absurda: vnde colligere facilè erat, non homines olim extitisse, sed meras cacodæmonum illusiones & præstigias.

Oro, obtestorque omnes, si qui literas has lecturi sunt, Dei misericordiam auxiliumque implorent, vt nobis singulari sua gratia velit adesse contra hos dæmones Xacan & Amedan: ac deuictos dedat ad maiorem suę bonitatis honorem. Imminuitur interim indies magis magísque eorum fides & authoritas.

Vir est in hac vrbe apprimè nobilis, qui inter alios studiis nostris maximè fauet, nec minorem ipsius vxor in nos beneuolentiam declarat, quò citra impedimentum vllum Christi fides spargatur. Siquidem vtrique non parum placuit nostra religio, neuter tamen eam suscepit, quod multa Bonzorum collegia propriis sumptibus erexerint, & redditibus dotarint, vt singulariter pro se apud Amedan (cui se totos deuouerant) intercederent, atque ita ex omnibus huius vitæ malis erepti, illam vitæ fœlicitatem, qua illum frui putant, consequerentur: quòd si modò hanc nostram fidem susciperent, frustra omnes

Monasteria in eundem finem apud Chinos quae apud Christianos edificata

illos sumptus impensos esse. Credunt enim certò certi is recepturos se decuplum omniũ quæ elargiti sunt, in altera vita, expectantque ibi ingentem suarum largitionum frugem, & existimant cibo, potu, vestitu, aliisque ibi etiam opus esse, illosque maiori in honore futuros tum apud Xacam & Amedam, tum apud alios, qui diuitiis etiam reliquis antecelluerint.

Hæc & alia id genus sexcenta docebant Bonzi, qui eodem tempore nobiscum concionabantur. Calumnias suas in frequentissima concione euomebant, tum in nos, tum in legem nostram: imò Deum ipsum hactenus incognitum & inauditum fuisse: nec fieri posse, quin pessimus dæmon sit, quem nos sequeremur. Quare sibi à lege nostra cauerent: fore enim vt Iapanensium regio funditus intereat, quocunque momento Deus noster adoretur.

Nomen quoque Dei perperam interpretabantur, malitiosè id torquentes ad suam linguam, quasi idem esset Deus & Dain, quòd mendacium magnum sonat: ac proinde nos fugerent non minus quàm venena, aliisque contumeliis Deum & fidem nostram incessebãt, quas tamen ille pro insita sibi bonitate in optimum conuertit. Quantò enim ipsi magis debacchabãtur, tantò nobis maior fides habebatur, pluresque Christum agnoscebant. Nec enim latuit ipsos ex inuidia magis quàm veritatis amore tantas tragedias excitari. Non parum operæ & laboris adhibui, vt scirem si antea vnquam Iapanenses aliquam aut Dei, aut legis nostræ cognitionem habuissent. Intellexi vero tam ex scriptis eorum, quàm aliorum oratione, nunquam de Deo aliquid cò perlatum fuisse aut cognitum.

Japonia nunquam Christianorum veritatis audiuit, & ne nunc quidem

Dux Cangaximæ Crucis signo pro insigni utebatur. Cangaximæ tamen Ducem (quo in loco annũ sumus commorati) pro insigni comperimus, albã crucem habere, sed Christum planè ignorare.

Dux Bungensis. Dum Amãgucci agerem cum P. Cosma Torres, & Ioanne Fernãdez, Dux Bungensis, alioquin potentissimus, suis me literis euocauit, & quòd nauis quædam Lusitanorum eò appulisset, se habere, de quibus mecum ageret significauit. Ego nihil moratus, tum quòd sperarem eum̃ Christianam fidem velle amplecti, tum etiam vt Lusitanos viderem, eo sum profectus & ab eo summa cum humanitate exceptus.

Seditio Amagucci orta. Cùm verò Bungi essem, statim à meo discessu bellum atrox Amangucci concitauit Dæmon: nam Primas quidam in ducem insurgens, & collatis cum eo signis in fugam vertit, fugientémque persecutus est magnis copijs. Dux verò cùm nullam videret elabendi spem, ne viuus comprehenderetur, primum filium suum, paruulum adhuc, quem secum trahebat, tum se pugione cõfodit, suis mandans, vt corpus vtriusque concremarent, ne vel cadauera in hostium manus deuenirent. Quod & factum est. In quot & quantis periculis, nostri belli tempore fuerint constituti, ex literis his adiunctis videre licebit. Interfecto Duce primores existimantes prouinciam non posse administrari, nisi quis in defuncti locum sufficeretur, legatos miserunt ad Ducem Bungensem, vni ex ipsius fratribus, quem vellet, ducatũ offerentes. Missus ergo Ducis frater, prouinciam suscepit. Est hic Dux Bungensis summus Lusitanorũ amicus, ditionẽ habet amplissimã, gentẽ ad bellũ instructam: qui postquam Regis Lusitaniæ nomẽ accepit, eius Maiestati sese obtulit, dediditque: & in certius amicitiæ testimonium, arma transmisit

misit: ad Proregem verò Indiæ etiam ex suis aliquem, qui nobiscum venit ad contrahendã amicitiã destinauit, & à Prorege summo cũ honore & humanitate exceptus est. Promisit etiã sese effecturum apud fratrem, Ducem Amanguccensem, vt nostris in fidei negotio faueat, iuuetque. Sed & frater ipse post suum in Amanguccum aduẽtum idem pollicitus est. Toto autem biennio & eo amplius quo hic egimus, Christianissimi Lusitaniæ Regis eleemosynis victitauimus, qui dari nobis vltra mille ducatos iusserat in hac prouincia. Dici nõ potest, quãta illius in nos sint merita, quantumq; in nostram gratiam pecuniæ, tũ in eleemosynas, tum in erigendas domos & collegia impendat. *Eleemosynæ Regis Lusitaniæ.*

Constitueram relicto Amanguccо ex Bongo in Indiam proficisci cum Lusitanis, tum vt cum fratribus aliquantum à laboribus immensis respirarem, tum vt illinc mecum fratres aliquot in Iaponiam adducerem: tum etiam vt de ijs nobis ibi prouiderem, quorum hic penuria laboramus. Nono igitur Calend. Febr. Cocinum appuli, & à Prorege humaniter sum exceptus.

Hoc mense Aprili anno 1552. Patres aliquot in Iaponiam profecturi sunt, & cum eis vnà, reuersurus seruus Ducis Bongensis: faxit Deus, vt fructus quàm plurimos in ea messe colligant, quod & omnino credo futurum. Nam id hominum genus iudicio pollet, valet ingenio, discere cupit, rationi obedit, alijsque diuinis sanè dotibus præditum est.

Est in Iaponia Academia longè maxima (Bãdoo vulgò nominatur) ad quã ingens Bonzorũ numerus confluxit, studio discendarum legum, quæ ex Sina primum allatæ sunt, & ideo Sinensi *Academia Banduuij in Iaponia*

adhuc charactere (cùm alioqui parum Iapanenses à Sinensibus differant) sunt conscriptæ.

Characterum verò apud Iapanēses duplex genus reperitur, alterum à viris, alterum à mulieribus vsurpatum: vulgò enim tam viri quàm fœminæ legere norunt, & scribere, nobiles maximè & mercatores. Bonzæ puellas in eo genere docent, Bonzi puellos. Qui nobiliores sunt, filiis suis domi pædagogos alunt, à quibus instruantur. Bonzi ipsi perspicacissimi ingenij sunt, multum contemplationi dediti, eaque contemplari consueuerunt, quæ post hominibus euentura sint. Sane aliqui eò sua contemplatione veritatis penetrârunt, vt ingenuè faterentur se in tali vitæ instituto, quale hactenus exercuerant, salutem consequi non posse: atque necessarium esse, vt omnia ab aliquo principio, & primo, & solo dependerent. Nec id alios latere potuisse, quos istud occultasse propterea putant, quòd nullam haberent creationis rerum omnium notitiam, solamque ijs, qua id probarent, authoritatem defuisse. Hi omnes non grauatim, nec sine voluptate legem nostram auscultârunt.

Nobiles filijs suis domi pædagogos alunt.

In Amanguco nomen Christo dedit quidam, qui multis iam annis in Bandoo literis operam nauârat, in omni eruditione nominatissimus. Statuerat is priusquam in Iapaniam veniremus, Bōzis sese adiungere, sed mutato consilio in noua fidei luce vxorem duxit. Referebat hoc vno se à Bonzorum consortio maximè reuocatum, quòd Iapanensium leges falsas existimaret, vnum verò Deum adorasset omnium conditorem.
Non parum læti sunt reliqui Christiani in huius conuersione, quòd in tota vrbe propter eruditionem celeberrimus esset.

Post-

Posthac, fauente Deo, quotannis ex India Patres nostri in Iapaniam venient, & Amangucti domus Societati erigetur, in qua tum linguam addiscant, tum quid cuiusque sectæ legibus contineatur, intelligant: ita vt quotiescunque zelus & fiducia peculiaris Fatres incitabit ad academiam adeundam, inuenturi sint hic, à quibus horum linguam & errorem intelligant. Quod sanè non mediocrem vtilitatem adferet ijs, qui tota nostra Europa lectissimi huc aliquando, vt spero, mittentur. P. Cosmas Torres, & Ioannes Fernandez nunc occupantur in explicandis vitæ Christi mysterijs, concionibus, alijsque id genus officijs, nec sine fructu. Tantum enim hi Christiani è vita Christi gustum percipiunt, vt in concionibus à lachrymis interdum non temperent. Pater Cosmas lingua nostra conciones componit, quas Ioannes Iapanicè (quam linguam optimè callet) transfert: atq; hoc pacto optimè Christianis consulitur. Dum adhuc in errore versarētur, in suis precibus & coronis (vt vocant) Deum identidem quem sectabantur, appellabant, suscepta verò religione Christiana, non segnius Christum sonant. Primum signo crucis se munire discunt, in quo curiosiores aliquanto sunt, mirantur, rogant quid hoc sibi velit in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti, deinde cur dextera primū admoueatur capiti, cùm dicitur, In nomine Patris: pectori verò, cùm filij: à leuo humero manus ad dexterū ducatur, cùm spiritussancti. Quorū explicata ratione, mirū quantum in Domino recreētur. Subiūgunt deinde, Kyrieeleison, Christeeleison, Kirieeleison, atque è vestigio interpretationē sciscitātur. Posthæc precationes suis corollis recitāt, ac singulis Angelicis salutationibus in fine

Nota. [handwritten marginal note, partly illegible]

fine, Iesus Maria adiungunt. Vnum eos vehemẽter angit, quòd in Inferno audiãt nullam esse redemptionem: dolentque plurimum de patrum, filiorum, cognatorum damnatione, nullamque redimendi spem ijs relictam esse. Rogitant frequenter ecqua ratione iuuari queant, num eleemosynis, orationibus, alijsque id genus charitatis officijs: respondemus nulla ratione posse, hinc maximum dolorẽ animi concipiunt. Sed leuius ista curo, tum vt sollicitudine maiori teneantur suæ salutis, tum vt alieno periculo proprium vitent. Rogârunt etiam num Deus liberare ex Inferno posset, & qua de causa pœnas eorum æternas faceret. Quibus respondi quantum satis erat. Sed nihilominus tamen plorare cogebantur, ita vt ego ipse tantum non eorum gemitu in lachrymas prorumperem, cùm charissimorum & amicissimorum mæstitiam viderem.

Sina Iapaniæ finitima. Iapaniæ Sinarum regio finitima, amplissima est & pacatissima, & vt Lusitani narrant, omnes Europæ regiones equitatu antecellit. Sinenses verò quos in Iapania, & alibi vidi, singulari ingenij acrimonia pollent, vt albis equis (quod aiunt) Iapanenses hac in parte præcurrant, qui alioquin sunt studiosissimi. *Apud Sinenses omnium rerũ affluentia.* Terra frugum, eorumque quę ad vitam necessaria sunt, ferax, vrbes frequentes & insignes domus ingeniosè ex lapidibus extructæ: & ne longior sim, regio sanè ditissima, & sericis est refertissima. Homines plurimùm ibi vt moribus, ita & legibus inter se differunt, eosque partim Iudæos, partim Mauros esse intellexi: an verò etiam aliqui sint Christiani, nõdum liquet. Spero hoc anno 1552, me, vbi Rex habitat, iturũ, ac relaturum inde fructum aliquem. *Liampum.* Inter Liampum (quæ vna præcipuarum ciuitatum est) & Iapaniam

paniam fretum tãtum interiectum eſt leucarum 80. ſpero Dei auxilio id apertum iri, non nobis ſolum, ſed & omnibus aliarum regionum patribus, vt, quo iamdudum maximis deſiderijs anhelant, magnum Chriſti fidelium numerum ad catholicæ matris gremium adducant. Quapropter quàm poſſum obnixiſſimè oro & obteſtor omnes, quibus aliquod propagandæ fidei ſtudiũ ineſt, per amorem Ieſu Chriſti, vt mei memoriã in ſuis orationibus & ſacrificijs habere velint, quò tandem prouinciam aliquam diſquiram, in qua ipſi ſanctiſſima ſua deſideria pleniſſimè perficiant. Hucuſque ex Iapania ſano & vegeto corpore, abſque omni tamen ſpirituali conſolatione perueni: ſperoque in miſericordia, & meritis Domini noſtri Ieſu Chriſti, vires ſuffecturas, quibus, laboribus plenum & periculis iter in Sinã conficiam. Conſenui quidem, atq; ad canos deueni, viribus tamen corporis nunquam mihi videor magis viguiſſe: labores quos ſubimus, tametſi magni ſunt, ſecum tamen magnas conſolationes adferunt. Nam poſt cõceſſam à Duce prędicandi facultatem, tantus fuit hominum cõcurſus, tum ad diſputationes noſtras, tum conciones: vt nõ potuerit mihi non iucundiſſimũ eſſe id videre, tum quòd per nos, quanquam inutiles, Deo viſum eſſet gentiles confundere, victoriamq; in manum dare: tũ quòd iucundiſſimum eſſet ipſis recens ad fidem conuerſis, reliquos quoque conuerti. Vidiſſes vnà laborantes alacres, ſedulo cũ Gentilibus diſputare, hortari, monere, vt Chriſtũ etiam amplecterentur, Quod ſi perſuaſerant, gaudere, lætari, ſuas victorias narrare. Summa hæc mihi erat recreatio, vt ipſe laborum parum, aut nihil ſenſerim. Atque vtinam, vti hanc animi

mei

mei recreationem literis perſcribo, ita reipſa ad Europæ academias quaſque tranſmittam. Crederem fore, vt omnes maximis alioqui talentis præditi, vtilius ea in hoc fidei negocium expenderēt, eoq; lubentius, quo facilius hic eſt homines ad fidem inducere, ad quam iamdudum videntur inclinari. Id rectius ac maiori cum laude facturos exiſtimarem, ſi omiſſo Iure Canonico Doctores, Prælati verò dignitatibus abdicatis, ac redditibus, in Iapaniam ad vitam beatiorem, iucundiorem, & tranquilliorem, quàm in qua degunt, quamprimum ſeſe transferrent.

Hæc raptim, vt ſors obtulit, nullo ordine aut cura ſcripſi: erat enim iamiam profectura nauis, & literas has, alioqui ſatis longas, amicorum viſitationes frequenter interruperunt. Itaque finem impono, Deum Opt. Max. orans, vt ad æterna illa gaudia nos perducat. Amen.

Ex Cocino. 29. Ianuarij 1552.

Totus ueſter in Chriſto Franciſcus Xauier.

Epta 5

EX DVABVS R. P. FRANCISCI *Xauierij ad* R. P. *Ignatium præpoſitum* Ge*neralē eiuſdem argumenti epiſtolis* Anni 1552.

Viri ſubmiſsio.

DIfficilè mihi foret calamo exprimere, quantū me Iapanenſibus deuinctum eſſe fatear, quod Dominus Deus noſter horum occaſionē dum apud eos varijs periculis obijcior, laboribuſque conficior, in agnitionem miſeriarum mearum & infinitarum penè imperfectionū me adduxerit, dederitq; vt inſpicere cœperim maximoperè mihi con-

hi consultũ fore,si quẽ haberẽ cuius ductu & prudẽtia dirigerer,meiq; curã cõmitterẽ. Dubiũ mihi nõ est,quin R.P.tuę precibus è tãtis,quę se obiecere, periculis emerserim. Res ipsa postulat, vt aliquot societatis sacerdotes ad Iaponię academias mittãtur,qui ipsas academias earumq; doctores toto cœlo errare doceant. Solet enim passim hoc nomine sese populus excusare,suosq; errores & enormia vitia defendere, quòd etiã habeãt studiorũ suorũ ac legũ scholas,nec academijs aut literatis hominib⁹ doctoribusq;,quorũ authoritate nitantur,sint destituti: Doctis itaq; opus est & cõstãtibus viris fortibusq;:tum quod his impẽdeant graues persecutiones, tũ quod non leuia vitæ incõmoda:nam cõtra omnes istorum sectas digladiandũ depugnandumq; erit,& Bonzorũ sacerdotumq; istorũ fallaciæ,doli & astutę captiones detegendę,quibus plebẽ iam à tot annis miserè circũueniunt,& adolescẽtum,qui literis nauãt operam, marsupia exhauriũt,impijs dogmatibus & prauis moribus inficiunt. Neque dubitãdum est, quin iniquissimè laturi sint,tum cùm persuadere cæperimus mortuorum animas ex inferno (in quo potissimum istorum versantur nundinæ & quæstuosæ artes) educi non posse , tum ex eo, quod peccata grauissima , quæ iam vsu frequentiaque latè multos occuparunt,defendant, eaque sanè vt patria olim & trita , non ita permittent facilè exstirpari . Id quoque genti innatum est, quòd cæteros spernat minimiq; faciat, quo magis exosos oẽs habebit eos,q patrias leges sectásque cõuellere nitẽtur,& in oĩum vitia inuehẽtur. Graues itaq; in nos excitabũt persequutiões,potissimũ Bõzi & supstitiõis propugnatores, donec è tenebris emersi sincerũ Dei cultũ amplectantur.

Singu-

Singulas ferè horas, interdiu & noctu, quæstionibus varijs & interrogationibus nostri molestabuntur, frequenter inuisentur, sæpe ad nobilium ædes euocabuntur, summa, vix ocium supererit, quod proprio profectui consolationiq; impēdant: Imò nec tempus habituri sunt, vel curandæ valetudinis, vel sumendi cibi. Hinc liquidò constat, vt omnes quęstionum nodos, qui frequenter proponentur, dissoluere possint, literas esse necessarias, & potissimum Logices & Physices cognitionem. In qua quidem qui exercitati fuerint, & ad ratiocinādi aliquam facultatem peruenerint, nullo negotio eos redarguent, & ad manifestas contradictiones adigent: quæ res, cū honoris sint auidissimi, pessimè istos homines habet, grauiterque angit, vt etiam, si victos obmutescere contingat. In quas angustias argumentorum vi facilè cōpellet is, qui mediocriter Dialecticis præceptis fuerit imbutus. Iuuabit etiam Astrologiæ ac naturalis scientiæ partes habere cognitas. Etenim de cœlestium orbium motu, de solis eclipsi, de incremento & decremento lunæ, de generatione aquæ, niuis, pluuiæ, grandinis, tonitrui, fulguris, cometarum, multa ex nobis anxiè inquirunt: quorum explicatio magnum habet momētum ad animos vulgi conciliandos. Adhæc patiētes frigorum sint oportet, Banduuium enim, quæ est Academiarum prima, satis ad aquilonē vergit, vt & reliquæ scholæ. Qui hæc loca incolunt, cæteris sunt prudentiores & sagatiores. Victus quoque siue annonę hic est penuria, tāetsi Orizam, & frumentum habeant, & nonnulla herbarum genera, sed quæ exiguum corpori alimentū præstant. Potum nullum alium quàm ex oriza conficiunt, qui carè venditur, & rarus est. Non cō-

sueue-

ſueuerunt præterea in lectis ſomnum capere. Omnium porrò maximè hominem exercent, eiuſq; conſtantiam & virtutes probant aſſidua pericula, quæ certam mortem minari adferreque videntur. Senes huc mittēdi non ſunt ob graues, qui ſubeundi ſunt labores, quibus pares eſſe non poſſunt. Iuniores quoq; minus conuenire videntur, niſi qui longa & magna experientia ſuis affectibus imperare didicerint. Regio enim hæc ad omne genus vitiorum occaſiones abundè ſubministrat: ad hęc facillimè Iapanes offenduntur etiā rebus leuioribus, quas verbi Dei cōcionatores, & eum, qui aliorum vitia notare debet, putant non decere. Qui igitur huc mittēdi ſunt, in ſui cognitione, & humilitate, & omni virtutum genere profecerint oportet, occallucrintque longa patiētia in perferendis iniurijs & vitæ incommodis.

Flandri, & Germani, qui Luſitanum aut Hiſpanicū callerent idioma, huic Prouinciæ meo quidem iudicio eſſent admodum vtiles, tùm ad labores ſubeundos, tum ad extrema Banduuientiæ frigora tolerāda, linguam porrò facilè addiſcent, cùm in itinere duo anni ſint impēdendi, diſtetq; Iapania Roma miliariorum 18000. Cùm ex Iapania in Indiam reuertebar, vt literis de meo reditu menſe Ianuarij ſcriptis ſignificaui, quoſdam de Societate noſtra, inter quos P. Torres, Amanguci, vbi modo domū noſtra ſocietas habet, reliqui, aliiq; ex India expectantur, qui in hiſce Academijs, tum idioma addiſcāt, tū doctrinā de religione, ac Iapanenſium ſectis intelligant. vt fideles & doctos interprætes hic inueniant, qui de ſocietate poſtea huc vēturi ſunt, & quę vtrinq; verborū diſputationibus & familiaribus colloquiis adferuntur, referre ſciant, noſtroſque iuuent.

Spero

Spero Amangucci mirũ in modũ auctũ iri Christianorũ numerũ, iã enĩ plurimi Christi fidẽ sunt amplexi, atque inter eos quidẽ probitate virtutibusq; excellẽtes, iamq; in dies singulos etiã q̃ primarij inter istos habetur, Baptisma suscipiũt: magnaq; cura & solicitudine P. Cosmũ Torrẽ & Ioannẽ Fernandẽ, qui optimè callẽt istorũ idioma, noctu dieq; seruãt, ac cõtra maleuolos tuẽtur: atq; is modò continuis occupatur cõcionibus, quibus mysteria vitæ Christi explicat, adeoq; ipsi res tota succedit, vt oẽs labores in hac vrbe videãtur optimè collocari, nã inter vniuersas, quę hactenus nobis innotuêre, vrbes, hęc vna (quæ ex Sinis oriũda) stabile aliquid & firmũ in Christiana religiõe videtur promittere, quãquã nec sine magnis laborib⁹ & molestijs hac potiemur de dęmone victoria.

Sina. Sinarũ regio (vt etiã de ea aliquid adiũgam) ampla admodũ est & vasta, pace potitur tota, q̃ duris cõpescitur legib⁹, atq; vni Regi subiecta est, cui summè parẽt oẽs: oĩum rerũ ferax est & abundãs. Indigenę sunt ingeniosi, cupidi sciẽdi, studijs admodũ addicti, & in literis, vt accepi, satis versati, & legib⁹ potissimũ, quę ad Reip. moderationẽ pertinent, dediti. Nobilitatem doctrina metiuntur, qua qui plurimũ pollẽt, præcipuæ apud ipsos sunt authoritatis & nobilitatis. Pręsagit mihi animus fore, vt Christi cultus per vniuersam Sinã propagetur, magnamq; spem oẽs de diuina, erga hunc populũ, misericordia concepimus. Quod ad

Magiam videntur. corpus attinet, imberbes sunt, oculis admodum exiguis præditi, multum liberales: &, si non hic, certè in tota India nullũ erit impedimentũ, quo minus me itineri accingam, & hoc anno, qui iã 1552. agitur, in Sinam conferã, quod æque in dei gloriam, atq; Iapaniæ conuersionem occeptam modò, spero cessurũ: fiet enim, vt cùm Sinas Dei

crea-

creatoris legẽ admisisse nouerint Iapanenses, oẽm fidẽ opinionemq́; , quam de proprijs legibus cõceperunt, & authoritatem quam iis tribuunt, abiecturi sint. Magna aũt spe erectus eo concedo, cùm videam Sinas & Iapanes, per Societatis infirma instrumẽta, fidei lumẽ aspecturos aliquãdo & idolis nũcium remissuros: Deum verũ, & vnicum eius filium omniumq́; saluatorẽ amplexaturos. Iam nuper tres Societatis nostrę fratres Goa versus Sinar regiam Sinensiũ vrbẽ profecti sunt, & velut speculatores præmissi, vt cognoscant de spe & ratione euangelij promulgandi. Res digna mihi visa est admiratione, Sinas & Iapanes, cùm in colloquijs sese mutuo non intelligant (nã idiomate admodum discrepant) cõmertio tamen vti literarũ: causa hęc est: Sinarum literas suò alphabeto Bonzi, qui literati magis habentur, in Academijs docent Iapaniæ: atq; ita Iapanes Sinensiũ scripta legere norunt. Singulæ autẽ Sinensium literæ rem vnam significant, quam scribendi legendiq́; rationẽ cùm Iapanes addiscũt, ad vnamquamq; Sinarũ literã, quid ipsa significet, suis literis & vocibus superscribũt, veluti si litera hoẽm significat, Sinæ hominẽ pingũt, Iapo superscribit suo more. Cùm istud genus scripti Iapanensis legit, exprimitq́;, scripta sunt suo idiomate: Sinẽsis item suo, quòd Iapanẽsis Sinẽsibus scripsit literis, atq; ita scribendo sese mutuo intelligunt, literarũ ab vtrisq; intellectarũ beneficio. Lingua Iapanica iam librũ de mundi creatione, vniuersisq; vitę Christi mysterijs conscripsimus: Eundẽ in linguã Siẽnsem traducimus, & vt rectius dicã, literis Sinensibus expressimus, vt cùm in Sinã peruenerim hac ratione ab eis intelligar, quoad ipsorũ idioma didicero. Ex Cocino 1552. *Francisc. Xauier.*

Sinar regia Sinarum.

EX EPISTOLA PETRI DALCENÆ Societat. Iesu, e Iapania ad fratres Conimbricenses missa.

Cpta 6

An. 1554.

Pax Christi.

CHarissimi fratres, An. 1552. 17. Calẽd. Maij in Sinam P. Franciscus Xauier iter instituit, assumptis vnà P. Baltazaro Gago sacerdote, & Eduardo Syluio, & me, non vt in Sinam secum nos adduceret, sed in Iapaniam ablegaret. Quare cùm in Malaccam (quę Goa 1800. miliaribus distat) vẽtum esset, Baltazaro nobis pręfecto, nos dimisit. Quę res eò magis nobis placuit, quod alioqui nobis sine pastore & cõfessario eundũ fuisset. Ipse verò in Malacca remansit, oportunitatẽ ad Sinas traijciendi expectãs. Nos postrid. Non. Iunij Iapaniam petiuimus conscensa naui, quę in Sinas proficisceretur. Quò cùm prospera nauigatione venissemus, commodum etiam inde in Iapaniam traiecimus postridie Calend. Augusti, ac postridie Idus eiusdem mensis Cangaximã, quo cursus erat, appulimus, vbi etiam antea noster P. Franciscus fuerat. Vrbis dominus humanè nos excepit, & ad dies octo, quibus ibidem hęsimus, satis liberaliter fouit. Vndecimo verò Cal. Septẽ. in Bongum perreximus, non sine multis tempestatibus & procellis, eoque 7. Idus Septemb. appulimus. Rex nobis iussit ędes adornari, eumque postridie adiuimus. Potens sanè Princeps est, & cui multæ parent nationes. Obtulimus ei arma aliaque munera nõ exigui pretij, à Prorege missa. His ille recreatus, nullum vicissim in nos humani-

manitatis officium prætermisit, singulis diebus varia fercula ciborum mittens.

Intellexerat P. Cosmas Torres Amangucci tũ agens, de aduentu nostro, quare Ioannem Ferdinandũ apprimè in Iapanensi lingua versatum ad nos trãsmisit, vt ageremus apud Regem de quibusdam Proregis negocijs, necnõ rebus fidei. Verùm hoc quinto primum die à primo colloquio licuit, & de fide grata Regi fuit admodũ nostra oratio. Post aliquot dies iterum de ijsdem rebus in hunc ferè modum egimus.

Oratio ad Regem.

Nuper M. T. paucis aperuimus de vero Deo, qui & animarũ nostrarũ, & corporũ, cœli itẽ & terræ Creator est, nosq; iam perpetuis supplicijs destinatos redemit. Diximus etiam liberum fore à dolis & fallacijs dęmonũ, æternaque gaudia, & beatitudinem verã consecuturum, qui huic Domino fideliter adhæserit, eumq; coluerit, & adorauerit. Contrà verò qui neglexerit, dęmoni subiectum, ac post mortem pœnis perpetuis adiudicatũ iri. Hęc liberè M. T. exponimus, quòd intellexerimus ex literis ad Proregem, & nostrũ aduẽtum te desiderasse, & etiamnũ optare, vt lex illa Regis æterni ac creatoris omniũ in tuis prouincijs promulgetur, & nisi fallimur, tua quoq; Maiestas Christiana fide erudiatur. Hactenus expectatũ est, dilatumq; negociũ. Nunc iam tãdem ô Rex adsumus, magnis exciti studijs, vt votis tuis tã pijs per nos satisfiat. Deliberet itaque Maiestas tua, quid facto opus sit, cõsultúmne videatur, nos in hoc regno sedem ponere, & Christum nũciare, & qua potissimum ratione. Sin alios Patres ex India accersendos iudicabit, meminisse profectò oportet breuẽ ac momẽtaneam esse vitam hominis, resq; humanas cõtinuo fluxu dilabi. Quòd si

videbitur fortè è vestigio negociū tā arduū arripi non debere, feremus & hoc:& dum tēpus melius aliquid & oportunius M.V.suggerat, Amanguccum concedemus:& si nihil aliud, saltē linguam addiscemus, donec placebit Maiestati tuæ nos illinc euocare. Quantum ad nos attinet, postpositis omnibus, præsto erimus. Intelligimus quendam ex tuis hominē nobilem à Maiestate tua cò transmitti, quare definiri iam rem totam vehementer optamus: atque si discedendū est, à Maiestate T.ei profectionis comites dari: Neq; enim id inutile futurū arbitramur. Si redeundum erit, re tota cum Patre cōmunicata (prout ad Dei gloriam conducere videbitur) Maiest.T.quàm libētissimè seruiemus. Nos interim tuæ humanitatis nunquam nō poterimus meminisse, nec beneuolentiā, qua nos foueris, promptamq; in nos animi voluntatē non exosculari.

Responsio Regis ad orationem.

Respondit Rex optimè se perpendisse omnia: scire se item P. Cosmā Amanguci agere, ac multos iam ad fidem perduxisse: dolere verò se nondum in suo regno Christianum vllum esse. Itaq; cùm audiat per P.Cosmam ibi fidem propagari, sibi videri vt apud se manentē regni sui gentem quoque Christo initiemus: Velle etiam sæpius cum Prorege sua communicare: quare opus esse vt ipse P.Balthazar apud se remaneat, secus enim vltro citroq; literas mitti nō posse: se quoq; tum ob hanc causam, tum etiam ob populū suū Christo adducēdum, desiderare summopetè ne quoquam discedamus.

Rex ostendit his uerbis animi sui affectū bonum ergá fidē Catholicam.

Respondimus laudādum esse in Rege tam diuinum animi desiderium: Tamen cùm res tanta sit, referre plurimum, si de ea re prius cum P.Cosma agatur, quippe, qui cæteris in hisce regionibus

bus ætate maior esset,& in his negocijs vsu multum posset. Rationem quoque habendā esse in primis Amanguci, quòd ibi plena prædicandi potestas nostris iamdudum esset concessa, literis regijs firmata,ac omnium primum ipsius suffragijs probata. Idem hic etiam fieri debere,vt libere & sine periculo relicta patria religione fidem populus amplectatur.

Ad quæ respondit promptè admodùm,vel hac eadem nocte paratum se, vt in plateis, locisque publicis passim literæ figantur: reuocans etiam in memoriam,olim à se prædicandi facultatem nostris concessam esse (nam contigerat hâc iter facere)ac sperare plurimos conuertendos, videri tamen sibi tempus parum idoneū laboribus euāgelicis,grauibus alioqui, quòd iam frigora inualescerent. Postremum hoc facile depulimus, dicētes,data nobis esse corpora, vt Christi nomine patiamur,inq; fidei promouēdæ negocio ipsum imitemur: quare de frigoribus nos nequaquā esse sollicitos, si modò spes aliqua sit ipsius gloriam augendi.

Videns ille nihil nos à sententia dimoueri, P. Cosmam (si quidem ita videretur) conueniendū esse dixit,seq; in hoc negocio nobis non defuturum. Interim licere, vt chartæ publicis in locis, ac tota vrbe celeberrimis,figantur,quibus & cōmendatio aliqua futuræ prædicationi accederet, breuique futuram significetur. Melius tamen visum est, vt nisi re prius cum Cosma communicata,nihil publicaretur,cui si probaretur,tum id nos cōmodè facturos,ad eum quidē modū, quo Amanguci antea. Mittor itaque mense sequenti, qui October erat, an. 1552. à P. Baltazaro Amangucum quod Bongo miliaribus 120. abest

pedestri itinere. Excipiunt me P. Cosmas, & reliqui Christiani summa cum charitate. Subsecutus est paulò pòst Eduardus eadem ab omnibus susceptus benignitate, magnamque cōsolationem attulit ipsius aduentus. Postremò P. Baltazar Gagus cum Ioanne Ferdinando circa finem Decēbris eiusdem anni, non sine magna tùm nostra, tum Christianorum lætitia.

Ipso die natalis Domini & Saluatoris nostri Missarum solennia celebrauimus, magno omnium Christianorum gaudio. Sacra verò nox in legenda Christi vita magna ex parte consumpta est. Et quia cuiq; sacerdotū tria sacra celebranda erant, P. Cosmas facti rationem declarauit.

Regis præclara pietas in nostros.

Pridie Non. Februarij An. 1553. P. Baltazar Gagus, & Ioannes Ferdinandus, & ego Bongum reuertimur, statimque vbi aduenimus, Regem Baltazar accessit, à quo humanissimè exceptus, ad quietē se recipere iussus est: voluit enim Rex parcere defatigato. Redeuntem altero die in scribendis literis ad Proregem occupauit, quibus gratias agebat, de munificentia, donisque quæ tuleramus. Significabat etiam gratum sibi fore Patres iamiam fidei negocium in suo regno aggressuros esse, ac suo fauore id prosecuturum: loca quoque ad habitandum, reliquaque necessaria largiturum. Gaudium suum quoq; expressit, quod concepisse se aiebat ex eo, quòd ibi remaneret Baltazar, eius enim opera se vti velle, ad scribendum sæpius Proregi, aliisque in India Regis Lusitaniæ Præfectis, quorum familiaritatem & amicitiam iam à multis annis expetisset: verùm quòd fideles defuissent homines, animi sui desiderium explicare non potuisse: modò verò id explicare, seseque promptum offerre, si

re, si quid sit, quod ipsis sua opera posset impendi, rogaréque vt plures verbi Dei præcones transmittantur. Expeditis hisce literis, me sine interprete Firandum, hinc 180. miliaria distitum contuli. Quare signis & nutibus ad dies octodecim loquendum fuit, quanta cum molestia, vobis relinquo coniectandum. Satis mihi est ipsa rei experientia.

Secundo die à meo discessu atroces tragediæ excitatæ sunt Bongi, contra P. Balthazarum & alios fratres. Tres enim primates in Regis necem conspirauerant, eoque turbationis ventum est, secundo Quadragesimę die, vt Christiani nostros consuluerint, num satius esset collectis rebus omnibus, vrbe quasi iamiam incendenda cedere. P. Baltazar consideratis periculis, in quibus Rex versaretur, Ioannem Ferdinandum eò misit, vt hominem animaret, & ad fiduciam in Deum hortaretur, qui ipsum, & sibi addictos, & à periculis liberare posset, & ab hostibus: nos etiam nostras qualescunque preces pro Regis salute oblaturos. Rex verò in tanto discrimine constitutus, forti nihilominus animo in sancta perstitit voluntate. Cùm ad palatium veniret Ioannes noster, tam commota deprehendit omnia circunquáque, vt hostes à traditorum factione discerni non potuerint, & amicos hostibus, hostesq́; amicis ita immixtos; vt planè de aditu ad Regem desperaret. Cæterùm voluit Deus, vt ab ea parte, qua Ioannes expectabat, porta aperiretur. Viso ergo Rege accurrit, quæque Baltazaris nomine iussus erat renunciare, nunciat, non sine Regis lętitia, qui identidem etiam rogauit, vt salutem suam Deo diligenter commendaremus. Nostri etiam periculo non aberant, sed sperantes in Domino non

Magna regis constantia.

sunt

ſunt confuſi,quanuis vbique plateæ armatis opplerentur., ac maxima pericula vndique imminerent: breui tamen temporis ſpacio ſublati ſunt tres illi principes ſeditionis auctores, & filij, vxoreſque eorum,& quotquot ab ipſis ſteterant, Regis iuſſu non multò pòſt interempti. Principum nomina erant Lotormidonus,Sciman donus,Nacacandonus omnes tum genere,tum titulis clari. Dum alij cædibus dant operam, ſedulò,omnia cadaueribus replent,& ad orationis arma confugimus,ecce filius cuiuſdã ſeditioſi principis in templum noſtrum accurrens, & latebras quęrens,rogauit, vt in ciſtam alicubi abderetur: occultamus ſub lecto in tertium diem,donec tutius dimitteretur. Cæſis ergo ſeditionis authoribus,ignis in eorum palatia iniectus eſt, adeoque flamma inualuit,vt trecentæ & amplius ædes vnà conflagrârint, atque inter eas tum nobilium, tum diuitum mercatorum,necnon & noſtra domus,indumenta tamen ſacerdotalia, eaque quæ ad altare pertinent,è flammis miro quodam modo conſeruata ſint. Nam conſumptis omnibus circunquaque,vnum cubiculum, in quo aſſeruabantur,intactum manſit,haud dubiè quin prouidente Deo,qui ne minimum quidem perire voluerit,vt ne in comparandis aliis diu multumq; denuò eſſet laborandum, quòd facilè hìc haberi non poſſint. Illa ipſa nocte Rex non parum de nobis ſollicitus,quendam miſit,qui nos conſolaretur,tum quidem propter illatam calamitatem, tum propter eos qui præceſſerant,labores: bonóque animo eſſe iuberet, cùm bellum iam fœliciſſimè ſopitum eſſet,ſe dolere de iactura noſtra vehementer,ſed tamen eam in ſe recipere. Vbi verò de ſacris veſtib⁹ intellexit,integras adhuc eſſe,

omnia-

omniaque quæ ad missæ sacrificium comparantur, summoperè gauisus est. Agnouimus sanè Regis in nos animum, ac Maiestati ipsius de tanta tum solicitudine, tum beneuolentia & liberalitate gratias egimus. Quartò deinde die Regē Pater accessit, verba de rebus diuinis, & vtilitate aduersorum facturus, eáque de manu Dei nō minus quàm prospera accipienda esse docuit.

Non multò pòst, exorta est in nos non leuis tragœdia, ex eo quòd in Bonzi cuiusdam ædes, sese Pater noster habitandi gratia receperat. Cùm itaque inter ipsos multæ & graues disputationes insurgerent, iique euidentissimis, & verissimis argumentis conuincerentur, quæ istorum hominum pertinacia est, tantò magis crescens, quantò clarior elucet veritas: ad clamores & furorem se conuerterunt, fœdas & horrendas voces, dæmone indignas proferentes. Deinde foras prosilientes, omnia complebant clamoribus, se victores vociferabantur: alij nos dæmones vocabant, alij ridebant, & iocantes, P. Baltazarum Deum Patrem appellabant, quòd Dei sæpè mentionem faceret. Rogabant etiam, vbinam Deus esset? Alij auellendum ipsi caput à ceruice clamitabant, ac periculum faciendum num rediret ad vitam, mortuorum resurrectionem notantes: alij Baptismum irridentes, lauari velle se, vt Christiani fierent dictitabant. Breuiter cauillabantur Deum, Resurrectionem, Baptismum, sic persuadentes populo, quòd quicquid de Chenchico, id est, re cœlitus missa ab ipso diceretur, mendacium esset, & nisi amentes haberi vellent, & decipi, quòd fides vlla ipsius verbis haberi non deberet. Verùm cùm se passim conuinci, confundíque rationibus viderent, de nocte

Quātò clarior elucet veritas tātò magis crescit Bōzorū pertinacia.

nocte se vindicabant, domum nostram saxis impetentes, imò interdum vix se continentes, quin de die etiam lapidibus in nos sęuirent. Cæterùm iam tale nihil audent palàm attentare, nō quòd nos revereantur, sed quia Regem metuunt. Is enim commisit viris nobilibus nostrę viciniæ, vt noctu excubitores ad domū nostram constituerent, qui tumultuum authores comprehensos ad grauiores pœnas traherent. Vbi igitur hoc Regis studium erga nos intellexêre, destiterunt, versáque est in tranquillitatem tempestas, atque effulsit animis nostris non minima cōsolatio, ob id maximè, quòd hinc nouorum Christianorum feruor magis, magísque augeretur: ita vt non sólùm se publicè profiteantur Christianos, verum etiam alios ad Christum hortentur.

Edictis tamen Regiis non omnis depulsa est aduersitas, nam Bonzi nefarij homines & scelesti, maximo nos odio prosequuntur, quòd aucto Christianorum numero donaria eorum & eleemosynę decrescant: neque præterea pro defunctis, quos ex inferno liberari non posse ostendimus, aliquid recipiunt. Gentiles etiam qui hac de re conciones nostras audierunt, minus quàm solent largiuntur, veritatis lùmine mentis tenebras repellente. Hæc res bonos istos viros grauiter angit: Quare nihil non agunt, quò turbas aliquas graues nobis moueant, ciuésque in caput nostrum irritent.

Feruor Neophytorum.

Sed ad nouorum Christianorum diligentiā & feruorem venio. Inter omnes vnus est, qui præ cæteris tantum ad concionandum, Christúmq; omnibus persuadendum incensus est, vt in ea qua habitat vrbis parte, vix vlla familia reperiatur, quæ Christianos non habeat: vt omittam

tam multos alios,quos etiam alibi ad suscipiendam fidem induxit. Alius, cuius filij nondum erant baptizati, cùm ipsorum vnus in morbum incidisset,medicamen à nobis petiit. Respondit Pater,non esse sibi aliud,quàm quòd ad animam sanandam valeret. Rediit is domum,nec filio verbum vllum fecit de regno Dei. Mortuus ille est in infidelitate. Quare attonitus mortui pater rursus ad nos accurrit,flens,& vt ipsemet aiebat, meritò, nam sibi imputandum esse, quòd filius sine baptismate è viuis excessisset: Quę res sanè homini horrorem, terroremque maximum incussit,vt multis afflictionibus & pœnitētiis hanc maculā diluere statuerit: veritus porrò ne idem eueniret aliis, extemplò omnes vnà cum vxore ad Christi baptismum suscipiendum adduxit, ablutique sunt summa cum religione. Paulò pòst filiarum vna,eodem morbo quo frater periit,correpta est,quæ iussa Christo confidere, postero die incolumis surrexit.

Eodem die à viro quodam nobili tertio ab vrbe lapide habitante,Pater euocatus ad baptizandum vxorem cum filiis, triginta sacris aquis abluit: variásque disputationes cum Bonzis, & id genus hominibus habuit, qui omnes confutati abiêre. In alio etiam pago multi baptizati sunt, inter quos quidam natus annos 13. à puero cœcus,subitò à baptismate solem,cœlumque,& cętera omnia videre cœpit,ac perfectè visum recepit. Quę res Christianos multum confirmauit.

30. Vno die baptizati.

Cæcus post acceptū baptismū visum recipit

Faber híc quidam est, ita in res diuinas accensus,vt vicatim concionetur,& si quem conuertit, ad nos quamprimum baptizandum adducit. Is adeo Iapanum sectas exhorret,& vilipendit, festorúmque consuetudines & ritus adeo execratur,

Ethni ...y festa

tur,vt cùm nuper festum quoddam celebraretur, ipse sese ad opus composuerit. Rogatus verò num & ipse esset Christianus,aut quo animo au deret tam solenni die tractare fabrilia, respondit stultos esse, qui dæmonibus festos dies agerent: se legem obseruare Creatoris cœli & terræ, & Christianum esse, clauosque cudere pro domo Patrum Lusitanorum.

Pium obsequiũ nouorum Christianorum. *Ædificium Patribus donatum.*

Alij etiam viri primarij Christiani domum nostram, eam solam ob causam interdum accedunt,vt laborando dæmonum festa violent. Qui nullam artem callent, suam iis qui norunt, præstant operam,vel cibos apparant:alij fodiunt, alij fabris lignariis & murariis ministrant, lateres,aquam,calcem,arenam, aliáque suppeditando. Ædificatur itaque domus in loco spacioso admodum, & plano, & commodo pridie Idus Iunij, Anno 1553. nobis à Rege donato,

Morhuem Term praedicat Sebus[illegible]

In hac planicie pridie S. Mariæ Magdalenæ, Pater Baltazar insignem & præaltam Crucem multis præsentibus Christianis, & duobus Lusitanis viris nobilibus erexit: indutus ipse alba veste linea,preces horarias de S.Cruce recitabat, quæ res Christianos multum recreauit.

Numerus nouorum Christianorum.

Christianorum numerus tum in hac vrbe, tum in pagis vicinis habitantium est circiter 600. augeturque quotidie. Hi in rebus fidei bene sunt instituti, adeoque stabiles, vt etiam vitam parati sint pro veritate profundere. Tribus tamen tentationum machinis à dæmone solent infestari. Primum quòd nesciant, quid post hanc

Tentationes diaboli

vitam futurum sit, cùm nemo è mortuis, qui ista referat, reuertatur. Secundò, quòd lex idolorum tot annos viguerit, atque instituta sit à suis authoribus nimirum sanctis.

Tertiò

Tertiò, quòd nisi post tria ferè millia annorum hæc vera lex non fuerit ipsis manifestata, & iam tardius allata videatur. Sed hęc somnia efficaci ratione ipsis ex animo euulsimus.

Ciuitas Bungũ modò alta pace fruitur, & nostra etiã omnia pacata sunt. Rex cũ duobus primariis, quorum consiliis potissimum vtitur, nobis admodum fauet, iisque res nostra & doctrina cumprimis probatur. Speramus ex hac vinea tãetsi inculta hactenus, fructum aliquando vberrimum horreo dominico accessurum.

Amãgucum, vbi multo tempore egimus, multos similiter Christianos habet, in quibus ad religionis perfectionem nihil desideres. Res Christiana cumprimis ipsis cordi est, adeo vt iudicare sit admodum difficile, quid ab ipsis differant etiã fratres nostri, ob amorem singularem & charitatem qua nos prosequuntur. Lusitanos omnes fratrum germanorum loco habent. Gentilium omnem memoriam abiecerunt, nisi quod orando pro ipsorum salute, & quantum possunt, ad fidem eandem sollicitando, affectum etiamnum prodant singularem.

Nouiter cõuersi, orãt pro gentilibus.

In hac vrbe variæ admodum sunt sectæ, acciditque non rarò inter maritum & vxorem, de religione nõ constare, ac ne inter filios quidem. Quę res apud ipsos leuis habetur. Quisque enim quamcunque velit sectam amplectitur: nec hic turpe est à parentibus & fratribus etiam religione differre. Inter Christianos verò non item. Sed quisque sedulò ad eandem fidem & legem alium hortatur, omnésque inter sese arcta necessitudine iunguntur, nõ illa carnali aut humana, sed diuina charitate. Infideles interim Christianos vt hostes capitales fugiunt & horrent:

Eximia nouorũ Christianorum pietas.

con-

contra Christiani cum infidelibus libenter versantur, omnem quærentes hortandi, docendi, mo nendi occasionem: si quo modo Deus illis quoque largiri velit suam gratiam. Demisso adeo atque humili animo omnes præditi sunt, eáque morum facilitate, vt non horreant sese in culinam proripere, coci munera obire, cubicula componere, verrere. Et gratum quidē id obsequium Deo arbitrantur, si lubentes faciant, sibíque vicissim hoc laboris insigni aliquo beneficio cumulatum iri. Sępenumerò spirituale aliquod remedium petunt, tanquam si in vita spirituali iam longè essent prouecti. Vbicunque sese offert occasio, de rebus spiritualibus & diuinis libenter colloquuntur & tractant, gentiles reprehendunt, idola eorum confringunt, iocantes interim: Num quid possunt? inquiunt: quin vindicant se? quid tacent? Atque ita Deos Gentilium ludificantur. Sunt etiam nonnulli, qui vouerunt, se de nulla re penitus nisi diuina acturos. Omnes singulis Dominicis diebus sacrificio Missæ religiosè intersunt. Multum sanè inter hos, & Indos Christianos interest. Neque id mirum, Iapanenses enim multo, vt ingeniosiores, ita sunt feruentiores. Quare etiam lubentissimè ad has partes vobis esset aduolandum, vbi vestros labores tanto cum fructu impenderetis.

Infidelibus ipsi Christiani sunt odio, quos ipsi tamen Christiani amant.

Orta nuper in Christianos est calumnia quædam Bonzorum: Nam ex auaritia ad fidem inductos dicebant Bonzi, vt ne, quod iam tot annos consuetudo receperat, eleemosynas largirentur. Quare Christiani ad P. Balthazarum conuenêre, egereque cum ipso, vt pauperibus in templo gazophilacium erigeretur, in quod quisque quantum videretur, coniiceret, idque singulis mensibus

Calumnia gentilium.

tmam. Eleemo-synæ.

bus in pauperes erogaretur. In hunc vſum iam vaſa aliquot certis in locis collocârunt, eáq; oriza implentur tam largè,vt poſt datas cuiq; eleemoſynas,ſuperſit. Antequam verò cibos diſtribuant,explicationem præceptorum Dei prǽmittunt,vt menti quoque conſulatur.Certè ipſorum tum largitatem,tum charitatem ſine magna admiratione , imò rubore , noſtræ imperfectionis conſcij, non intuemur.

Ingẽtes nouorũ Christianorũ eleemoſinæ.

Aliud præterea miſericordiæ opus circa mortuorum ſepulturam aggreſſi ſunt, parato iuxta templum noſtrum cœmiterio , confecto etiam eleganti feretro,ad ferenda cadauera. Qui nobiliores ſunt,funus efferunt,& quod etiam de omnibus rectè dixerim , ita miſericordiæ operibus incumbunt,ita ad maiorem indies pietatẽ contendunt , ita ſolum Chriſtum cogitant , vt alios incitent:multique etiamnum ad veteres noſtras ædes non rarò de patre Chenchicorum , id eſt, rerum cœleſtium nuncio,percontentur. Quem cùm reſponderent maleuoli in Luſitaniam reuertiſſe ; neceſſum fuit in foro publicè concionari, ſicque ad ædes noſtras maiore numero concurrere cœperunt.

Chengicũ quid.

Prima die Quadrageſimæ cineribus Chriſtianorum frontes ſignauimus,vt recordarentur originis ſuæ , ſeſeque in puluerem & cinerem aliquando conuertendos.De qua re quoque habita concio eſt,atque explicata hæc Eccleſiæ Catholicæ ſancta & auita conſuetudo. Quod ſanè auditores non mediocri gaudio affecit. Multi tota quadrageſima ieiunium ſeruârunt,mulieres omni Sabbato totius anni , tametſi difficile ſit huic genti ob conſuetudinem iam inueteratam, manè cibum non ſumere.Officium S. Crucis ipſa ſa

Christianorũ ieiunia.

cræ ſextæ feriæ die, mane celebrauimus. Crucem deinde populo venerandam expoſuimus. Poſtea paſſio Domini prælecta eſt, nec pauci fuerunt, qui in templo pernoctarent. Sancta Paſchatis celebritate abſoluto ſolenni ſacro epulum Chriſtiani totius vrbis adornârunt, eo modo quo domi noſtræ ſingulis menſibus ſolent: vbi verò corporis neceſſitati ſatisfeciſſent, ad templum itum eſt vt ne animo quoque ſuus deeſſet cibus, & pro defunctis etiam oratum eſt.

Horribilis p phanatio aquæ baptiſmatis.

Miracula quædam per aquam Baptiſmatis patrata.

Aqua baptiſmatis partum facilitat. *Febres ſanat.* *Item paralyſim.*

HVnc Chriſtianorum feruorem plurimum iuuerunt miracula, quę per aquam ſacri baptiſmatis Deo viſum eſt operari. Primum hac partus leuatus eſt mulieribus nonnullis, ſimulatque eam hauſiſſent: febres quoque depulſæ ſunt. Alius cui ad menſes tres paralyſis vocem etiam ademerat, poſt multa tentata remedia, veneficiaque, hauſta aqua baptiſmatis, ſtatim priſtinam ſanitatem, & linguæ vſum recepit; ipſéque tanti boni nuncius ad nos accurrit. Alius quoque multo tempore paralyſi detentus, magna fide aquam eandem hauſit, cœpitq́; eo die melius habere, ita vt ſeſe in alium locū trāſferre potuerit. Alius febribus laborans, iuſſus ſignare ſe aliquoties ſigno crucis, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, febri leuatus eſt. Verum ignorans ille ſuum liberatorem, ad idolum quoddam confugit, cuius auxilio ſtuduit impetrare, ne recurreret. Sed dum domum redit, in pœnam impietatis grauiorem, longè acriore febri correptus eſt, & vt ſolet vexatio dare intellectum, ad

Satanæ horrenda ludibria

Signo crucis febris pellitur.

Patrem Balthazarum rediens, veniam & auxilium in tanto periculo postulauit. Iubetur bis totidem sese crucibus signare, & nihil morbi sen sit postea.

Cæterùm vt populi fidem declarem, & quàm de nostris concepit opinionem, referam quid venatori Regio, qui cum tota familia fidem accepit, euenerit. Is cùm falconem amisisset, à Rege in maximo precio habitum, fugissetque, quòd propter negligentiam & iacturam sibi à Rege metueret, mater ipsius ad Patrem Balthazarum accurrit, non sine lachrymis rogans, vt à periculo in quo versaretur, filium liberaret. Suscepit Pater negocium, & bono animo esse iubet. Altero die dum manè sub dio horarias preces recitat, ecce falco in tectum domus nostræ volatu resedit, vocatoque homine, falco receptus est, ac miseri illi à metu liberati. O miraculum falconicum.

Idem vir ancillam quandam dæmoni familiarem habuit, qui vulpis figura accedens singulis noctibus miseram domo educebat, quæ suscepta fide ab hoc spectro liberata est. *A dæmonis uexatione fides catholica liberat.*

Id quoque de gentilium religione referam. Affligunt se Iapanenses gentiles variis incommodis: tempore frigido aqua algidissima (quam etiam arte quadam frigidiorem reddunt) se perfundunt: æstate verò feruenti, nec huc inducuntur, nisi diabolicis quibusdam suggestionibus, quibus iam à multis sæculis miserè dementatur. Animum demissum admodum, vt videtur, gerunt, verùm in eiusmodi humilitate animique abiectione ingentes superbiæ moles dæmon solet erigere. *Pœnitẽtiæ diabolicæ.* Vel papisticae

Est & Bonzorum genus simili insania correptum, qui ad montem quendā sese similis pœnitentiæ Alius satisfactionis papisticae pro modus

Jeiunia

Abstinētia Bonzorum incredibilis.

Confessio

tentiæ agendæ gratia conferunt, vbi in Idolio consistentes, 60 dierū spacio non amplius quàm octies manducare dicuntur, idque tantum, quantum vola manus capere licet. Vbi verò hoc pœnitentiæ tempus exactum est, publicè inuicem produnt sua crimina, accepto datóque iureiurando neminem ea publicaturum.

Confessio criminum Bonzorum

Tantus est hic mancipiorum, & martyrū dæmonis numerus, vt dici non possit. Est quoddam Idolium in præalta rupe, ex quo Iapanenses se præcipitare solent, arbitrantes fieri non posse, vt non sint sancti qui propter Deos ita sibi vitam abripiant.

Alius modus satisfaciendi pro ratio

Aliud est Idolium vbi se affligunt hoc modo: bene nummati accedere iubentur, ibique erecti consistunt, ita vt nemo alterum tangat: cum verò pro dæmonis arbitrio satis pœnarum dedisse videntur, iubetur quisq; assumptis nummis cymba vectus in mare tendere, & ibidem perforata nauicula, vt saluetur, miserè interire. Honore dignissimum arbitrantur, si quis sibi manus inferat: quare cùm nobilis quispiam est occidendus, si carnificem præueniens, ipse se trucidet, æternam sibi & posteris famam, ac memoriam parit, eósque mirificè passim ob huiusmodi facinora venerantur. Contrà qui carnificem expectat, tum ipse tum posteri ignominiæ notam indelebilem incurrunt.

Reliquiæ ridiculæ pontificiorum. [illegible]

Sed accipite aliud insaniæ genus; quod hic tempore P. Francisci contigit. Venit huc quidam Maiaco, peluim secum ferens, tanquam mirabile quid, ac sacrosanctum, quòd in ea Maiacēsis Rex pedes lauisset. Hunc enim Regem sanctitatis nomine celebrant. Quare peluim hanc non paucis ceremoniis venerati sunt multi, subinde capiti

eam

eam imponentes, si quid fortè sanctitatis cerebro affricaretur. Volens quoque infœlix hic Maiacensis Patri Francisco gratificari, rogauit, num & ipse capiti cuperet peluim imponere. Tum ille subridens: differ, inquit, aliquantisper. Rex hic Maiacensis terram pedibus tangit nunquam; si tangat, actum de ipsius sanctitate clamant, & dignitate, si videtur, exuunt.

Sanctissimus portatur

Iapania quadraginta sex prouincias habet, Idola 13000. In Regia aula nullum genus Idolorum deest: causam hanc adferunt, quòd vigilare Idolorum animas arbitrantur, & Regis curam gerere. Quòd si Regem contingat aduersi aliquid pati, aut egrotare, Idolum illud, cui nocte illa Regis Iapaniç cura commissa erat, verberibus excipitur, eiectúmque è palatio centum dies exulat, deinde humanitate magna recipiunt, & blanditiis lignum, saxúmue demulcent, verentur enim ne tam ignominiosum exilium maneat alta mente repostum, contumeliamque tantam aliquando seuerius vindicet. Tanta sanè hominum cœcitas, & dementia. Rogate quæso fratres charissimi Dominum, vt mittat, qui tanta zizania inimici hominis radicitus extirpet.

Iapaniæ in Vniuersum prouinciæ. XLVI. Numerus Idolorum, 13 [illegible].

Idola affliguntur, ea afflictione qua afiuo [illegible] [illegible] annum exulat aut includitur.

Amanguci habitat P. Cosmas Torres cum alio quodam fratre. Habet hæc ciuitas mille quingentos & amplius Christianos. Bongum verò vbi P. Balthazar agit, cum alio quodam laborum socio, 700. Iámque aperta via est, vt omnes Christi fidem suscipiant. Rex enim impensè fauet, nec minus ipsius frater Rex Amangucensis. Det Deus ipsis fidei lumen illustrare.

Amāgucū habet 1500 Christianos, Bungum uero 700.

Firandum quod Bongo abest octidui, circiter 200. Christianos habet: summè aliquē ex nostris de-

Firandum 200. Christianos habet.

desiderant, quem si haberent, proculdubio plurimi Christi fidem amplecterentur. Multos enim 15. dierum spacio, quo ibi egit P. Balthazar, baptismate abluit, & inter eos quosdā primæ nobilitatis viros. Ipse quoque vrbis Dominus multum propēdet, quod ex hisce eius verbis satis, dum ipsum inuiserem, intellexi: Cor (inquit) meum iam quasi Christianum est: faxit Christus, vt breui verus sit nostræ religionis cultor.

Gangassimæ 500. Christiani.

Prima ciuitas, ad quam P. Franciscus appulit, Gangassima est, vbi Christiani numerantur 500. plures alioqui futuri, si operarij suppeterent. Orate Christum Dominum, vt vos huc mittat, nec dubium quin magnum futurum sit vestrum premium, & gloria.

Ex Iapanja, anno salutis humanæ 1554.

Seruus inutilis Societatis Iesu Petrus.

R. P. IGNATIO A LOIOLA Generali Societatis Iesu, Melchior Nunezius. 1554.

Epistola. 7

Pax Christi. &c.

Fœlicē B. P. Francisci mortem narrat.

SVperiori mense Ianuario de statu rerum Indicarum scripsi, nunc verò ex multis pauca perstringam, quæ contigerūt Indis, ex quo M. Gaspari, piæ memoriæ loco, Indiæ partem administro: prius tāmē nonnulla de preclaro M. Francisci obitu describā. Cùm igitur esset in portu quodā, cui nomen San Choā, conuenit cum

quo-

quodā nauta Chinēsi, vt nauigio in ciuitatem Canthanā veheretur, trecentorū aureorum piper, quòd eleemosynæ nomine acceperat, pro naulo numeraturus, præsentissimum cui sese obiiciebant, vitæ discrimen. Lege enim apud illos cautū est, vt hominū quisquis inuexisset externum, mulctaretur morte. Verùm tanta erat huius Patris charitas, ac pius animarum zelus, vt tametsi compertissimum haberet sibi subeundos esse vel perpetuos carceres, ærumnas, captiuitatem, exquisita deinum mortis supplicia, tamen hęc ipsa pro nihilo duceret, modò destinato sibi frui posset fine, & ex amplissimo Chinensi regno nonnullos ex tyrannide diaboli, Christianę adserere libertati. Neque diuina illi defuit bonitas. Nam pro ingenti quē gerebat spiritu, per mille pericula, & labores progressum dedit De⁹ Op. Max. vt vel vnū frumenti granū Chinę solo cōmissum tandē aliquando fructum daret centesimū: neq; certè minus ipsius mors clara, glorięque plena, quàm vita propter raram pietatem suscipiēda fuit. In portu adhuc, & naui existens, cùm intelligeret resolutionis suæ instare tempus, in cubiculum secedit, crebra edit suspiria, orationes assiduæ ab iis, qui ante fores præstolabantur, auditę. Totum hunc in modum, solus cum Deo solo diem, noctémq; totam orans consumpsit. Postero die affectum se admodum valetudine esse declarauit, nec quicquam sumere volebat cibi aut potus. Tertio à morbo die, cum admodum ingrauesceret, nihil præter pia ad Deū colloquia, & vota audiebātur, sub mediā deniq; noctē 2. Decembris, post legitimum vsque ad finem certamen beatum creatori suo spiritū reddidit. Lusitani autem, qui tunc aderant, corpus opertum calce plurima feretro impo-

P. Franciscus 300. aureos numerat pro naulo ad Sinas vehendus.

Dira Sinarum lex in externos.

Clara mors Francisci Xauier.

aderant, corpus opertum calce plurima feretro impoſuerunt,& non procul à mari, veſtitum,atque ornatum ſuperpellitio, & ſtola manibus in crucis formam compoſitis, ſepelierunt. Exacto verò trimeſtri, duabuſq; hebdomadis,cũ nauis eadem hac Maluccam rediret, Luſitani pro pio in eum affectu,ſepulchrum inuiſere,ac corpus,ſi grauis non obſtaret odor, Malaccã tranſportare conſtituerunt,vt in Chriſtianorũ templo ſepeliretur: viſunt igitur ſepulchrum, atque corpus ab omni corruptione adeo integrum inuenerũt, vt etiam ipſa facies præ ſe haud obſcura ferret vitæ ſigna, atque gratum ſpiraret odorem,tantum abeſt, vt quicquam vel arroſum ſit de corpore, vel(quod præ cæteris humanis vſu venire ſolet corporibus) vllã redderet graueolentiam,præter eam quę calci naturalis eſt. Verũ,vt certius adhuc illis de rei euentu conſtaret,vulnuſculũ brachio quod inſtar viuentis carnis, gratiq; odoris erat, infligunt: ſed neque veſtes quibus S.P. inuolutus erat, vel tantillum ſenſerunt corruptionis. Igitur, propter nouitatem miraculi inter admirationẽ,& gaudium ſuſpenſi,corpus Malaccã inhumandũ tranſtulerũt, vbi etſi tunc nemo de Societate erat,ſumma tamen veneratione ab amicis & deuotis quorũ nõ exiguus erat numerus,receptum fuit: verum ſiue ex ignorantia,ſiue curioſitate vt miraculũ probaretur,ſiue vt præfecto qui B. huic patri aduerſari ſolitus erat ſatiſfieret, Deo forte ita ordinante, quò illuſtrius cõſtaret omnibus illius loci hominibus Beatiſſimi huius Patris Sanctitas,Malaccẽſium ſæua conſuetudine corpus in perexiguum tumulum coniectum piſtilloque contuſum, collo crureque confractis, fuit, cuius etiamnum hodie nonnulla cernere eſt veſtigia.

Calce opertus ſepelitur.

Miraculoſa admodũ corporis cõſeruatio

Corp' gratum ſpirat odorem.

Veſtes,nec caro ſenſere calcis vim.

Sed

Sed in eum locum cùm Societatis nostræ Emanuel de Thauora venisset, qui Chinenses, & Iapanenses visebat, hortatu quorūdam amicorum corpus è sepulchro eduxit, omni ex parte planè integrum: tametsi contusionis vulneribus sauciatum, etiamnum suo cruore conspersum, nō secus ac si recens planè sanguis emissus fuisset, magnáque vt par erat veneratione, loculo quem legatus Proregis Indiæ ad Regem Chinæ missus, pro suo quo erga P. F. ferebatur studio, fieri mandârat, inclusit. Loculus verò erat tum intus, tū foris purpura obtectus, peristroma quoque addiderat aureum, eiusdemque materiæ puluinar capiti subiectum. Mox vbi intellexi nauē quæ corpus ipsum deferret, Goæ proximam esse, in lembum deponi iussi, vt eò citius ad littus appelleret, ego exemplo S. Thomæ Apostoli prouocatus videre, & palpare volui, quod in vulgus de ipso ferebatur. Nam si nos in admirationem duxit id quod passim spargebatur, an non longè amplius id commouit quod vidimus? Quamuis autem menses quindecim mortuum fuerat corpus, calce opertum, & in terra defossum, tamen perseuerabat adhuc delicata, ac mollis caro, eodemq; vigore citra omnem corruptionem, quæ vel à calce, terra, aut etiam vermibus nunquam non contrahitur, odoremque spirabat suauissimum. Demum die Veneris ante Dominicā Palmarū, qui fuit 16. Martij, Goam appulimus, vbi in littore Prorex cum tota Indiæ nobilitate, clero, societate, quam vocant misericordiæ, ac vniuerso populo, nostrū expectabat aduentū. Postquam autem è naui depositum est, nos, qui è Societate eramus sacerdotes, humeris subeuntes in eodem loculo ad monumentum à nostris ad id com-

Honor S. corpori exhibitus.

Corp⁹ sub terra calce opertū 15. mēsibus incorruptum gratique permāsit odoris.

Noua idolatria

Veneratio sancti corporis. comparatum sublimiori in loco, quo omnibus magis esset conspicuum, deportauimus: vbi verò ad templum vētum esset, Prorex ad genua pronus se deuoluit, & loculum exosculatus est, deinde eodem venerationis officio totus populus corpus sanctum est prosequutus. Quantum mihi coniectura consequi licebat, videbantur esse in templo supra quinque aut sex hominum millia, qui non se auelli passi sunt, à sepulchro, priusquam corpus viderent. Necessitati igitur cedentes omnibus ostendimus: tanta verò extitit deuotio, religioque huius populi, & admiratio, vt nihil vnquā me vidisse meminerim, quod tantopere ad gratiarum actionem nos inflammaret. Alij flebant, alij pectus tundebant à Deo veniam peccatorum postulantes, alij tanto molimine nitebātur suis rosarijs corpus cōtingere, vt etiā tēpli cancellos frangerēt, nullū pedes ipsius exosculādi finē faciētes. Sanè eò spectare populi pietas videbatur, vt nisi in re præsenti nos adfuissemus, fortè corpore in minutissimas particulas discerpto, sibi quisq; aliquid rapuisset, quod reliquiarū loco asportasset: neq; ante diei Dominicæ noctē mediam, præ nimia populi frequentia in monumento copus condi potuit, aut templum claudi.

Prorex corpus B. flexis genibus honorat.

Si Jesuitæ non eum pudorem vera pietate ex sua ...

Populi erga S. corpus pietas.

Memorabilis Franciscanorū erga defunctum religio. Die sabbati religiosi duo Franciscani templum nostrum adeunt, & sacrificium Missæ, non tanquam defuncto Requiem precaturi, sed honorem exhibituri, gratiasque acturi Domino Deo, de beata Virgine cecinerunt; Die porrò Veneris, qui hoc sabbatum proximè antecedebat, summi templi Canonici de sancta Cruce solennia fecerunt Missarum: suo testimonio comprobantes, quod sicuti M. Franciscus his in locis illustria crucis statuerat trophæa: ita per eādē cœlos conscen-

Canonicorū de defuncto testimonium.

Vel ex hoc vnico loco apparet, verum esse illud Saluatoris nri Matthæi. 23. Væ vobis Scribæ et Pharisæi hypocritæ, q circuitis mare et aridam, vt faciatis vnum proselytum, cumque fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quam vos.

conſcendiſſet, vnde & ſacræ cruci meritos etiam deferebant honores. Neque miror populum vna voce ſanctum corpus conclamaſſe,quia etſi vita, virtutumque magnitudo argumentum ſpiritus ſancti gratiæ in eo abundantis oſtenderent: vide re tamen humanum corpus, natura ſua præ reliquis animantibus magis obnoxium corruptioni immerſum calci,quæ carnē exedit, & oſſa vi ſua comminuit,nō labefactatū eſſe. neq; vel tantillū odoris tetri totis quindecim mēſibus contraxiſſe proculdubiò naturæ ordinem,& vires ſuperabat.

Plurima de eo poſt mortem innotuerunt,quę dum viueret, occulta manebāt. Religioſus quidam inſtituti D.Franciſci,P.Ioannes Derius,vir integerrimæ vitæ, qui nonnunquam P.Franciſcū comitatus fuerat, antequam religioni ſe mancipaſſet: vbi tanta gloria fulgere ipſius corpus vidit,dicere cœpit: Quandoquidem diuina bonitas M. Franciſci ſanctitatem palam mundo oſtendit: volo & ipſe aperire, quæ nulli vnquam mortalium communicaui.Erat(inquit) pię memoriæ Franciſcus dono prophetiæ donatus:Nā cùm aliquando pijs cogitationibus quibuſdam immerſus eſſem,eaſque ne illi quidem reuelarē: omnes mihi ſigillatim per occultam Dei inſpirationem cum lachrymis religioſus P. edifferebat. Vicarius item S. Thomæ, apud quem M. Franciſ.hyemauerat, mihi, & cunctis alijs dixit ſe id certò ſcire, virginitatis dono ornatum eum eſſe, quod cùm ſecretorum eius conſcius fuiſſet, potuit aſſeuerare: multi quoque conſtanti ſermone affirmabant eum in Com morino promontorio mortuum ad vitam excitaſſe. Ad hæc frater Paulus Sanfidius Iapanenſis, qui ſepius ei comes itineris fuit, mihi pro re

Sancti poſt mortē clarent.

P. Ioannis Derij Frāciſcani de P. Frāciſco teſtimonium.

Vaticinandi ſpiritu prædit⁹ fuiſſe uidetur pater Frāciſcus.

Mortuum ad uitā dicitur reuocaſſe Pat. Frāciſcus.

Cæco lumen restituit.

pro re verissima adfirmauit, quod cæco lumen restituisset. Reliqua breuitatis studio omitto: quòd Proregis consiliū sit ipsius gesta integræ seruare historiæ, atq; ad Regē mittere, cuius rei negotium, Vicario generali commissum est.

O beatum patrē, & benedicta vestigia itineris, laborum, periculorum, quæ subijt: quādoquidem non solùm id est promeritus, vt animus gloriæ æternæ fœlicitatem consequeretur, sed etiā corpus tot signis anteactæ vitæ integritatem, & innocentiam comprobantibus illustre redderetur. Speramus, tametsi dux noster, & antesignanus in Chinæ ingressu obierit: non futurum ob id, vt pedem inde referamus: quin potius eius exemplo erecti diuino iuuante numine, pari animi robore rem vt difficillimam, ita & præclarissimā prosequamur. Etenim si Dominus tanto præmio affecit eum, qui tenebatur solùm ingrediēdi Chinam desiderio, cùm non sit ingressus: non minori eos successu, præmioq; dignabitur, qui penetrarint, modò digna extiterint diuinæ bonitatis instrumenta. Quapropter necesse est, vt huc veniant aliqui spiritu magno præditi, qui perruptis regni repagulis, nobis sint adiutores, ad subiugādum fidei Euangelio agrestem planè, ac ferocē plenamque inimicorum fidei Christianæ regionem. Quāuis autem labores periculis coniuncti subeundi sunt plurimi, & conuersionis principiū multis difficultatibus obnoxium, spes tamen nō exigua est fructus amplissimos fore.

Reges prīcipesque ad fidē nostram propensi.

Certè M. Franciscus in Iapania labores & pericula nō pauca expertus est, & quæ erat eius humilitas, semper ea celauit, adeoque hunc agrum excoluit, vt potius ad colligendos fructus, quàm nostra industria parādos ire videamur. Rex enim

Aman-

Amangucenſis, apud quem eſt P. Coſmas Torres,& Duardus Syluius: item Rex Bongenſis, cui vt fidem perſuadeat, operam dat P. Baltazar Gagus,& Ioannes Ferdinandes: item Dux Firandẽſis ad Dominum Alphonſum Proregem prætetito menſe Aprilis literis ſignificârunt, ſe iam demum veritatem agnoſcere,& legem conditoris vniuerſi probare, quam noſtri ex vltimis terræ finibus attulerũt. Rex autem Bonganus facile Regum Iapaniç opulentiſſimus, ad Proregem legatum cum literis & muneribus miſit, quibus declarauit ſe teneri deſiderio, tum vt Chriſtianus efficiatur, tum vt amicitia cum potẽtiſſimo Luſitanorum Rege iungatur. Arbitratur enim nullius gentis adeo eſſe nobilem Regem, vt qui & virtutibus ſit illuſtriſſimus, & opes ſi ſpectemus, longè potentiſſimus. Quamobrem & ſe beatum ſperabat fore, ſi cum eo ſibi fœdera amicitiæ conſtarent. Fatetur ſe non longè abeſſe à regno Dei, ac ſe vno tantum impedimento retineri, ſcilicet timoris humani, quem ſubiecta ſibi incutit nobilitas, quæ ſuo abſque conſenſu fas non eſſe arbitratur Regi nouam admittere religionem, recipit tamẽ nullam in ſe moram futuram, ſimulatque Principum aliqui Chriſtianorum ſacris fuerint initiati. Iapanenſes adeo ſunt bona indole præditi, vt nonnunquam audierim ex M. Franciſco ſe in toto orbe nuſquam inueniſſe homines magis rationi obſequentes. Qui ad Chriſtianiſmum ſeſe conferunt, quorum ſupra quatuor millia exiſtit numerus, neque vllius compendij ratione, neque vt militiæ præfectis ſint commendatiores, multò minus vi aliqua inducuntur, ſed vltrò,& cũ recto rationis iudicio, ad verã cognitionem legis Domini noſtri Ieſu Chriſti veniũt, quo-

Rex Bonganus.

Iapanenſes rationi obſequẽtiſſimi.

Ingeniosi Iapanenses.

quorum animos eò vberiori gratia sua Dominus ornat. Rationes, & argumenta rerũ optimè capiunt, & respondẽt interrogationibus sibi propositis ingeniosè: si qua de re addubitent, cum modestia rationibus additis institui desiderant. Iam verò postquam euidentibus argumentis edocti, falsas esse opiniones, & errores diabolicos, in quibus hactenus versati sunt: & contrà, legem Christi esse conformem omni legi naturali: haud inuitos patiuntur se ad Christi fidem traduci. Cùm verò sacro abluti sunt baptismate: ita gratia Christi in eis redundat: vt maximo cũ

Feruor ipsorum, & studium in Christianismo.

feruore aduersus Ethnicos parentes suos, & familiaritate iunctos disputent, eumcantque ipsorum fidem falsam esse, & fictam: nostram verò veram, & synceram. Sunt nonnulli qui cùm non possint nostram fidem rationibus tueri, ab armis (nisi à nostris prohiberentur) non abstinent. Audiui sæpenumerò ex Magistro Francisco eo se nomine solari, & plurimum operæprecij percipere, quod nouorum in Iapania Christianorum is sit fidei feruor, vt si res ita postularet, citius certè occumberẽt morti, quàm Christi legem desererent. Nobiles plerique, & ex primarijs plurimi

Constãtia Christiana.

fidem Christianam suscipiunt, & quò quisque est maiori ingenij acumine præditus: hoc ad fidem conuertitur facilius. Rex, qui Buugi im-

Rex Bongi in Societatem liberalitas, ac pietas.

perat, Societati aream assignauit amplissimam planè ædificandis domibus, Ecclesiæ, hortis, alijsque rebus necessarijs accommodatissimam, cui & id concessit priuilegij, vt nullus eo in loco capite plecti, nec quidem in vincula conijci

Priuilegia cõcedit collegijs Societ.

possit: liberam præterea fecit omnibus citra noxam ad nostram religionem conuolandi potestatem, seueras addens comminationes suppliciorũ

ijs, qui

ijs, qui vel patribus noſtris legē veritatis nunciātibus, vel ijs qui ſua ſponte ad Chriſtianiſmū ſeſe conferunt, eſſent moleſti. Eadem priuilegia Rex Amangucenſis iam cōmemorati Regis frater, conceſſit, quibus, quàm latè ſuū patet regnum, vtamur. His, ac alijs de cauſis ſunt quidam ex noſtris Sacerdotes in Iapaniam profecti, vt his de rebus certius aliquid cognoſcerent: & ſi quis defectus eſſet operariorum in tam ampla meſſe, ſuam quoque ibi operam nauarent. Incredibile eſt quantum id quoque ad profectionem in Iapaniam ſuſcipiendam nos inflammarit, eòque magis, quòd paulò antè inuulgari cœptum fuerit propter inſperatam M. Franciſci mortem, de feruore populi, nec non Ethnicorum conuerſione, plurimum remitti. Sed alia ex parte me interitus M. Gaſparis, & Emanuelis Moralis, & P. Vrbani detinebat: cùm fidem in India iam floreſcentem neceſſe quoque erat ad maturitatem perduci. Aliquot tamē rationes euangelizādi Iapanēſibus me ad illud iter ingrediendum incitārunt. Patrum omnium mens, & voluntas M. Frāciſci noſtri Prouincialis exiſtimantis in literis eruditionem plus adiumenti, & vtilitatis Iapanēſibus, quàm Goanis allaturam: quòd talis ſit populus, qui de rebus ſingulis rationes poſcat. Deinde exemplum præeuntis ſuperioris noſtri Magiſtri Franciſci qui cùm potuiſſet Goæ cum fauore, & beneuolentia Principum in otio quieſcere, fugit tamen: labores potius, quàm quietem, pericula, quàm ſecuritatem, crucem quàm delitias amplexatus, inuiſendo toto 12. annorum ſpatio, quibus in India fuit, Comorinum, S. Thomam, Maluccas, Amboinum, inſulas Diomorinas, Iapaniam, Chinam deniq;. Mihi verò, cui

Regis Amāgucenſis in religionem animus.

Otium fugiēdum, labor uero crucis amplectendus eſt.

Duodecim annis Pat. Franciſc⁹ Indis conuertendis deſudauit.

cui(tametsi inutili,& indigno)suum onus imposuit,cùm non viderer officio meo satisfacere,quo erga diuinum honorem quærendum, & pro Societatis nostræ instituto, ad salutem proximorũ promouendam, obstrictus sum: vitio verti iure posse video,maximè si Goæ manerem cui iã ita prospectum est, vt mihi persuadeam neminem illic salutis suæ iacturam facere posse,cũ per præconum Euangelij istic locorum abundantiam populus non infœliciter sit institutus. Quamuis me occultis quibusdam stimulis à Deo vocari sentiebam, illuc nõ nimium tamen mihi sumẽs, aut plus æquo confidens, quò maiori securitate, animique tranquillitate negotium à me attentetur, hoc totum iudicio P.Pauli, & M.Baltazaris Diazij,& quorũdam aliorum commisi, per quos mihi Dominus(vt speraueram)suam declarauit voluntatem,dum meum propositum ab omnibus,etiam Prorege,qui mihi viaticum subministrauit,vnanimi probatur consensu.In Iapaniam igitur læto animo, populo Goensi profectionem comprobante,quòd sperarent ei genti in magnũ salutis commodum cessuram,me accingo.Accedit eò quòd Dominus Deus animum Dom.Ferdinandi Mendosij Montis Maiorani, familiaris & deuoti admodum R.P.Francisci(qui decẽ aureorum millia in bonis habebat) vt mecum in Iapaniam proficisceretur,hac quam exponã, occasione impulerit. Octiduo ante meum abitum ipsa Dominica, qua de bono pastore Euãgeliũ populo exponitur,mecum profectus est ad insulam Chioram tribus miliaribus Goa dissitam,in qua templum D.Virginis à gratijs extruebatur, ad quod opus perficiendum 50.aureos est elargitus.Nec ei defuit B. Virgo:cùm enim de Deo, rebúsq;

Nemo sibi fidat facile

Contẽptus diuitiarum propter euangelium

rebusq; spiritualibus, mira deuotionis, charitatísque feruore vnà colloqueremur: vouit ibidem (quantumuis temeritatem veritus, ne ea ratione faceret, prohiberē) se corpus, animam, fortunásq; omnes, ipsam denique vitam in Dei gloriam, proximorumque salutem perpetuò impensurū. Vir est submissi admodum animi, & cui, vti cōfidimus, diuina bonitas amplissima gratiarū dona tribuet. De rebus suis ita disposuit: sororibus, fratribusque germanis in Lusitania commorantibus duo aureorum millia misit: reliquam pecuniæ summam in eleemosynas erogauit. Existimo enim eum in Iapaniæ profectionē amplius 4. millibus expendisse, tum vt munera quædam emeret, quibus beneuolentiam, & amicitiā Regum ac Principum aucuparemur: tum vt in præcipua Iapaniæ ciuitate templū erigamus. Quoniam verò iam olim in Iapania & China quatuordecim annis mercaturę operam dedit, & in notitiam Regis peruenit: legationē Proregis Indiæ nomine ad Regem Bungēsem obit: preciosissimaque munera nomine Regis Lusitaniç defert: eū speramus adiumenti nō parū in suscepta profectione allaturū. Hunc Mendesium inquam adhuc nobilium more purpuratum (quòd legatione fungatur ad Iapaniæ Reges, quibuscum ipsi de grauissimis rebus tractandi incumbit cura) R. tua Christo Domino commendare nō cessabit, etiam hoc nomine, quòd in sodalitium nostrum, ac inter fratres Societatis sit admissus. Admirationi profectò futurus est multis, quando non solùm verbo, sed etiam exemplo vitæ, cernent eum, quem aliquando beatum propter opes prædicauerant, contemptum mundi ostēdere, ac nudum Christum nudè sequi, qui paulò

Regis Lusitaniæ legatus ad Reges Iapaniæ.

antè mollibus vestiebatur,vt vel sic intelligāt maleuoli,nos nihil præter Dei honorē,ac lucrū animarū quærere.In Iapaniā proficiscimur,P.Gaspa rus Vilella,& ego sacerdotes, item quinque studiosi,Melchior,& Antonius Diazij , Ludouicus Fruys,Stephanus Gois,& frater noster Ferdinandus Mendezius.Hos enim elegimus , qui vt virtute maiori cęteris præstant,ita magis idonei ad discendā linguā Iapanensem videbantur. Abducimus quoq; quinq; ex ijs orphanis,qui Goæ curæ nostræ subsunt: commodum enim videbatur Proregi,& patribus nostris, vt edocti linguā Iapanēsem loco interpretū esse possint nostris,qui Roma ad Gentiliū conuersionē, & amplissimorū Iapanię regnorū sunt vēturi. Adolescētes autē delegimus,qui virtutū iudicijq; naturalis præsidio ad recipienda diuina charismata specimen reliquis illustrius prę se ferētes,ad institutū quod aggredimur,magis idonei videbātur. Illud profectò admiratione dignū est,quodq; homines ad Deū laudādū maximè prouocet,cernere scilicet alacritatē, & promptitudinē hoiū omniū , quos nobiscum abducimus , & alia ex parte eorū qui in nostro,& orphanorū Collegio relinquūtur,lachrymas intueri,quòd laborū,& discriminū non possent esse socij. Ex primarijs quoq; ciuibus plurimi vnà congredi expetebāt, mundi delicias vt seruirēt Christo,posthabētes. Atq; adeò tantus erat eorū feruor,vt tantū nō vi illata,nos cōpellerent,ipsos in Euangelij expeditionē admittere.

Laboris & discriminis pro nomine Christi desiderium.

Quidā soluisse nos aduertēs,ac celeri vestigio cōsequēs,cùm in nauim cōscendisset, summis precibus cōtendebat ne à nobis in continentē remitteretur. Nōnullæ præterea antiquę matronæ virtute,& generis nobilitate clarę,mihi ante discessum

Matronarū animus ad euāgelizandū suo sexui.

ſum ſupra modum importunæ extiterũt, vt ſincerẽ & ipſas nobiſcũ in Iapaniã nauigare, ſuã optãtes operam mulieribus in Iapaniam conuertendis impendere. Ex Goa pręcipui nobiles cùm cernerent planè ſibi per noſtros in Iapaniam traiiciendi negatã iri poteſtatẽ, muneribus expugnare nos attentabant, quibus Regũ, Dominorumq; gratiã tũ nobis, tũ nouis ad fidẽ noſtram cõuerſis demereremur, vt vel beneuolẽtię ſignis minus auerſarẽtur fidẽ Chriſtianã. Deus Op. Max. verũ illis lumẽ cõcedat, vt impuro Deorũ cultu repudiato, veritatẽ agnoſcẽtes in Ieſum Chriſtũ Dei filiũ credant. Cæterùm (quod fortè prius dictũ oportuit) cùm Goæ nos ad portũ cõferremus, pleriq; ciues omnes nos deduxerunt, quibus ſimul cum valedictione mutua, ingens obortus eſt lachrymarum imber: ſed priuſquam conſcenderemus, ad Beatæ Virginis Choanæ ibamus omnes: vbi ſacris peractis, cum innouatione votorũ, Deo ab omnibus agebantur gratiæ, ac proſperitas in ſuſcepta iã peregrinatione petebatur. Porrò quẽadmodum hoc primo die diuina ipſius bonitas nos haud vulgari ſuauitate conſolationis, & ſpei refecit: ita ſperamus futurum deinceps, vt ad maius meritum multis nos obiiciat pro ſuo nomine difficultatibus, ac ſub iunipero ſanctę Crucis tribuat quietẽ. Nam dum conuertendis infidelibus ſincerè datur opera, in periculis ſecuritas, in laboribus quies, in miſerijs gloria, & verũ Chriſti obſequiũ inuenitur. Etenim hic purus diuini honoris amor, & ſalutis animarũ deſideriũ exercetur. Hìc tribulatiões, & labores nõ permittũt in obliuionẽ venire iuſtitiã bonitatemq; diuinam, hìc infideliũ cõtradictiones, fidei, ſpei, & zeli diuini faciunt incrementum, hic certa ſpes præmij, & coro-

Quid ſibi proponere debet euangelizans.

Vbi uerũ Chriſti obſequium.

coronæ, & vberrimus animarum fructus, hic postremò quò magis desunt humanæ consolationes,& præsidia,hoc copiosius ille nobis adest consolator sanctissimus. Ac demũ si his in locis Deus martyrij gloriam non quærẽtibus tribuit, quantò magis expetentibus eam est cõcessurus.

Martyriũ Mendezij.

Germanum fratrem nostri fratris Ferdinandi Mendez, cùm cepissent Mauri regni Bintani, quod est vltra Malaccam,neque possent blanditijs, & pollicitationibus inducere,vt Maurus fieret,varijs tormentorũ pœnis attentârunt, si quid haberent virium compellendi. Principio alligatum arbori tormenta bellica ter, aut 4. in eum exonerauerunt frustrà,cùm illum ne attingerent quidem. Neque idcirco finem fecerunt suæ crudelitatis, quin potius in eum B. Virginis præsidium inclamantem, non ante destiterunt sæuire, donec machina bellica medium traijcerent, gloriosumque martyrem propter constantem fidei promissionem efficerent. Iam verò in Tantana,quæ est remotior vltra Malaccam,quá etiã nobis iter faciendum est,cùm Mauri Lusitanum cepissent,neque eorum hortatu, ac impulsu vellet Christi religionem abnegare, eligens potius mori,quàm propriam salutem cum fide deserere:illi amplissimos obtulerũt honores,& copias, si Maurorum sequax esset religionis. Quem cúm viderunt ea esse animi constantia, vt non posset istis honorum, & fortunæ ludibrijs commoueri,neque latum quidem vnguem à sua sententia transuersim agi,illum ex arbore in quosdam palos acutos, humi defixos præcipitem dederunt, quibus infixus nomen Iesu continenter inuocabat. Impij verò à confossi facie pellem detraxerunt, manus, pedesque vnguibus spoliârunt:

Aliud martyrium crudelissimũ.

O praeclarum idolatra diaboli martyrem.

runt: neque ea crudelitate exatiati, gladio quoque illi viscera aperuerunt, & eduxerunt, quibus tormenti generibus tridui spatio cùm crudeles oblectarentur carnifices, Lusitanus nihil prçter suauissimum nomen Iesu ingeminabat. Erubesce Sidon, ait, mare. Alij sunt etiam plurimi hic martyres qui fortè dum non martyrium quærũt, tamẽ eo illos dignatur Deus. Quid igitur agimus, quid moramur? veniunt ab Oriente, & Occidente, & sedent in regno Dei cum Abraham. Quid nos detinet, quamobrem tam illustres victorias, atque triumphos nobis eripi patiamur? Hic oues Iesu Christi vagæ feruntur, quòd non sunt pastores, qui in vnum ouile eas cogant. Venite Patres, & Fratres charissimi, vel tanquam pastores, vel tanquam mercenarij, quia merces amplissima est ijs proposita, qui aucto ouium grege, sic in vnum ouile compellunt, vt vnum eundemq; agnoscant pastorem. Expendite quçso quàm vasta sint Iapaniæ regna. Considerate quàm ampla sit Chinensis ditio, vt quç amplitudine Christianum superet orbem. Hanc meritorum in eos coronam benignus Deus Societatis nostræ Patribus videtur reseruasse: vt qui obediẽtiæ sacramento eò missi fuerunt, illos in fidei explicatione erudiant, atque ijs de rebus, quas humana mens neque intelligere, neque comprehendere potest, informent, vt verbum vitæ æternæ audientes, in Christum credant, & credentes gloriam æternam, finem nostræ creationis, consequantur. Verendum patres, & fratres mei, ne seuerè hac de re sit Deus à nobis exacturus rationem, nisi magna diligentia succurratur animis pereuntibus, quos Christus suo sanguine redemit, præsertim cùm nobis nulla non offeratur

Alij plures martyres.

Exhortatio ad martyrium.

China regnum amplissimum.

bene merendi de illis occasio.

Cauete igitur ne vobis vera desit charitas,quę ad id salutis negotium cõprimis est necessaria. Euoluite animo, fratres mei, quale officiũ Deus nobis in terram degentibus commisit: certè augustissimum:quid enim esse potest augustius,atque illustrius,quàm animas Christo lucrifacere, & aberrantes oues ad suum pastorem reducere? cùm de hoc genere officij gaudio incredibili Angeli afficiantur in cœlo. Certè lege Christianę charitatis obstricti sumus ijs opem ferre,quos sibi Dominus in his Iapanię, Chinęque finibus delegit. In Iapania verò, & China nulla memoria, nulla extat cognitio Domini nostri I E S V Christi. Offeramus nos ipsi Iesu instrumenta diuini sui obsequij, vt tandem sua dignatione sonus, & vox Euangelij in terram Chinarum,& Iapanensium feratur. At necesse est, vt insignes eò milites concedamus,vbi dux,& antesignanus noster occubuit, ne à victoria degeneres repellamur. Ab vrbe Roma, atque etiam ex Lusitania opus est,veniant milites ad spiritualem pugnam ita instructi, vt post pręclaras victorias illustria quoque statuere possint tropheа. Tales eos esse opto,quales extiterunt Gedeonis milites, vt pauci sint,sed fortes, & in bello acres, atque ex alto stantes bibant quantum satis est, ne animi affectum in res fluxas,& caducas,terramq; abijciãt: neque etiam vereantur sua vasa fictilia ad terram illidere,non magni hanc vitam ducentes pro salute proximi. Militia autem, quia nocturno fit tempore, lucernę accendendę sunt fidei,& charitatis,quòd periculo non careat bellum,citra lucem suscipere. Afferant tubas sapientiæ,verbiq; diuini:vt ante ipsos cuncti hostes visibiles,atque inuisi-

Officium Societatis & cleri.

Frãciscus Xauier euãgelizantiũ in India antesignanus.

inuiſibiles,procumbant & comminuantur idola, fugentur dæmones, tollantur errores, & idololatriæ ſuperſtitiones euertantur:nomẽ verò Domini noſtri I E S V Chriſti illuſtre fiat, honori ducatur, ac in ſublime tollatur,cui ſoli honor,& gloria, per ſecula ſeculorum. A M E N.

Anno 1 5 5 4.
Filius indignus Melchior.

EDVARDVS SYLVIVS SOCIETATIS *Ieſu fratribus in India agentibus,* 4. Idus Septembris. An 1555. Epiſtola 8

CVM ex ſacræ obedientię præſcripto mihi incumbat,Fratres chariſſimi, res tum noſtras, tũ Chriſtianorum hîc degentium ad vos perſcribere : faciam id quidem, & ea quæ fortè nunc in mentem venerint,complectar. Deceſſit hinc Petrus Alcanzena menſe Septemb.Anno 1 5 5 3. tunc P.Coſmas Amanguci mecum remanſit cũ quatuor Chriſtianis, Laurentio,qui idioma Iapanenſe probè nouit:Melchiore Iapane, qui more noſtro noſtra & legit & ſcribit: Ioanne & Franciſco Bengalanis, qui res domeſticas tractant. Bongi relicti ſunt Baltazar Gagus, Ioannes Ferdinandus, Amator, & Bartholomeus, Miſſæ ſacrificium continenter hactenus hic actum eſt,cõcio etiã habita,ſeu lecta potius ad populũ Iapanico ſermone,auditorio ſatis frequẽti.Chriſtiani ſingulis mẽſibus cibos pauperib⁹,prẹmiſſa tamẽ, quã ipſimet habẽt, cõcione, miniſtrãt,nec pauci

Miſſæ ſacrificiũ & cõciones in Iapania.

Christianismum amplectuntur quotidie, atque inter eos nobiles nonnulli, & in Regis aula primarij: ijque tanto ardore fidei initia prosequuntur, vt etiam quilibet sacræ piscationi animum intendat, & alius 15. alius item 20. ad Euangeliũ pertrahat: inter alios, Bonzos duos Maiacenses (quorum alter egregiè suæ sectæ peritus) Christianorum exemplum ad fidei lumen induxit. Doctior multas mouit quæstiones, totumque animi sui sensum, quidnam de anima, eiusque creatione sentiret, aperuit P. Cosmæ. Summa erat nullum esse Creatorem. Voluit tamen qui ipsum creârat Deus, suam ipsi gratiam impartiri, qua reiecto errore, ipsum Creatorem agnosceret. Tãtum enim efficacię contulit Deus P. Cosmę responsionibus, vt in alium prorsus hominem, ab eo qui prius fuerat eum trãsformârit. Cœlum à terra tantum non distabat, quantum ille à Christo; cui in posterum seruire decreuit, ac se rerum diuinarum studio totũ dedere. Quare reiectis omnibus, quibus primo impẽdebat operam, propius ad nos habitatum accessit, characteres nostros formare didicit, ita scitè, vt ad Ioannem Ferdinãdum epistolam scripserit, cuius exemplũ mitto; sperat P. Cosmas vtrunque fore vtilissimum Iaponię, vt in hac latius Dei nomẽ propagetur. Alius quidã Baptismũ suscepit, humanus admodũ & fama celebris, ingenio & literis præstans: qui licet in errore quinquagesimũ annum excesserit, nunquã tamen aut sectas vllas probare, aut creaturas colere voluit: Paulo ei nomẽ est, vt Christianã fidẽ amplecteretur, hęc fuit occasio. Vxor primũ Christũ, per nostros amplexa, viro prędicare, ac cõmẽdare Christianorũ doctrinã, vt veriorẽ, nõ destitit, donec marito quod iãdudũ mẽte cõceperat,

Nobiles & primarij reges Christum amplectuntur, itẽ Bonzi duo.

Quinquagenarius fidem Christianam suscepit.

rat,persuasit,qui iā totus est in reb⁹ diuinis. Christianas preces memoriter didicit, proprio marte sphерulas sibi precatorias,& crucis effigiē sculpsit. P.Cosmam,vt intelligat,sæpè accedit,multisque quęstionibus exercet. Mirū quantoperè hoc ipso Christianorū accrescāt animi,ac gentiles excitētur. Fratrē suū quoq; nō minoris ingenij ad Christū cōuertit,& multos alios, parentes, affines, & quotquot sibi ī sanguine vel cōsuetudine iunctos habuit. Ab omnib⁹ ipsius humilitas,animiq; submissio celebratur,cū summa alioqui virtute coniuncta. Quę in Iapanicā linguā traducta erāt,omnia transcripsit,& in meliorem ordinem redegit, eaque sedulò meditatur,quo quidem rem cumprimis vtilem suæ genti fecit,eaque hac in re pollet dexteritate,vt hinc apud tribules & amicos sacræ scripturæ non parū cōmendationis accedat.

Paulus parentes suos ad Christi fidem conuertit.

Alius item vir nobilis,& primarius, annos 80. natus,qui solebat antea magnis honoribus, raroque cultus genere idola venerari (nam ex frequenti idolorum contrectatione manus ipsi iam callos obduxerant,dum illa nunc huc, nunc aliò transfert,figit,atque refigit,& aliis in sedibus collocat,prout gentilium ferunt ritus & mores) ad Christum conuersus est,inutilemque istum idolorum cultum ac vanitatem tandem agnoscere, atque damnare cœpit. Iámque nihil æquè virum angit,ac tantæ impietatis memoria. Conqueritur identidem,lamētatur, nec aliud ferè verbum loquitur,quàm quo labores,ac cœcitatem pristinam deploret. Iam de erigēda in gratiam Christianorum æde sacræ cogitat, eorum præsertim qui sub se degunt, quo sæpè conueniant, ac de rebus diuinis colloquantur, earumque commemoratione sese mutuò ad maiora ac perfectiora inflam-

Primas octogenari⁹ fidem amplectitur.

inflamment,& quæ ad salutem pertinent, exactius addiscant. Librum quoque Iapanicè de lege Christiana propria manu transcripsit, nihil omittens,quo subditos suos omni animi contētione ac studio ad Christianam religionem hortetur. Filius patrem in Christi fide præuenerat. Res diuinas rectè intelligūt, missę oblationibus, sacris concionibus,& id genus aliis Christianorum exercitiis diligenter intersunt.

Aliancum ciuitas.

Est oppidum Aliancum, quod Amanguco 3. miliaribus abest:In quo 60. ferè fidem susceperunt. Sed omnes hi rustici sunt,legendi scribendíque prorsus ignari, magno tamen animi feruore de rebus diuinis agunt, vt alius quisquam, ita vt ne docti quidem gentiles in hanc arenam descendere cum ipsis audeant:sed & Bonzū contigit,qui disputando aliquoties molestus erat, magno pudore victum abire, quare malum hoc quod sæpè molestum erat, sustulerunt. Sæpè conueniunt, de rebus Christianis acturi, vt hoc modo inuicem inflammēt,& in legem diuinam excitent. Laurentius, quo tempore frigus sæuiebat acrius,à P.Cosma missus, ipsos animauit, spoliáque insuper retulit 12.hominum,inter quos & vetulæ aliquot ob deuexam ætatem edentulæ,quas tamen nec frigus, nec labor ab instituto retraxit. Hæ breui admodum spacio Christianas orationes memoriæ mandauerunt, eásque expeditè pronunciant æquè atq; nos: verùm hoc commune est omnium christianorum. Illinc etiam nuper ad nos quidam christianus venit,retulitq; fidelium numerum ad 300.excreuisse,studiumq; fidei omnes vnum habere,& spem optimam in posterum superesse.

Rustici Christiani indocti acutius disputant Bōzo.

Vetulæ edentulæ cōuersæ hoc fuit, fere prakxit

300.conuersi.

Pridie Natalis Domini anni 1545.Domus nostra

ſtra Chriſtianis referta fuit,& quidem nobilibus tum viris tum mulieribus. Hora prima noctis poſt occaſum,cœpimus per vices librum legere lingua Iapanica, de ſex mundi ætatibus, ab Adamo ad finem mundi conſcriptum,in quo agebatur de hominis creatione, & ſtatu innocentiæ, & peccato. Item de orbis totius inundatione, origine linguarum poſt Nochum, Idololatriȩ initiis, excidio Sodomæ, hiſtoria Niniuitarum: præterea Ioſephi captiuitate, qui Iacobi Patriarchæ filius fuiſſet: Regis Pharaonis in Iſraelitas tyrannide, eorumque, duce Moyſe, liberatione. Dein de lege diuinitus data in monte Sinai, ingreſſu Iudæorum in Paleſtinam repromiſſam à Deo: Item de Dauide, eiuſque adulterio, & pœnitentia. Poſtremò Elia & Eliſeo, Iudith, ſtatua Nabuchodonoſoris, Danielis quoque rebus geſtis. Atque in hac lectione ad medium noctis perſeuêratum eſt, non ſine omnium qui aderant, conſolatione, & confirmatione: ſubſecutum eſt ſacrum Muſico concentu: celebrauit autem P. Coſmas, quæ res etiam non mediocriter omnium animos recreauit. A Miſſæ ſacrificio ad enarrationem ſextæ ætatis ventum eſt, quæ Chriſti aduentum continet, ſalutemque noſtram. Adeoque hic erectȩ omnium mentes ſunt,vt non minimam occaſionem ipſorum conſtantia, lætitia, & gaudium, intuentibus dederit diuinam extollendi benignitatem. His ita peractis, apud nos pranſi ſunt pauperibus tum & poſtridie epulum datum eſt,ſeque hoc die natalis dominici, ſic Chriſto totos impenderunt.

Nobilium ad cōcionē confluxus.

Prandium pauperib' erogatum.

Quadrageſimȩ verò tempore magna confitentium tum multitudo fuit,tum religio,qui & ieiunio

ieiunio & abstinentia totam Quadragesimam peregerunt. Potissimum verò omnium ardor & studium emicuit illa sacra hebdomada, cùm Christi agonis memoria celebratur. Multi domum nostram accesserunt, tum vt cibum apud nos sumerent (id enim religiosius arbitrabantur) tum vt noctem integram, quod & fecerunt non sine eximio fructu, piis colloquiis darent. Ipso sacro Passionis die sanctæ Crucis officio omnes interfuere. Passio Domini vulgato idiomate prælecta est.

Officiũ S. Crucis celebratur.

Pascha simili studio celebratum est, & aliquot sacro fonti admoti: quod supererat temporis, ad secundam post occasum horam concionibus impensum.

Alia quædam desumpta ex epistola P. C*o*smæ Torres, *mensis Augusti.*

Epta 9.

10. aut 12. quotidie baptizantur.

MOdò diebus singulis 10. aut duodecim pauperes ad baptismum confluunt, quorum votis non annuimus prius, quàm nobis de constantia eorum, & synceritate constet, & quæ ad rem tantam requiruntur, intelligant: ad quod Dei opem implorare discunt: orationes memoriter indies recitant: Deoque de beneficio præstito maximas gratias agunt, ad conciones quotidie veniunt, monentur vt infirmitatum & paupertatis onus fortiter Christi nomine ferant. Eleemosyna ipsis datur, ac læti domum remeant: videtur omnes breui Christiani futuri.

Epta 10

Ex aliis in Octobri scriptis.

QVotidie quidam fidem amplectuntur, plurimi tamen pauperes, quos huc non parum excitat

excitat diuitum charitas, magnoque in eos beneficia, qui dum ad templum, vt sacris missæ intersint, veniunt, ex ordine sedentibus eleemosynas largiuntur, solanturque, quo fit vt de accepta Christi fide summoperè sibi gratulentur. Nec minus diuites, animaduerso nostrę Ecclesiasticę hierarchiæ ordine, Deum qui tantum ipsis veritatis lumen impertiuit extollunt, pristinam vitam detestantes. *Plurimi in dies abluũtur.*

Firandi 16. Octob.
Anno 1555.

EX ALIA EDVARDI SYLVII,
Bongi 10. Septemb. scripta.
Anno 1555. Epla 11

Merito maximas Deo gratias agere debemus, de tanto religionis ac virtutum, quem Bonzii illi Meacenses nuper conuersi Paulus & Barnabas capiunt fructu. Pudet me mei, cùm viros istos intueor, qui eò venerint humilitatis, vt non solùm me, sed multò etiam pefectiores à tergo relinquant. Addat Deus tantis virtutibus cõstantiam. Iuuimus iam eos in extruenda domo, in qua labore manuum victum parant, nec induci possunt, vt quicquam vel à nobis, vel ab aliis accipiant: aliud nihil mente (vt quidem videtur) agitantes, quàm quò virtutes quàm accumulatissimas habeant. Cumque nuper Amangucum transirent, magno omnibus exemplo fuerunt.

Pridie Cosmæ & Damiani, Ambrosius famulus Regius è viuis excessit. Ego & Melchior, superpelliceis albis induti, præeunte (vt nostratibus

moris

Pompa funebris Christiani. moris est) vexillo crucis cùm 200. Christianis ad domum funebrem per mediam ferè vrbem Amangucensem (nam in extrema vrbe sita erat) concessimus. Cadauer feretro impositum, ac sublime latum cum multo cereorum lumine, ita vt media nocte clara dies eluxisse videretur, sepulchro intulimus, idque solennitate quanta potuimus maxima. Qua ex re, non iis solùm, qui sanguine ipsum ac cognatione proximè contingebant, verùm etiam vrbi ferè totæ maximum *Pompæ fructus.* fidei Christianæ desiderium iniectum est: vtinam tantum ne deessent idonei concionatores. Vxor ipsius per dies 4. pauperes pauit, multa quoque ad erigendam pauperibus domum elargita est: datus etiam fundus in hunc vsum à quo- *Elemosinæ* dam homine opulento. Magna sanè est Amangu *Domus pauperum.* censium in pauperes largitas: nam cùm antea in mense, semel tantum, solerent eleemosinas pau- *Penu pauperum.* peribus erogare, modò ter, quaterue id faciunt, orizáq; ob id reponũt, & eis nostrisq; nouas ędes *Templi cõstructio.* extruũt, nã nostræ ob vetustatẽ ruinã minabantur. Tẽplum iam erectũ est, in eoq; sacra facta, & cõciones habitæ de nouo & viuo tẽpli ædificio.

Persecutio Noua pro foribus erat persecutio: saxis impetebamur aliquot dies: in vulgus enim sparsum erat, nos carne humana vesci. Cæterum Rex misso satellite furorem omnem compressit. Fuit hoc Christianorum fidei probatio non leuis, corúmque constantia omnibus innotuit. Excubias age- *Constantia neophytorũ* bant noctu, de die nostras ædes tutabãtur, nec de concionibus quicquã intermissum est, neq; de disputationibus cõtra Bonzos, donec victi, fatigatíque discederent. Tandẽ contendebant à nobis, vt *Vincuntur Bonzi.* populo persuaderemus Iapanicã sectã à nostra lege nihil diuersam esse. Itaq; necessum erat lucẽ

à te-

à tenebris discernere, lucẽ vocare diem, tenebras verò noctem: & inter mendaciũ, & ipsissimã veritatem discrimen ostendere. Iapanũ sectas mendaciis nîti, Christianã verò religionem viã veritatis esse. Hæc ita sese habere, dedimus omnẽ operam, vt omni ætati sexuíque persuasum esset, nihilque iam agimus aliud, quàm vt hoc ipsum capiant & intelligant, nec fallimur conatu. Librum Balthazar Gagus conscripsit, Regique dedicauit, qui ipsum coram tum Consiliariis, tum regni primoribus totum legendum curauit, magnoque applausu omnium excipitur, legitur & teritur, nec vllam legem esse, quę cum nostra conferri possit, fatentur. Ipse Rex antigraphum subdidit, remisitq́; retento tamen sibi exemplari, vt ij qui regno passim pręsunt, videant, & agnoscant ipsius legis, quam Patres spirituales Christianorum docent, veritatem, ac fauore iuuent. Ipse facti sui rationem Patri significauit. Posthæc paulùm à tumultu quieuimus.

Liber Regi dicatus & ab eo signatus.

Continuo aliqui Christi fidẽ suscipiunt, inter quos etiã quadragenarius quidã fuit, vir ingeniosus, & eloquens, in lege Genxi apprimè versatus, quę cæteris etiã pręfertur, tametsi à rogo hominis quicquã superesse neget. Paulo ipsi inditũ nomen. Hic deprehenso errore suo, tanta cũ perspicuitate fidei lumẽ agnouit, vt nihil supra. Nũquã non sectæ suæ errores dãmnat, & pręstantiã legis Christianæ extollit. Antequã se Deo cõsecraret, à dæmonibus adeo exagitabatur, vt in morbũ incideret. Abiecta verò omni hæsitatiõe, vbi veritatẽ amplexus est, vbertim adeo gustare cœpit mãna absconditũ, vt ipsius ministerio iam Deus vtatur in vertendis iis, quæ ad propagationem fidei imprimis videntur necessaria: tum in conuertendis etiam

Magni viri conuersio.

etiam tribulibus,conuerſisque confirmandis : ſiquidem illos initio preſſit non minima perſecutio. Nuper vnà cum P.Balthazaro hinc profectus eſt ad ſex miliaria, emolumentumque haud pœnitendum è populo Chriſtianæ rei attulit. Modò vero Firandum,quod octo dierum iter hinc abeſt,ſe contulit,vt etiam Chriſtianis ibi degentibus,dum eo in loco agit Gagus noſter, opem aliquam ferat. Vxor quoque ipſius cùm filiis baptizata,religioſe admodum viuit,& iam intelligo non mediocrem fructum Firandi fieri. Bonzus quidam admodum ſuæ ſectæ peritus,ex meditantium ſeu contemplantium genere, qui nobis ſunt infenſiſſimi hoſtes, tanto fidei lumine à Deo præuentus eſt, vt iam Chriſtum ſapiat magno cum animi ſui gaudio,& ſectæ ſuæ errorem luce(quod aiunt)clarius perſpiciat. Perpetuò aliquid quærit & inquirit,quod ad ſalutem ſuã ſpectare putet,ac legi noſtræ planè acquieſcit,Chriſtianos etiam iuuat , Librum quendam tranſcripſit,ex variis concionibus collectum,vt ex eo ad manum ſit,quod popularibus ſuis , ſi quando in patriam redierit,proponat Sita non procul eſt à Meaco hæc Academia, omnium ſectarum altrice, & matre : reſpiciat eum, ac prouehat ipſius bonam voluntatem Dominus Magna ſanè videtur promittere,ſiquidem vir ſimplex eſt,& candidus,nec minus beneficiorum memor, tam diuinorum,quàm quæ ab hominibus vnquam accepit. Pro nobis continenter orat,aliiſque qui tũ, vt ad nos primum venerit,in cauſa fuerunt, tum in lege noſtra propaganda occupantur.

Firandum.

Contēplatiuus conuerſus.

Ipſius in aliis iuuandi ſtudium.

Anno 54. prope Bongum, vir quidam nobilis & ciuitatis cuiuſdam domin⁹,baptiſmi recipiendi gratia,Balthazarũ ad ſe euocauit,baptiſmique gra-

Vir nobilis cum tota fere urbe conuerſus.

gratiam cum tota familia,ac ciuibus aliquot est consecutus:hoc porrò hortante,ciuitas tota paulatim Christum amplectitur : ipse quoque cum filiis subditos orationes Christianas docet.

Hoc eodem anno quidam Antonius Neochristianus Cutamum se contulit,30.miliaribus hinc dissitum:vbi in virum quendam incidit,cuius gulam ita dæmon ad dies 70.strinxerat, vt tantum non suffocaret,nihil enim cibi nec potus traiicere in stomachũ poterat. Ille hominis casum miseratus,memórque diuinæ misericordiæ, qua latronem pœnitentem,rogantemq; veniam, à peccatis & morte æterna liberauisset, aquam signo crucis in Christi nomine signauit,addita oratione Dominica. Deinde arreptitium ad anteacte vitæ scelera detestanda, Christíque fidem ac veri Creatoris Saluatorísque notitiam adhortatus, cùm ille credere se diceret, aquam epotandã dedit,qua sine difficultate hausta,orizam addidit. Ille animo tum deinceps ad baptismum suscipiendum primo quoque tempore,prorsus inflammatus est,idque opere etiam, abiectis idolis : & orationes Christianas edoctus,compleuit:verum non multò post,vitam cum morte commutauit.

Aqua crucis Signo & oratione sacrata arreptitiũ sanat.

Alium quoque quinquagenarium nobilitate, & familia non postremum conuertit, cui Lucę nomen est inditum. Hic multis precibus obtinuit,vt Balthazar noster cum Ioanne Ferdinando,Paulo & Anthonio,ad se veniret,qui cum 8. aut 10. dierum spacio nocte diéque occupati essent concionando,docendo orationes, baptizandóque eos qui vndique concurrerunt, 160.Christi fidem sunt amplexi : ex sola Lucæ familia 60. & inter eos vxor & filij, quibus nihil Christianius.

Vir nobilis cũ.159. Baptisatur.

Primarius Regni princeps suos ad fidem hortatur.

Dominus quoq; ciuitatis, nomine Gutamidono, vnus ex tribus præcipuis regni Bungani principibus, tantoperè verbo diuino est delectatus, vt occupatus variis interrogationibus de lege Domini toto die ad vesperum vsque ieiunus nihil aliud egerit: adeoque arrisere ipsi omnia quæ dicebantur, vt tametsi tunc Christi dogma non susceperit, suscipiendi tamen non paruum desiderium declararit, dixeritque se cum Rege hac de re acturum: modò verò Christianorũ, qui in sua ditione essent, peculiarem curam suscipere, optaréque vt omnes Christiani sint. Seruos etiã ad legem Christi hortatus est: obtemperant multi, & religiosè perseuerant, quemadmodum ex frequentibus literis intelligimus, numero omnes sunt 300. Speramus inde fructus amplissimos.

Pene cœco, visus restituitur.

Iam annus plus minus agitur, à quo visum quidam, quo ferè priuatus fuerat, cum ipso Christianismo integrè recepit. Cuius rei sparsus vbique locorum rumor effecit, vt ad nos sanitatis recuperandæ gratia, variis ex locis confluxerint plurimi, diuersis malis affecti, cœci, leprosi, muti, febricitantes, &c.

Arreptitij hæreditarij.

Inter alios arreptitius, cùm suæ cognationis hominibus, qui ab auo quasi hæreditarium malum hoc sortiti erãt, adductus est, qui facultatum quicquid habebat, insumpserat placandis Idolis: verum ita nihil sensit auxilij, vt potius tormenta & dæmonum vexationes adauctæ sint, tam in se, quàm filio iam 30. annos nato. Hoc verò anno 55. in homine loqui dæmonium cœpit, qui nec patrem nec matrem agnoscens, etiam 15. diebus à cibo abstinuit. Sub horum finem hominem accessit P. Balthazar, iussitque vt D. Michaelem nominaret: dum diuum nominat, vehementi tremore cœpit concuti,

cuti, & varios motus membrorum edere, ita vt circunſtantibus terrori fuerit. Inuocante verò Balthazaro Deum Patrem, Filium, & Spiritum ſanctum, ſubitò à dæmone liber extitit, & cum ratione loqui cœpit,& comedit, atque cum aliis ſex ſacro baptiſmi fonti admotus,Michaelis nomen ſortitus eſt, pater verò Pauli. *Dæmon eiectus.*

Paucis poſt diebus ſoror huius annos habens circiter 29. moleſtiis dęmonis agitata,qui etiam in ea loquebatur,certis temporibus Patris noſtri concionibus auditis,& vt potuit,intellectis, Chriſtianam fidem ſuſcipere voluit. Cùm verò ſacro fonti eſſet admouenda,doceretur que prius ſe ſacro crucis ſignaculo munire, tremere vehementer & concuti cœpit: Pater preces fundebat ſolicitus, ipſa ſacroſanctum Ieſu nomē & diui Michaelis proferre nitebatur,ſed magis ipſam tunc dæmon irritauit obſtringendo os,& comprimendo. Tandem verò in cantum prorumpens,exclamat. Si idola Xacam & Amedam ſectarum Iaponenſium authores reiicimus, nullus ſupereſt qui adorari debeat,aliáque huc ſpectantia protulit,nec eſſe quod in iis reprehendere quiſquam poſſet. *S.Michaelis inuocationē non fert dæmō.*

Sequenti die,qui beatæ Virgini ſacer eſt,Chriſtianis aceruatim domum noſtram concurrentibus,ſacrum fecit Pater,cui quoque intererat dęmoniaca: quo finito rogat,qui valeret: optime, ait: Iuſſu verò ſancti Michaelis nomen pronunciare,tremere ac dētes ſtringere cœpit, ſéq; exire velle dixit,ſed quoniā tertia agatur ætas, ex quo in familia hoſpitio vteretur: nō libenter migrare. Iubet iterū Pater proferre S.Michaelis nomē: Reſpondit id permoleſtū eſſe, & lachrymas fundēs, & con- *Idola laudat.* *Tres ætates unā familiam dæmō obſedit*

Querela dæmonis. & conquerens, quò, inquit, me vertam; Christiani itaque omnes in orationes corruũt, dúmque satis dudum orant, occupatam hactenus prædam deseruit, ipsa verò, quamprimum potum petiit. Admonita vt Iesum & Mariam nominaret, tanta suauitate vtrumque protulit nomen, vt Angeli vocem videremur audire. S. quoque Michaelem nominauit. Videntes Christiani ipsam iam prorsus esse liberam, gratias Deo & Domino nostro egêre, noménque ei Maria inditũ. Iam ædes nostras beneficij memor sæpè frequentat.

Addam quod cuidam etiam mulieri accidit, quæ baptismi causa ex Ida, in quo oppido aliquot degunt Christiani, vnà cum marito ad nos veniens, cùm abesse P. Balthazarem cognouit, abire voluit. Anthonius noster, id videns, omnes monet, vt pro muliere se dent orationi: obtemperant, qui tum fortè aderant, Christiani. Dum orationem Dominicam vno ore recitant, mulier fortissimis tremoribus concuti cœpit, adeoque agitari, vt tres viri ad eam retinendam non sufficerent, striduitque dentibus adeò vt ij conteri viderentur. *Aquæ consecratæ.* Antonius eam aqua consecrata aspersit, dum alij orationes continuant: tandem obdormiuit, expergefacta exclamat, se hinc abituram. Admonita vt Iesum & Mariam cõpellaret, voce iracunda, & vt apparebat, inimica compellauit Iesum & Mariam. *Mulier ex Ida conuertitur.* Rursum omnibus ad orationem prolixiorem recurrentibus, ad se rediit, & animo minimè turbato nomẽ Iesu, & virginis Matris cum summa reuerentia nominauit, addens se illum adorare, qui se creasset: pergens porrò ad S. Crucis imaginem, se grauiter deliquisse confitebatur. Narrauit mihi postea septem se annis circa cor graue pondus sensisse, adeo-

adeoque se iã planè non solùm liberam esse, verũ etiam magnam animi alacritatẽ,lætitiámque percipere,cumq; pernoctasset apud nos vnà cum marito,vt sæpe venerandum nomen Iesu Saluatoris nostri,& B. Virginis inuocaret admonitam, cum summa consolatione dimisimus,redituram ad baptismum recipiendum cum suo marito,vbi Pater Balthazar rediisset. Summè gratum fuit, mulierem tãtum à priori mutatam cernere,nec mutatam solum, sed loquentem, veluti spiritu Dei afflatam,& insigni charitate accensam, audire. Quotquot in hac regione sunt ægroti, Christianam amplectuntur fidem, asseuerare enim possum, 300. ægrotos,& amplius hoc anno ablutos esse: hi magnifica Dei extollunt opera, quæ in se suscepto baptismo, experiuntur. Hic tolerantiam in infirmitatibus admiratur, gratiam Dei propter valetudinem sublatam alius prædicat,certatim quisque nititur alios etiam ad fidem adducere,& quidem adducit, hic tres, ille 5. alius item 10. alius 15. Quo verò contra morbos remedio vtuntur, aqua lustralis est, passim in tanta veneratione habita, admiratione, & precio, vt vndique à 30.& 40. miliaribus certatim petatur. Varias pellit infirmitates, potissimum verò oculorum vitia hic frequentissima.Maior pauperum pars,cum eo qui omnibus præest,Christianam fidem profitetur,& paulatim omnes baptizantur. Sæpius nos accedunt, vt orationes addiscant,dein ad eleemosynas petendas abeunt.

300. ægroti baptizati.

Sanati Baptismatis uirtute. alios ad fidẽ adducunt.

Aquæ lustralis uis.

Pauperum cura.

Hoc anno 1555. ab initio Quadragesimæ de ieiunio & sacris, nullò die quicquam intermissum est, & conciones indies summo manè habitæ ad Christianos, quorum desiderio satisfacien-

Sacra & conciones quotidie habitæ.

facientes, ad Pentecosten eas continuamus, pleno semper auditorio: adeoque auctum est pietatis studium, vt ex vicinis locis diem integrum præuenerint, alij auroram anteueiterint, vt loca præoccuparent. Charissimus frater noster Ioannes Fernandez Orationem Dominicam explicat, rem ipsis & gratissimam & iucundissimam. Dies in Quadragesima non fuit, quin vel 10. vel 15. vel 20. baptismum susceperint. Omnes si colligimus, toto Quadragesimæ tempore, 700. abluimus.

Feruor Christianorum.

700. In Quadragesima baptizati.

Quinto die magnæ illius hebdomadę sanctæ, quo salutis nostræ mysteria, beneficiáque in memoriam reuocantur, Christi flagellationem flagris se cædentes reliosè celebrârunt. Secuta est afflictionis Christi explicatio, totúsque dies pietati ác deuotionibus diligenter insumptus, nec minore feruore. Sexto verò die vndique tantus hominum confluxus ad nostrum templum fuit, vt continenter refertum extiterit. Multum mouet, excitatque Gentiles, quam exercemus, mortuorum inhumatio. Cùm primùm efferremus funus, tria hominum millia, eóque amplius accurrére, non tam ad pompam, quàm vt rem hic planè insolitam, & à suis moribus alienam viderent. Gentiles enim patris defuncti cadauer non solùm non sepeliunt honorificè, verùm ne per anticum quidem quòd efferatur, dignum putant, sed per posticum, ne à quoquam videatur, eiiciunt: minus ferunt pro defunctis orari. Alio etiam Bonzi, & magis horrendo crudelitatis genere vtuntur: nam cum cui mortem imminere animaduertunt, domo exturbant, nec in ædibus mori patiuntur. Videntes modò Christianorum etiam erga cadauera charitatem

Afflictiones Christianorum.

Ratio sepeliendi Gentiles ad Christum excitat.

Quomodo Gẽtiles cũ mortuorũ cadaueribus agant.

Agonizantes domo eiiciunt Bonzi.

tem, & pauperes, diuitésque defunctos æquali honore affici, dum efferuntur, multum nostra commēdant, ita vt interdum, qui saniores sunt, non vereantur fateri, nullam esse legem, quæ cum Christiana comparetur, eamque vnam esse, quam meritò omnes amplecti debeant.

Multi ex Christianis confessionis Sacramentum frequentarent, sed cum vnicus duntaxat sit sacerdos, satisfieri omnibus non potest. Missæ sacrificio continenter intersunt, & concionibus, facturi, vt apparet, ad DEI obsequium, quantum iniunxeris.

Summoperè parentes ad vitæ mutationem excitat filiorum conuersio, & probitas, quam cum Christianismo coniunctam esse animaduertunt. Tanta in his Dei gratia & virtus potest, vt se, quamlibet fœlicissimus, fœliciores iudicent, qui à mundo multa, grauiaque cum ignominia sufferunt, cùm ita demum Christum profiteri sibi videantur. Quidam conuersionis initio pudore affectus, pòst piis colloquiis, & aliis ab errore, quo impliciti sunt, reuocandis, magis quàm vlla re alia delectari cœpit, adeo vt his magis pasci, quàm cibo potuque videretur, Die noctuque aliud nihil, quàm de erroribus & falsis opinionibus agens, quibus prius fuerat intricatus, & fœlicitate, quam iam est assecutus post veritatis agnitionem. Per vniuersum Bonganum regnum modò Christiani sunt, Iacataæ 60. Siguidæ totidem. Cutauri 200. & amplius &c. omnes singulari constantia, tam parentes quam filij. In singulis locis vnus est, quem honoratiorem habent, & vt primarium venerantur: cui exhortandi officium incumbit, vt à primis bene cœptis, alacriter ad maiora con-

Exēpla cogunt ad fidem.

Christianorū perfectio.

Gratitudo

Per totum regnū Bonganū Christiani.

Siguidæ.

Cutami.

contendant. Quotquot tales sunt, huc sæpè sacra, concionesq; auditum, vt simul orationes addiscãt, instituanturque exactius, veniunt, & Dei gratia quotidie magis proficiunt.

Ego modò solus Bongi ago, & indies P. Balthazari aduentum expecto, qui se Firandum contulit, Lusitanorum qui eo appulerunt, confessiones excepturus. Quo cùm eũ Rex profecturum intelligeret, ipse domum nostram, qua est humanitate, adiit, & ne solicitus esset de profectione monuit: missurum se virum, qui quicquid in itinere esset necessariũ, subministraret, atque etiam si ita videretur, deduceret. Monitos præterea voluit suos duces, qui in itinere, qua Patri transeundum erat, morabãtur, equos vt paratos haberent, & commeatum. Abeunti verò quatuor equos dedit: tot enim opus esse putauit, propter latronũ, qui vias passim obsedebant, grassationem.

Regis fauor.

In ædibus nostris perpetuò degit quidã Christianus, natus annos 70. cum nonnullis aliis viris probis, qui huc commeant, soliciteque die noctúque domus curam gerunt: & cum iis qui ad ędes nostras veniunt, de rebus diuinis agunt, iisque librum quendam de rebus fidei in linguam suam vernaculam trasfusum legunt.

Christianorũ nouorũ diligentia.

Vesperi dato signo, ad orationem nos conferimus, quæ Oratione Dominica, Salutatione Angelica, symbolo & vespertina prece, qua Reginã cœli veneramur, absoluitur. Oratur etiã pro nauigantibus, nominatim verò pro nostris qui in Ianiã veniunt. Similiter litaniæ dicũtur, vt Deus nos ab hostibus liberet, tum visibilibus, tum inuisibilibus. Posthæc ad lectum quisque se cõfert, det Deus, vt in ea conuersatione, ipsorum aliquid addatur pietati.

Orandi ratio domestica.

Oratur pro nauigantibus.

An-

Antonius Cina particulatim nobis transitum B. Francisci Xauierij ad fœliciorem vitam, descripsit, Deo laus, qui ipsum trāstulit in eum locum, vnde nostras necessitates & miserias clarius prospectans, ardentiusque, ac maiori orationum efficacia pro nobis ad Deum intercedat. Si mihi singula de rebus Iapanicis scribenda forent, quæ ad Dei gloriam & obsequium geruntur, longa superesset texenda historia: alia enim alijs indies succedunt, idque in tāto numero, vt memoriam præcedentium, quæ sequuntur, obliterent. Quare hic finem faciens, me omnesque nostros, qui in Iapania degūt, plurimum orationibus vestris commendo, rogoque vt vestris precibus consequamini, quo nos magis idoneos efficiat suæ gratiæ, obsequijque ministros. Bongi 10. Septemb. Anno 1555.

Seruus inutilis.

Eduardus Syluius.

P. BALTAZAR GAGVS P. *Ignatio Societat. Iesu proposito generali. 23. Septemb. An. 1555.*

APPVLIT in Iapaniam primum P. Franciscus An. 1549. Cumque tertio anno varijs in locis Christianam fidē diuulgasset, & Christianæ religionis fundamenta passim iecisset, Sinarum regnum iam cogitans, P. Cosmam Torres in locum suum suffecit, adiuncto ei vnà Ioanne Ferdinandez, nec non 500. Iapanensibus, quos Christianę militiæ tum adscripserat. Itaq; Goam reuer-

reuerſus anno 1552. atque ibi conſtitutis ijs,quæ ad Societatis noſtræ, quæ in India eſt, commodum & fructum pertinere videbantur, ad Sinas cum Petro Alcacena perrexit. Ego verò & Eduardus Syluius,vbi in Malaccam ad arcem Regis Luſitaniç,diſtantē ab India intra gangē 1500.miliaribus peruenimus,commodū ſe nauis obtulit expedita,& probè inſtructa,quæ in inſulam quādam è regione Sinarū ſitam , portubus alioquin & mercatorum frequētia celebrē nauigauit. Diſtat porrò hęc inſula à Malucca 1500.miliaribus, à Iapania verò 900.Vbi dum in portum aduehimur,en oportunè rurſus alteram nauim,qua cōſcenſa, nos in Iapaniam perreximus.P.Frāciſcus verò iter ſuum in Sinas eſt proſecutus. Sed ſtatim ipſius Patris piæ voluntati non leuia impedimenta ſeſe obiecerunt.Nam cùm ipſi, & Luſitanis nullus aditus daretur, atque ingens fidei promouendæ ſtudium, quod iamdudum diuinitus conceperat,impediretur:morbo graui correptus,in eodem quo appulerat portu peregrinationis & miniſterij ſui , cùi pro ſua vocatione ſe totum dederat,vltimum diem clauſit.

Franciſcus Xauier moritur.

Sed nunc obiter quæ de Iapania in mentē venient,perſtringam. Populoſa imprimis admodū eſt regio,Incolę candido colore,ac toto corporis habitu, membrorumque proportione optimè conſtituti.

Quod ad ſocietatē noſtram attinet, duas hic domos habemus,alteram in Amanguco(quę ciuitas ad Septentrionem vergens in 34. & dimidiato gradu ſita eſt) vbi P.Coſmæ, duo Iapanes adoleſcentes cohabitant, concionandi dono inſignes. Horū opera iā duo hominum millia fidē ſuſceperunt.Alterū verò Bongi,quæ Amanguco

2000. Chriſtum amplectūtur.

35. milia-

35.miliaribus abeſt,vbi Ædes ſacra nobis extructa eſt,in quadã planitie, quã Rex liberaliter in eũ vſum cõtulit Chriſtiani ad 1500.numerãtur,qui diebus ſingulis ſacro noſtro diligenter interſunt, aliarumq́; nationũ ad Chriſtum conuerſarũ populos pietate vitęq́; integritate facilè antecellũt: pleriq; tamẽ pauperes ſunt,quos hìc modo experimur rerũ diuinarũ magis,quàm cæteros eſſe capaces. Vnde fit etiã vt ſacroſancta dominici corporis ſacramẽta,q̃ cæteri diligẽtius frequentent. *Pauperes diuitibus ad fidẽ expeditiores.*

Primarij & quotquot opuletiores ſunt, nõ ita facilè ad Chriſtũ pauperẽ ſectandũ,eiuſq́; vitam integerrimã inducuntur, vitæ voluptatibus iam aſſuefacti, horrendiſq́; vitiis inuoluti,perſuaſum habentes(credo ita cogẽte dæmone) fœliciorem vitã à præſenti non ſupereſſe. Audiũt quidẽ conciones, ſeſeq́; melius aliquãto gerere conſueſcũt, cæterùm cupiditatibus, ac dæmonis, mundique vinculis irretiti manẽt. Prouinciarũ Reges & Prętores nobis non obſcurè fauent,eoſque pro conſuetudine regionis interdum inuiſimus. *Primatum fauor ergã Chriſtianos.*

Rationẽ concionãdi ſuperioribus temporibus hanc ſeruauimus : primùm vernacula lingua ex libro ad populũ lectũ eſt:nũc feſtis & dominicis diebus in Euãgelio diei exponẽdo verſamur, & qua ſunt ingenij dexteritate,quæ dicimus, haud difficulter capiũt,exçipiuntq́; tanquã rationi maximè cõformia. Vndè etiã ſectas oẽs, quæ antea in ea regione lõgè lateq́; regnũ occupârãt, falſas eſſe ipſimet fatẽtur. Atq; in cõcionibus hiſce Ioãnes Ferdinãdez , qui linguã Iapanicã exactius q̃ vernaculã tenet,valet plurimũ, cõcionatorẽ agit vicatim propè & oſtiatim haud indiligentẽ, Idẽ tametſi non pari facilitate,agit Eduardus. Iapanes quoque nõnulli nõ infœliciter concionãtur, *1.ratio conuertendi gentiles.*

tam-

tametsi his gentiles, qui aliquo in honore sunt, aut dignitate, non ita multum tribuant (vt fieri solet) popularibus & notis. Euangelij tamen fructum ex pauperibus referunt haud pœnitẽdum: hi enim minus fastu præpediti, facilius veritatem à quocunque propositam amplectuntur. Libros duos charactere & sermone vernaculo iam conscripsimus, alterum de vita Christi, alterum de rerum omnium principijs. Sed huic labori præferendam longè ducimus viuam vocem, vtpote efficaciorem, sicuti experimur, ad impellendos animos. Quare necessarium imprimis esset, adolescentiores è nostra Societate huc mitti insigni spiritu, ac singulari iuuandi proximum desiderio præditos. Idioma non ita difficile est, quin ad eius perfectam cognitionem citissimè sint peruẽturi. Opus certè quod aggressi sumus, grande est, & laboriosum. Iuuat tamen magna Dei misericordia, suósque per morbos, paupertatem, dæmonum graues vexationes, aliaque discrimina vocat, fidem latè diffundit, electos ex perturbationibus eripit, ac solatur, quæ consolatio diuina omnem humanam voluptatem longè superat.

Viuã uocẽ libris scriptis præferẽdam.

Multò melius hic ageretur cum populo, nisi tãta propemodum omnium esset seruitus. Vulgus enim vix quicquam præter indusium suum habet, planeque pẽdet à possessionum & agrorum cultu, quos à dominis excolendos accipit: & vt ipsorum dominorum, ipse dæmon maximè dominus est, ita necessum etiam est, vt qui dominis hisce subijciuntur, mores eorum sequantur. Verùm si quando & hos dominus fidei lumine, veraque cognitione præuenerit, aut vt verius dicã, cùm veritati desierint impedimentum obijcere, fiet profectò, vt hic multa Christo & pulchra na

scatur

ſcatur proles, & amœniſſima Eccleſiæ pomœria quàm latiſſimè extendantur.

Præter cætera nefanda vitia, quibus Iapanes obnoxij ſunt, vnum id eſt maximè execrandum, quòd vixdum natos infantes interimant parentes, ſeu rerum inopia, qua præmuntur, ſeu educandi difficultate deterriti. Vnde factum eſt vt Ludouicus Almeida vir Luſitanus, ſeu verius per eum Deus, ad infantes hos reſpexerit. Hic enim multa clarus virtute cùm nos audiret de tāta infantum clade lamentantes, eamque ex paupertate naſci, penuriaque parentum, ſtatim mille aureos in eleemoſynas liberaliter contulit. Præfectum vrbis quoq; hac ipſa de cauſa acceſſimus, narrantes quantum boni inde oriretur toti prouinciæ, ſi infantes illi educarentur, rogauimuſq; vt ſcelus hoc edicto publico vetaret, addita etiam pœna in tam crudelem imposterum infantum internecionem, ſeu parentum potius parricidia. Si grauarentur impendijs aut educatione, ad nos in Xenodochium, quod tum erigēdum erat, natos deportarent, bonorum virorum opera & ſumptibus educandos. Summè placuit Principi hoc pacto infantes ſeruari, & quod obnixè rogabamus, fieri etiam voluit. Eodē die ædes noſtras, quod alioqui non rarò ſolet, acceſſit, intellexitque plane quàm non tolerandum eſſet ſcelus in recens natos partus cruentas manus inijcere, ac vagientes etiamdum paruulos trucidare. Hæc ſcribere volui, vt precibus veſtris ardentiſſimis tam abominabile malum tollatur, Deuſque poſthac veſtris mitigatus orationibus Iapanenſi populo concilietur.

Crudelitas nimia Iapanum in infantes.

Infanticidia ſublata

Firandi quoque cœpere Chriſtiani fieri, vrbs eſt portu celebris, quo concionandi gratia interdum

Firandum Chriſtum colit.

dũ excurrimus,augeturq; quotidie Christianorũ numerus. Sita est circa Insulæ caput,135. miliarib⁹ à Bõgo,si pedes iter cõficias, sin nauigio,270. vergitque ad meridiẽ gradu circiter 33. Plurimũ huc Lusitanorũ naues appelluntur. Christianos habet circiter 500. Præfectus ipse vrbis tantũ nõ Christianã fidẽ amplectitur,nec solùm vt id intelligamus,animi sui desideriũ declarauit, verũ etiã aream in qua Christi crux erigeretur, dedit, quã præsentibus nõ paucis Christianis ereximus, & cœmeteriũ circũduximus. P. Cosmæ vtile imprimis visum est,tũ vt Lusitani cõfiterentur,tum vt Iapanes in Christi doctrina instituerentur, si aliquis eò nostrûm sese conferret.

Firandi situs.

Firãdũ habet 500. Christianos.

Paulus Iapo concionator insignis, fallacias & errores sectarũ optimè refutat & prodit, quibus passim gentiles implicantur. Finẽ his imponam, sequenti anno latius,fauente Deo, scripturus. Ab anno 1549. nihil literarũ ex Europa recepimus, opinor quòd nulli huc veniãt, nisi ex recta nauigatione sit deflectendũ. Imo annis iã tribus nihil etiã ex India audiuimus:& nisi contigisset nup. nauim Prętoriã in Sinã proficisci,etiã nũc de Indis audîssemus nihil. Pręfecto nauis nomẽ est Eduardus Gãma,vir nobilis & bon⁹,qui nec passus est nostris aliquid deesse; imò quàm satis erat, plus vltrò largitus est. Quę ideo scribo,vt in benefactorũ nostrorũ catalogũ referatur,precumq; nostrarũ vnà posthac particeps sit. Is in Lusitaniã reuerti cogitat, decreuitq; & nobis in posterum confiteri, & ex cõsilio nostro vitam omnem instituere. Vt V.R. pro nobis & Iapania oret,etiã atque etiã rogamus. Ex Firãdo 9. Cal. Oct. An. 1555. Inutilis seruus.

Baltazar Gagus.

LITE-

LITERÆ MELCHIORIS NVNESII *Prouincialis Societatis Iesu in India, ex Chinensi portu Machuan, ad suos in Christo fratres in India agentes, Noueb. 23.* Anno 1555.

Gratia, & pax Domini nostri Iesu Christi semper sit in animis vestris.

EX literis superiori anno ad vos missis, intellexisse vos arbitror, me Malaccæ hyemasse: nunc vt vobis, qui fratres mei estis in Christo dilectissimi, Dei Opt Maxim. beneficia in memoriam reuocem, simulque spiritualem aliquam consolationem impertiar, breuiter totam nostri itineris rationē, vt in ea crucis flores agnoscatis, quibus nos Deus recreauit, referam, quandoquidem præsentes esse, & vnà agere nō datur. Malacca itaque 15 Apri. 1555 in Iapaniam nauigaturi discessimus: cùm tamen nihil non obijceret veterator hostis difficultatum, ne susceptam hanc nauigationem perficeremus. Cùm nauem non inueniremus, quę in Iapaniam solueret, à D. Antonio Norognano, Malaccēsis arcis præfecto, triremem accepimus Regiam, quæ prima nobis occasio fuit, vt in aduersis rebus omnem spem in Deo figendam disceremus Eam autem multis variisque rebus instructam esse oportuit: Nauclerus, Nautæ, aliaque quæ in re nauali requirūtur, comparanda fuerunt, in quo laborandum nobis, & fratri nostro Ferdinādo Mēdezio multū pecuniarū impendendū fuit Et in hac apparatione tribus integris mēsibus, Ianuar. scilicet, Februar. & Martio immorandū. Quib⁹ tandē euolutis, in

gra-

grauem morbum incidi,à quo vixdum refocillatus, vnà cum reliquis fratribus cōscendi. Dei autem, quæ eius clementia est, ſolatium nō defuit: & quod ex humana induſtria fratribus deerat, hoc diuina gratia ſuppeditauit. Ciues autem diſceſſum noſtrum multis lachrymis proſequuti ſunt, quod me confudit plurimum: alijs verò, vt animaduerti, ad maiora ſtimulos adiecit. Plurima, maximaque pericula in tam incerto nauigationis curſu experti ſumus, Benedictus Deus, qui nos ne in periculis quidem tantis deſeruit. Aliqua ex ijs adiiciam, quibus reliqua facilè intelligatis.

Ingens feruor ciuium Malucēciū

Primùm trigeſimoſexto à Malacca miliari, tēpeſtatis vis tāta exorta eſt, vt velum perruperit: quod niſi fuiſſet diſruptum, per pontum ſparſi iā cuiſſemus: deinde vbi ad Sincapuræ fretum venimus, triremis in breuibus ſubſedit, & quidem in hoſtium: qui non ita pridē Luſitanos aliquot, multis ſupplicijs affectos, enecârant. Cùm verò iā quotquot nauigationis erant ſocij, ſpem omnē ſalutis amiſſam exiſtimarent, obnixè rogârunt, vt lembo magnam triremem (Galeonem vocant) quæ nos anteuerterat, inſequerer, eoſque qui præuehebantur, ad vitam, facultateſque noſtras tuēdas implorarem. Itaque fratribus Ferdinando & Stephano Goeſeo comitatus, dum ſub noctem nauigo, nauiculas 50. inſequentes conſpeximus, tantis clamoribus, vt attonitos, ac propemodum ſtupidos nos reddiderint. Cùm iam mortis certiſſimam, vt putabamus, imaginem videremus, nihil reſtabat ſpei, præterquam fiducia in Deū, & oratio. Qui aderant, titionem mihi dederunt, manibus tenendum, ac ſi tormenti veluti formā procul oſtenderemus. Sed in tam præſenti periculo

Sincapura

culo exigua admodum spes in titione ponenda erat: ad eum intendenda mens erat, qui in opportunitatibus & tribulationibus posset auxiliari: qui etiam fecit, vt iamiam capiendi Galeonem assequeremur Mauri verò, quia iam nos elapsos, opeque & præsidijs tutos videbant, cessêre. Ego qui huiusmodi periculis nō ita assueueram, iam ipsa re doctus, sentio, quàm præ his leuia sint ieiunia, cilicia, verberationes, omnesq; quas ad carnem domandam comparamus, mortificationes, aut si quid est eiusmodi, quod vel minimam cū morte comparationem admittat. Quare dum ad nauim nostram properamus, Dei Opt. Maximi auxilio è breuibus eductam cognouimus: Secundum hoc erat. Tertium restat. Nam dum in insulam quam Pelotimaon vocant, ferimur, Lusitani in hanc egressi, in non leue discrimen sese coniecerunt: in insidijs enim Mauros deprehenderūt, sagittis venenatis instructos, vt huic hominū generi præcipua vis in veneno est. Quinque aūt ex nostris Mauri, artis nauticæ peritiores, & quibus carebamus ægrius, ad suos effugerūt. Negociū propterea cū Præfecto, & Nauclero fuit, qui obnixè rogādus erat, vt vlterius progrederetur. Quartū periculū mox subsequutum est, cùm Patanā appulimus. Nam hic ad arma cōcitatos cognouimus indigenas aduersus Lusitanos. Magna enim hæc triremis (seu prætoriā vocare malis) Lusitanorum, Patanensis Pręfecti nauim ceperat, omnibus quotquot ea vehebātur, enecatis. Nos aūt in tā ancipiti periculo, hoc vnū admirabamur, reliquos non tantum homines, sed pueros etiam orphanos, qui vna nobiscum nauim conscenderant, magno semper, fortique in Deū animo perstitisse; qua ex re vel ipsa experientia

Pelotimaō Insula.

Patana.

didicimus,diuino consilio nobis hæc omnia cõtigisse, vt vel patientiæ fructu non fraudaremur, vel de ipsius auxilio non desperare disceremus. Sub initium Maij Patana soluimus in Iapaniam: sperabamus autem, vt ipso D. Ioannis die sacra coram dilectis fratribus,alijsque Christianis,qui in Bongana degunt ciuitate,perageremus. Verum(siue mea peccata fuerunt in causa,siue dæmoni susceptum iter displicuit, siue Deo Opt. Max.ita visum fuit)ingenti oborta in sinu maris Pullocondorensis,tempestate,abrepti tantum nõ periuimus. Magna enim vndarum vi celox nostra labefactata tantam aquæ copiam admisit,vt noctu & interdiu exhauriendo eam subleuari non potuit. Videntes Nauarchus,cæteriq; Lusitani,in quantis versaremur periculis,obnixè nos rogare cœperunt,ne tanti Iapanẽsium salutẽ faceremus,vt nostram posthaberemus,iuramẽto cõfirmantes,quantum experientia compertum haberent, fieri non posse, vt Sinense illud æstuosum & concitatum mare celox superaret, sed ad vnũ omnes nos perditum iri se certo certius habere. Iam vos cogitate,quanto meo cum dolore, iter tanto desiderio, tot tantisque periculis penè confectum,intermittẽdum fuerit. Verùm indigni eramus(sic enim existimo)tanto successu,qui iter istud conficeremus,cùm & iam propemodũ vndis depressa celox esset,& ventus adeo cõtrarius,vt 40.dierum spacio vix 130. miliaria confecerimus. Pelotimaon itaque reuersi, duas ibi offendimus Lusitanorum naues,quæ huc aquatũ aduenerant. Atque hæ cùm in Sinam properarent,rogârunt,vt dimissa nostra triremi(qua tanto periculo vehebamur) secum in Sinam nauigaremus. Inde enim sperabant in Iapaniam facile

facile nos traiecturos. Dubius itaque, num in Indiam, prima oblata occasione, proficisci consultum esset, intellexi Malaccam per Indiam non nisi nouem mensibus tutam esse nauigationem. Si verò in Sinam concederem, fructum aliquem ex infidelium conuersione sperabam: literis etiã quas ex Iapania vel India expectabã, significaretur, quid in nostræ religionis & fidei propagatione facto esset opus, & interim in amplissimo Sinensium regno versarer. Tandem vt vnà nauigaremus, & ad diuinum honorem augẽdum, & ad fidem nostram propagandam vtile iudicauimus. Sed dum celocem nostram deserere paramus, in aliud incidimus periculum, quo vix aliud habuimus grauius. Nocte enim intempesta tanto impetu triremis in celocem impegit, vt propemodum demerserit. Fertur illa in saxa & scopulos, diuina tamen bonitate summum periculum incolumes euasimus. Quidam sortẽ suam deflebant, terrebanturq; vehementer, cùm in tam difficili longoq; itinere, quod ad Dei obsequiũ susceptum erat, mortem præsentissimã penè semper viderent imminere, seseq; in tot tantisq; periculis versari: qua sanè in re paruæ fidei specimẽ declarârunt. Deus enim quos diligit, castigare, & corrigere solet, multisque obiectos difficultatibus probare, ea ratione qua aurum in fornace, vt habent sacræ literæ. Hæc autem eò speciatim, & summatim refero, vt intelligatis singulari Dei prouidentiæ deberi, quod simus incolumes, vt ipsi posthac fidelius & diligentius seruiamus: voluisse quoq; pijssimum Saluatorem nos actos tempestatibus monere, vt ad Ethnicorum conuersionem veniremus, constantiores, & fortiores:

 indi-

indigni alioqui, qui tam debiles & inexercitati, tam nobilē prouinciā susciperemus: Quare nos ijs virtutibus, quas tam arduum negotiū requirit, instructos esse voluit.

Insula Sanchoa.

In nauē igitur sumus ingressi Francisci Tusci, cuius in Goano collegio filium educamus. Medio verò Iulij ad insulam Sanchoam peruenimus, quò tamen antequam deueniremus, per loca quædam saxosa trium vix vlnarum altitudinis, vento violento acti nauigauimus, in quæ si nauis impegisset, de omnium salutē actum fuisset. In tam præsenti mortis periculo Sanctorum suffragijs erigebamur, maximè autem Sanctissimæ Trinitatis, litanijs implorantes auxilium.

Sanchoa 90. miliaribus Cātaone distat.

Concessit mihi Deus, vt in Sanchoa (quæ 90. miliaribus Cantaone distat) missæ sacrificium peragerem, in loco vbi B. P. Franciscum sepultum fuisse affirmabant. Mox curaui, vt ciuitatem ingrederer, quę hactenus nemini patuerat, vt nec totum regnum: ad quod modò, cum omnibus Lusitanis, vt piè credo, tum nobis, orationes B. P. Francisci aditū impetrârunt. Paulò enim postquam ille diem obiisset, Lusitanorum nemo Cātaone ciuitate prohibitus est, liberaque cum ea gente commercia fuêre. Quod certè beneficiū sibi soli impendi petierat B. ille Franciscus, sed ideo non obtinuit, vt in posteros, hoc est, nos eā commoditatem, qui talem habituri eramus, intercessorem, transferret.

Quia verò me rem gratam vobis facturū existimo, si quid de hac prouincia perscripsero: breuiter quæ ipse vel viderim, vel audierim, referam.

Sinæ descriptio.

Sina itaque tota 13. continetur prouincijs, quarum nulla est, quę non vrbem insignem habeat,

totius

totius prouinciæ primariam, à qua leges petuntur, & totius prouinciæ administratio. Inter has autem ciuitates primarias Cantaonem minimã asserunt, quæ tamen, Lusitanorum omnium iudicio, Vlisiponem & hominum multitudine, & magnitudine spatij antecellit. Aliæ verò, longè Cantaonem & hominum frequentia, & pomœriorum ambitu superant. Est autẽ Cantaõ firmis propugnaculis, ædiumq; magnificentia admodũ famosa, in eaque quælibet platea portam habet, quæ de nocte occluditur, vt ne ex vna platea in alteram vlli, vel ad furãdum, vel ad grassandum transire liceat. In vijs passim arcus triumphales sunt, & insignes, plures opinor, quàm 100. Nec mirum; Principes enim qui tertio quoque anno de magistratu se abdicant, huiusmodi arcus in perpetuam memoriam erigunt, in quibus & sua exprimunt nomina, & quo tempore rerum administrationẽ tractàrint. Vbi verò in vijs huiusmodi arcus non sunt, longo ordine magnæ arbores crescũt, vijs ipsis veluti horti formã prębẽtes. Ciuitas quoq; omniũ rerũ, quibus ad vitam opus est, instructissima: quęlibet platea macellũ habet. Flumine tota cingitur, ita vt oportunè vndequaque nauigari possit. Campos amplos omnes irriguos ob aquarum commoditatem extrà habet. Quare etiam ter in anno terra fructus suos producit, ijsque qui in Europa nascuntur, pares: vt etiam arbores, animalia, & quicquid demum terra profert. Honesto cùm viri, tum mulieres habitu vtuntur: seuerè in adulteros animaduertũt. Mechanici & Cerdones per regiones distributi, ita vt qui eiusdem artificij sunt, vnam occupant. Nec aliquis aliã filiũ suum docet artem præter eã quã ipse exercet. Neminẽ in ocio viuere permittunt:

Prouinciæ Sinarũ 13.

Ciuitatum vastitas.

Cantaonis descriptio.

Terra ter in anno fructus producit.

In Adulteros seuere animaduertitur.

Ocium omnino prohibetur. tunt: sed vel Mechanicam addiscant oportet, vel aliquo in Republica officio fungantur: nec cæcos, quos molis adhibent, ne mendicare cogãtur, ociari sinunt. In Mechanicis rebus tanta pollent industria, vt in toto vix terrarum orbe existimẽ homines maiori. Neminem patiuntur, vel nobilitatis titulos aucupari, vel potentẽ fieri, vel perpetuos sibi census parare, ne vlla occasione Principum rebellio aut seditio oriatur, & iugum excutiant: propterea quisq; suos filios in summo gubernatorum obsequio instituit: qui gubernatores in eam quoque rem vigilantissimi sunt, & omnibus ex æquo ius reddunt, & imperant.

Siamregio Legatus Siaonis Sinensium Regẽ 500. stipari magnis viris, veluti quibusdam gigantibus se asseruit vidisse. Idem alij Christiani vno ore confirmârunt. Tam verò potens & populosum hoc regnum est, vt cùm in hoc portu in quo agimus, plusquam tria, aut quatuor millia librarum piperis, & centum millia ducatorum argenti celati, in vna tantùm naui, quæ ex Iapania venerat, veherentur, vnius mensis spatio distracta sint: vt & alia omnia quæ huc feruntur, facilè possint, si Cãtaonensibus concederetur, suas merces ad insulam Sanchoan efferre, vbi negociandi gratia admittuntur exteri, & cum Sinis merces suas commutant. Quæ verò à Sinis recipiunt, in Indiam, Lusitaniam, & alias regiones efferunt.

Similiter singulis annis breui spacio, quicquid huc adfertur, vendi asserunt aut commutari. Hãc autem Cantaonis vrbem, quæ inter 13. omnium *Immensa Cantaonis tributa.* est minima, singulis annis Regi amplius quàm sexcenta millia librarum argenti pendére testãtur Sinenses. Quæ certè vis argenti, etsi nimia prima facie videatur, rem tamen ita se habere

facilè

facilè constabit, si totam illam exactionem in partes deducamus. Nam vbi annum quis attigit 18. vsque ad 90. sex soluit nummos regi, qui tertiam propemodum conficiunt partem aurei. Tantundem singulæ quoque pendent familiæ. Ex omnibus verò mercibus quæ huc aduehuntur quintam, & ex quibusdam mediam exigunt partem: vnde facile colligere licet, tãtam vim argenti Regis fisco inferri. Tãta autem est hic nauium tum minorum multitudo, tum maiorum, vt nullus nõ admiretur. Mensis enim spacio ducentas & octoginta naues, & 10. millia militum nuper in aciem instruxêre contra Iapanẽses, qui tanta valent disciplina nauali, vt non vereantur sæpe multis excursionibus regna potentissima Sinensium populari, quam calamitatem diu multumque passi Sinenses magna hominum, nauiumque collecta multitudine, in Iapanẽses totum belli impetum direxêre, quos tanto prosequuntur odio, vt certatim precium soluant, quoties quis ex ipsis aliquem occiderit.

Clasis 280. nauiũ

Iapanes bello nauali præstãt.

Ciuitatum Magistratus certè spectatu dignus est, & in tanto apud omnes honore & veneratione: vt opus sit tertio quoque anno, ne tyrannidẽ affectent, nouos ex alijs prouincijs creare. Et quãuis plurimum commessationibus sint addicti (quæ res insolentiores reddit homines) magna tamen Præfectorum cura & vigilantia, tanta inter se pace & tranquillitate fruuntur, vt nullum ciuem, ne præfectos quidẽ arma ferentes videas. Tãtam ego haud satis admirari desino trãquillitatẽ, qua ciuitates istæ reguntur. Inter honoratos vnus est quẽ Enchasi vocãt, qui in flagitiosos animaduertit. Alius quẽ Ponchasiũ, nos quæstorẽ appellarem⁹ regni. Est & tertius, Chaen⁹ dictus,

Tartarorũ utuntur legibus.

Officia Reipublicæ.

Quæstor.

qui oculi & manus formam in sua gestat chlamide, atque hic inter alios eminet:cuius munus est diligenter obseruare,an reliqui bene præsint, & recte suo munere fungantur:quos suis officijs priuat,si negligentes deprehenderit:vt si mortis sententiam,vel supplicia flagitiosis irrogata,executi non sint, quæ prius ex curia Regia denunciata accepêre.Alius denique vulgo dicitur Tutaonus,qui omnibus alijs imperat ; & dignitate longè superat, estque veluti Prorex,penes quem totius regni est administratio,vniuersamque regionem perlustrat . Hi autē omnes gubernatores certo genere pilei,& peculiari vtuntur vestiū genere,cum eiusdem Regis insignibus circa humeros,quæ sunt Leonis effigies. Qui huiusmodi ornantur,tāto omnes pro cuiusq; gradu,afficiūtur honore,vt credi vix possit: tātaq; eorū maiestas, vt non nisi flexis genibus,idq; ex longo interuallo cōueniātur, Palatia inhabitāt admodū magnifica,ab ipso Rege cōcessa.Ne paucos huiusmodi gubernatores credas,Sinenses affirmāt,in hac sola Cātaonis prouincia Regem alere centū hominum millia,quibus iura tantū commissa sunt,iudiciorum administratio & cura,vt seruetur prouinciæ tranquillitas: nec hos cōueniendi facultas datur,nisi in Senatu,aut iudicijs:& tunc quidem si quid expetitur,literis licet.Ianuis etiam adhibētur Ianitores:qui admitti ad iudiciū cupit,alta voce quid velit,significat.Eorū arma , quos Rex in istorū comitatu destinat,arundines sunt duorum cubitorum, latitudine verò palmi, fissæ per medium,& igne induratę. Quilibet autem,siue is diues,siue pauper,clarus aut ignobilis sit , sine vllo discrimine , etiam leui de causa , his arundinibus cædi iubetur sub tibiarum iuncturis,

Censor. *Prorex.* *Insignia præfecti.* *Præfectorum ingēs multitudo.* *Arma.* *Pœnæ.*

tanta

tanta inhumanitate,vt si 50. ictus quis receperit, animam inter verbera reddat, vel claudus efficiatur,carne vsque ad ossa contusa. Me præsente 10. huiusmodi verbera cuidam inflixére, ex quibus intentiores ni fallar, dolores sensit, quàm ij quos Iudæi 40. vna minus ex lege mulctabant. Absoluto aliquo iudicio,mox portas occludunt, & pro sigilli testimonio, schedulas quasdam foribus affigunt: sunt autem ædes istæ, ad quas diuerterunt. Quoties egrediuntur,sedibus feruntur magnificis,eorumque equi manu ducuntur. Præter plurimam turbam eorum, qui arundines illas, aut clauas ex Regis constitutione gestant, & alios qui tabellas ex humeris habent dependentes,in quibus nomen illius,quo fungũtur Magistratu,inscriptum est,nemo alius in via comparére audet.Hi omnes bini longo ante procedunt ordine,magnis acclamantes vocibus, vt cedant singuli:nec vlli tunc per plateam patet aditus, sed in ædes se omnes recipiunt:alij vias,qua his transeundum est,purgant diligenter, tamque ingenti illi incedũt ambitione,vt nulla vox, dum transeunt,in viis exaudiatur. Tanta denique eorum grauitas est & maiestas,vt ipsi Lusitani, qui eò se conferunt,vt commercia contrahant, eos ipsos non nisi flexis genibus, & éminus alloquantur. Atque hæc omnium maxima est difficultas,quam in Sina inuenio,pro Christiana nostra fide propaganda. Tam graui enim homines hic premuntur imperio,vt aliam legem profiteri non audeãt,citra eorum qui præsunt facultatem: nec ipsi Prouinciarum gubernatores sine Regis imperio promulgare possunt.Quare (quantum ego experientia discere potui) hac ratione huius gentis conuersioni intendere possumus.

Iudicũ magnificentia

Cur fidei in Sina difficilis sit propagatio

Legatus

Quomodo Chinenses cõuerti deberent.

Legatus mittendus esset, qui pacis fœdera inter ipsos & Lusitanos firmet, simúlque ex Societate aliqui cum eo vel hac tantum de causa, vt Regis ciuitatem ingredi possent, quem asserunt mille, & quinquaginta abesse miliaribus, & veluti in regni latere meditullio: plurimum autem huius itineris per flumen nauigio confici potest. Quoniam verò legato Cantaoni, dum ad Regem itur, & responsum expectatur, ad annum integrum hærendum esset, nostris linguæ addiscendæ, cognoscendęque regionis magna dabatur oportunitas. Cùm verò vnà cum legato Regem accederent diuini officij celebrandi, & in piis honestisque actionibus sese occupandi, populumque in moribus instituendi peterent liberam facultatē. Postquam verò ipsorum virtus & probitas innotuisset, possit obtineri diploma Regium, quo iis qui vellent permitteretur Christianam religionem profiteri, & Creatoris legem amplecti liberè citra impedimentum. Deinde conandum esset, vt Mādarini, & reliqui moderatores fauore quo possent maximo eos prosequerētur, qui Christianam religionem profiterentur. Hac autem ratione negocium posse confici, mihi persuadeo: secus enim neq; Rex, nec ipsius Mandarini nos cum populo agere facile concedent, neque fidei nostræ semina hic spargere licebit. Si quis prætcrea est modus, non humanis, sed potius diuinis eget mediis. Nēpe vt duo Societatis Patres magno animarum zelo accensi, Cantaonem duabus instructi linguis ingrederentur, ibiq; cū periculo incurrēdi pœnā quæ arundinibus infligitur, Christianā, sanctissimamq; fidem, & publicè & priuatim docere, & concionari nunquā cessarent: nec minis, tormentisue cedentes verbum

Dei

Dei reticerent,imò eò magis promulgarent,quò prohiberentur amplius:ſicq; cùm in proſperis,tũ in aduerſis magna ſpe & fide in Deũ erecti, ſibi proponerent illud Chriſti: Niſi granũ frumẽti cadẽs in terrã,mortuũ fuerit,ipſum ſolũmanet,ſi autẽ mortuũ fuerit multũ fructũ affert. Sed hic difficultas ſe ſtatim obiicit,quòd pręter Sinenſes iuuenes nullos habeamus interpretes,ij autẽ in leuiſſimis etiam fortè periculis animum deiiciẽt, vt omittam non tanto valere intellectu,& iudicio,vt res diuinas explicare poſſint. Tam etiam leues & inconſtantes deprehẽduntur, vt ea mox reuocent & negent,quæ dudũ affirmârant: cùm firmum animi propoſitum iis omnibus neceſſarium ſit,& conſtantiæ exemplum,& ad omnium virtutum culmen aſpirandum, qui alios in vita Chriſtiana inſtituunt.

Libenter admodum in Sina remanſiſſem, ni negotiorum pondus mihi impoſitum, ſociiq́ue itineris,quos mecum in Iapaniam abduco, prohibuiſſent. Ibidẽ quendã ex noſtris relinquere decreueram,vt Sinenſe Idioma addiſceret: verũ ſine gubernatoris facultate tẽtare id nolui,ne periculo obiiceretur:quã certè facultatem quia difficilè impetratur,libello ſupplici mihi dari expetij.

Populus Sinenſis bonæ indolis.

Populus Sinenſis, quantum hactenus intelligere potui,bonæ ſatis videtur indolis, quam certè meliorem haberẽt,ſi eſſent Chriſtiani. Effrenatas enim animi cupiditates, indomitoſq; motus refrenare diſcerent, eaq́ue aſpernari,quæ menti maximas offundunt tenebras. In illiberalibus artibus,rebus mechanicis,mercibuſq́ue contrahendis,hiſq́ue ſimilibus,multũ valent ingenio,& induſtria, in iis verò,quæ animæ ſalutem concernunt,admodum ſunt ſtupidi, cæci & negligẽtes.

Nullam

Nullam earum rerum quas hactenus docui, habere videntur cognitionem, neque eò perduci possunt, vt intelligant animam immortalem, & vnum esse Deum omnium Creatorem: nec vllum post hanc vitam expectant actionum premium, nec tartareas metuunt pœnas. Hinc fit vt ea omnia parui faciant, quæ Christiana fides ad animarum salutem in primis credēda esse docet.

Sacerdotes Sinarum quales.

Sacerdotes pileo tantum simili Albanensium capitio à plebe discernuntur, tonso omnes incedunt capite, nec aliquid in habitu viro graui & religioso dignum apparet, suntque infimæ conditionis, & de vili plebe. Libēter cum legum religionisq; erudito aliquo verba habuissem, & eorū superstitionis notitiam aliquā percepissem: neminem tamen inueni, qui aliquid eruditionis prę se ferret. Magna habet quisque domi suæ deorum simulachra, quibus adolent suauissima, nullum tamen precum vsum. Sortibus tantam tribuunt fidem, vt nihil sine iis aggrediantur: si contra sortes quid euenerit, idola statim pœnas luūt, multis verberibus excepta. Quàm vellem ego, vt aliqui Societatis Patres Christi amore inflammati, animarúmque zelo accensi, idioma prius addiscerent Sinense, deinde per eosdem pro sua bonitate ineffabili piissimus Deus miracula operaretur, quibus commoti Sinenses, se nostræ religionis ostenderent auidos, & Christi seruatoris nostri fidem in hisce partibus longè latéque ipsimet diffunderent: initiis enim admodum paruis maiora adderet incrementa, ac, ne nobis essent impedimento, Prouinciarum Rectores prouocaret.

Idola. *Sortilegia.* *Idola uerberant.* *Miracula desiderant.*

Captiui Christiani in Sina.

Postquam huc appuli, Cantaonem me bis contuli, primò vt tres Lusitanos, aliósque totidē Christia-

ftianos ciues,quos in teterrimam custodiam coniecerant,liberarem. Quorum vnus Mattheus Brito,cùm ad nos Mandarini imperio nudis pedibus,nudoq́ue capite & ligatus, & tabella collo appensa,in qua facinus literis expressum erat,venisset:nos ad suam,aliorumq́ue qui eisdem tenebantur vinculis, commiserationem commouit: sic excipiũtur, qui capitis crimẽ aliquod cõmiserunt. Porrò hi iure belli in Sina captiui detinentur,quod inter Lusitanos & Sinenses ortum,non ita pridem confectum est:certè si qui illo belli impetu capiebantur,omnes vel enecabantur, vel carceribus mancipabantur : à quo scelere, quòd pacis fœdera cum Lusitanis inierint,iam temperant. Mecum nonnihil Succini siue ambri detuleram,vt captiuos redimerem:quod iam sex annos Sinensem Regem desiderasse audieram,multáque promisisse,si quis eam attulisset:id vitam senibus producere existimant, si aliis quibusdam aromatum confectionibus mixtum sumatur.

Bellũ Lusitaniæ cum Sinis.

Succinũ in precio.

Secundo mouebat me ad tantam profectionem, vt gubernatori pro ipsorum liberatione mille quingentos ducatos numerarem , tantum enim mutuò acceperam. Quos certè si,vt spero,ex vinculis liberauero, tot mihi comparandæ erunt eleemosynæ,donec omnia restituam. De Sina nihil hic scribam amplius:nimium enim foret singula commemorare. Concedat itaque piissimus Iesus,animarum Saluator vt frequentissimo huic, amplissimoq́ue populo, qui nullum vnquam verbum de nostra Christiana religione , Christiq́ue Euangelio accepisse videtur , per Societatis nostræ Patres Christianæ fidei veritas denuncietur. Ego interim veluti terrę promissionis ingressus explorator,hæc noua nuncia vobis perscribo.

Et quamuis hic multos cernam Gigantes, cum Iosue tamē & Caleph sentio, si omnipotēs Deus, cui seruimus, nos iuuerit, ciuitates ingrediemur munitas, & melle, butiróque, quæ è terra manant, fruemur.

Ad Iapaniā trāsit. Iter nostrum, iam tandem aliquando absoluetur. Rogant enim nos plerique, vt cum illis conscendamus, iamque duodecimus agitur dies, à quo ingens & opulenta nauis appulit, in qua plurimi erant Lusitani, qui in Iapania hyemare decreuerunt, vt Maio proximo, quo tempore nauigatio commoda est, soluant. Lusitani admodum prædicant Iapanensium conuersionem, & fidei incrementum, & virtutes Christiano homini dignas. Difficilia hęc pericula, quę se obtulere, cū iis erepti simus, indicare mihi vidētur Deum Opt. Max. opera nostra vti velle, ad tanti populi conuersionem. Maio proximo annus agetur secundus, ex quo Goa discessimus, quod certè tempus longis, difficillimísque nauigationibus consumpsimus. Maiori certè consolatione, si vberior fructus accessisset, tēpus illud traduxissemus. Me tamen consolantur 30. anni, quos Christus Saluator noster (antequam Euangelium suum longè latéque diffundere inciperet) transmisit, atque etiam quod Apostolus ipse duos annos in vinculis trāsegit, & tādiu in Melita hyemarit fracta naue eò delatus. Nunquam tamen doctrinæ Christianæ explicatio omissa fuit, concionesque ad Lusitanos, piasq; exhortationes diligenter habitæ, quorum plurimi his in locis Christianæ fidei obliti, confusa, cœcaque mente errant & vagantur, cùm nimia spe lucri, tum voluptatū amore, mulieribus emptitiis pessimè abutētes teneātur. Intellexi, magnū Christianā nostrā fidem apud

Iapa-

Iapanes ſumere incrementum,noſtro autem aduentu,acceſſionem ſperamus maiorem. Proinde & mea,& R.P. Ignatij mẽs ſemper fuit,vt iſtud iter proſequeremur. Quare ſi ille aliquam ſuę voluntatis mihi dediſſet ſignificationem, dũ in his mediis fluctibus,periculis, & doloribus verſaremur,maiorẽ certe ipſe ſenſiſſem conſolationem, certò mihi perſuadẽs,de diuina bonitate certiorem me factum eſſe.O fratres chariſſimi , quàm diuina res eſt ſancta obedientia, quæ omnem animis noſtris eximit ſcrupulum, pacẽ confert, & quietem perfectã mentibus inſerit,quam certè ſi ſequimur , aberrare nõ poterimus , multò enim cuperem libentius ex obedientia quiddam humile& minus rectũ agere,quàm ex volũtate propria magnifica opera.Illud iam longa didici experientia,eum,qui meliora in rebus ſingulis vult inuenire,& Deo fideliter ſeruire , ex his duobus alterum fateri debere:vel ſe adeò eſſe perfectum & ſpiritualem,vt ſpiritusſancti vnctione in omnibus regatur , vel ſe ſemper ſubmittere debere ſuo Rectori,veluti inſtrumẽto diuinę prouidentiæ:ita vt neq; velit quicquam,neque amet aliud quàm quę ſancta obedientia vult & præcipit. Quod ſi fecerit , omnibus in rebus multò certè erit ſecurior, nec huc , illúcue impelletur facilè, neque in re vlla turbabitur.Mihi verò etſi dubitatio inciderit, diuina tamen gratia , aptum nauigationi expectabo tempus, quod in Maio eſſe ſolet,& inchoatum iter proſequemur.

Propria voluntas coecis cupiditatibus agitur plerumque.

Balthazar & D. Ludouicus Almeida à Bungano rege obtinuerunt,vt vnà cũ nutricibus infantes ſibi donarentur , qui parentum crudelitate vixdum nati miſerè trucidabantur.

De

De victu recepit Ludouicus iis se prospecturum; quæ etiam quòd Bongi remanserit causa est:eóque charitatis beneficio promeruit,vt non solùm sibi cōmitterentur infantes,verū etiam cū infantibus nutrices ipsæ sacro baptismate abluerētur, quæ quidē tenuiori sunt cōditione.Hoc factū planè diuinū plurimū à Iapanensibus celebratur,incitatque non parum ad amplectendam nostram religionem.Ipse etiam Ludouicus, quo tenetur desiderio iuuandi Iapanes, cùm me videret diutius hærere(naues enim mihi deerant) quasi moræ impatiens,per fidum quendam nunciū 2000. ducatorum ad me transmisit,quibus,quod supererat itineris, perficerem. Verùm voluit Deus tātis opus non esse impendijs, soluerunt enim in Iapaniam tres naues, & prospera contigit nauigatio.Auidè is nostrum aduentum expectat,cupiens à me instrui, qua ratione in posterum vitā suam rectè institutam ducere posset,ad maiorem Dei gloriam,ac certiorem animæ suæ salutem. Det Deus, vt agnitam eius voluntatem exactè perficiamus.

Nutrices cū infantibus baptismi sacramēto abluuntur.

Machuæ,qui Sinensis portus est.
9. Calend. Octob. 1555.
Melchior Nunesius.

EX LITERIS LVDOVICI *Froisij Malaccæ scriptis,ad fratres suos, Goæ agentes, 7. Ianuarij. Anno. 1556.*

Gar-

Gratia & amor æternus IESV Christi
Domini nostri in nobis desiderium
accendat imitandi se.
AMEN.

Videte charissimi fratres, quomodo assidui vestri gemitus, suspiria, lachrymæque exaudiantur. Deus enim modò initium conuersionis gentiliũ dedit, ac velut ostium ad Sinas patefecit, tanto à vobis tẽpore desideratum: Iam Societas nostra nouella planta radices aget, diffusaque longè latéque in vastum illud regnũ Christianam religionem inducet, si quid Christo confidimus.

Scripsi nuper Melchiorem Nunezium eò triremi Francisci Tuscani peruenisse: dein ex iis, qui nuper huc ex Sina naue appulerãt, accepimus vt noua, ita lætissima optatissimáque. Omnes Lusitanorum naues quæ in Sina sunt, ad insulam, cui Campachao nomen, vbi mercatores suas negociationes solent exercere, conuenerũnt: nostri verò eodem loco habitationes quasdã, quæ templi vicem suppleant, erexerunt; vbi quotidie sacrum peractum est, & multorum confessiones exceptæ, siquidem eò iam confluxerant Lusitani circiter 400. pueris quoque doctrina Christiana explicata est. P. Melchior quãdiu hic egit, ad D. Egidij Goes triremem se recepit. Gaspar Vilella cum Stephano nostro ad Francisci Tusci. Æditus verò, & Antonius Diaz in naui Anthonij Pereræ hospitatus fuit. Ferdinãdus Mẽdezius, Antonius Paez, & alij fratres apud templum, vt præsto essent, & sacerdotes celebraturos iuuarent.

Cãpachao insula.

Locus ipse, Melchiorem de B. Francisco Xauierio admonuit, quãtos ille labores pertulerit, dum in tam populosam ciuitatem Cantaon aditum sibi pareret, quò tamen non peruenit: ad Insulam enim quæ Sanchoam dicitur, decessit, sanctissimo Chinam ingrediendi desiderio. Videtur à Deo obtinuisse quod Lusitanis, & nostræ Societati ad Sinas aditus pateat. Inter eos enim & Lusitanos certis legibus conuenit, vt iam tuto liceat accedere. Quam oportunitatem nactus P. Melchior, cum Ludouico Almeida nauis præfecto, Sinis non ignoto, vnà in vrbem se contulit, secumque duxit Stephanum Goes, eo animo, vt ipsum ibi relinquat, si quæ forte spes fructus Euangelij effulgeat, tum vt linguam addiscat. Hæserũt ibi ad mensem, vt si capaces essent Christianæ doctrinæ, viderent: & perlustrarent obiter politiam vrbis, & mores. Sanè viderũt quędã, quæ nostri orbis homines admirentur. P. Melchior & Ludouicus Almeida, venia præfecti Cantaonensis, adierunt Mattheum Britium nobilem Lusitanum, qui cum duobus aliis in carcere multis ferris & cathenis onustus, manicis & pedicis cõstrictus, ac tantũ nõ confectus iacebat. E collo tabella pendebat ad pectus demissa, quod sententiæ ferendæ necisque signum erat: hi viso P. Melchiore, præ lætitia, lachrymas non continuerunt, qui plurimum illos consolatus est, nec tantùm verbis vinculorum pondus sublcuauit: verùm etiam à Sinarum Prorege multis precibus obtinuit, vt ad domum quandam mercatoris, apud quem hi nostri fratres hospitabantur, ire liceret. Mirum, quàm Sinenses sint peruicaces, & in suis peccatis obstinati, nec peccatis modò, sed abominationibus imbuti peccatorum.

Sinarũ mores.

Mun-

Mundi creationem non nôrunt, cœli, terræque æternitatem imaginantur, ad Epicureos planè propendent, ventrem pro Deo colunt. Breuiter summam fœlicitatem, sensuum voluptatibus metiuntur: hominem nihil aliud esse, quàm viuere, & mori credunt, nihil superesse à rogo putantes: vt patrem vsuras colunt, libidines vt matrem: nihil gulæ reliquum faciunt, septies cibum diebus singulis sumentes, aut verius comessantes, quò fit, vt sint ad omne genus viciorum magis procliues. Retulit hæc nobis vir quidam probus, qui cum ipsis aliquamdiu familiariter egit.

Siue Epicurei.

Vsurarij.

Sinæ maxime gulosi.

Septies vna die comedunt.

Inambulans P. Melchior per ciuitatem, venit ad quoddam templum sumptuosum admodum, sacerdotemque allocutus est, si veri Dei fortè notitiam admitteret: cum res ad disputationem venisset, ille quod diceret, non habuit, nisi sui officij esse, in hoc templo pro mortuis orare, nec se aliud scire: rogare autem, vt se sineret. Finito igitur mense, rediit P. Melchior ad naues, vt suos viseret, ac missæ sacrificium offerret, Dei misericordiam implorans, vt horum gentilium mentes demum vellet illustrare, qui tantis tenebris obruti incerto salutis discrimine & vmbra mortis versarentur: inuocatoque diuino auxilio Cantáon rursum abiit, ibique vno & amplius mense hæsit: 1500. ducatos pro Matthæi Britij redemptionem obtulit: verùm Prorex redimi posse negauit, ni prius de Regis sententia compertum haberet. Interea mouit Deus Cazicum quendam literatum, & magnæ apud suos authoritatis, ad publicè cum Melchiore in maxima Sinensium congregatione disputandum.

Orare pro defunctis

Cazacorũ ignorantia

Ducati 1500. pro vnius redẽptione.

Disputatio cũ Cazico

Literati illa panes. Conuenere igitur circiter 300. Sinenses, inter quos multi literati erant iudices futuri disputationis: cœpta est disceptatio cum magno circunstantium applausu,& expectatione, ob mirabilia & inaudita eis hactenus, quæ de Deo proponebantur, rerumque quæ non videntur, item *Deum ignorant.* earum quæ subiectæ sensui sunt, creatione. Cæterùm sacerdotis gentilis Sinensis eloquentia, ipso *Cazicus cũ pudore uincitur.* statim disputationis initio, cùm iã ad respondendum se compararet, defecit, ac in tantum ruborem actus est, vt cùm non videret quò se verteret, ratus consultius esse ac tutius, si finem disputationis non expectaret, ne semel, quod reliquum habebat authoritatis, amitteret, magno furore in Patris Melchioris faciem expuit, tergoque verso, diabolus, inquit, hunc alterum diabolum huc adduxit, vt mecum disputaret. Sinenses eo viso, suum Cazicum multis cachinnis & scommatibus exceperunt, ac Dei æterni notitia eis magis innotescere cœpit: & quamuis hæc peregrina visa sint, spero tamen fore, vt ipsis maius desiderium pariant, & hic ad plura de suo Creatore audiendum excitentur. Quamuis autem P. Melchior non fuerit ad hos missus, sed ad eas quę perierunt in Iapania oues, commodum tamen ei visum est, & hic salutis authorem omnino non tacere. Venietis igitur vos fratres, & arentem hanc vineam rigabitis, Dominus incrementum *Adhortatio ad fratres ut ad Sinensem vineã properent.* addet, vt longè latéque sacrosanctum ipsius nomen diffundatur, honoretur, adoretur. Nec mireminі primo congressu nullos conuersos esse. Nam vt quæ facile ignẽ concipiunt, veluti paleę, facile etiã extinguũtur, flammaque vixdum excitata emoritur: ita de hominibus est iudicandũ. Quomodo inuocabunt Deum, in quem non cre dide-

diderunt? quomodo credent, si non audierũt? quomodo audient, nisi mittamini? eosque de sua salute comparanda plenius instruatis, salutis verbum annuncietis? En tempus quo nihil vobis esse debet optatius, en portæ hactenus clausæ, patent: sublatum est quicquid intrantibus impedimento esse videbatur, & quamuis inueterata consuetudo morum, difficultatem magnam ingerat animo, Charitas Domini qui Iapanum arrogantiam contudit, & immaculato Christi iugo subdidit, idem conficiet, vt qui natura minus sunt indomiti, minori negocio cicurentur. Multa alia retulit.

Quum iam tempus oportunũ penè effluxisset quo Malaccam nauigari solet, rediit P. Melchior ad naues Indicas, misso P. Gasparo Vilella ex China in Iapaniam. Interea Deo ita disponente, Eduardus Gãma ex Iapania hîc appulit, meliora quàm sperari hactenus potuerũt, nunciat. Magnus .n. fit populi concursus ad ædes nostras ex omnibus ferè Iapaniæ partib⁹, vt Dei benignitate Christi sacris initietur. Referunt etiã Lusitani, qui vnà cũ Gamma appulêre, Primarium Amanguci gubernatorẽ hominem grandęuũ (Chartondo ei nomen) cum duobus filiis Christianis se adiunxisse, potest is vel vnico imperio (tã est potens) decem armatorũ hominũ millia in procinctu exhibere. Hic statim post acceptum baptisma, positus genibus, manibus oculisq; in cœlũ sublatis, Deũ rogauit, vt sicut ea ætate ad ipsius cognitionem peruenire dedisset, & tanta fœlicitate donasset: ita etiã ex hoc mundo ad se vinculis mortalitatis solutis venire concederet. Verũ ad maius Ecclesiæ bonũ piam hanc viri petitionem dilatam speramus, ablatam non esse propemodũ constat.

Multi Iapanes baptizati cũ principe.

Principis pietas.

Alius princeps fidei lumen aspicit.

Alius princeps fidei lumen aspicit. Item quidam gubernator cum 300. clientibus Christi ouili additus est, prçter hunc alius clarus admodum princeps, per quem Deus breui tēporis spacio res magnas cōfecit. Magnum facit modo rerum apparatum ad animarū conuersionem tanta Dei cognitione illustratur, tantóq; spiritu, & feruore charitatis agitur, vt contineri non possit, quin & per vniuersam Iapaniam & remotissima regna, Euangelium regni æterni, mundíque redemptionem annunciet, contenditque vt *Principis ad Euangelizandum desideriū.* paties suo calculo hoc desiderium confirment. Huius frater, quo nihil nequius habet Iapania, cùm minimum putat se videri, nos persequitur, & saxis impetit: adeo verum est, vno reiecto alterum assumi. *Miracula.* Qui huc ex China veniunt, narrant vno ore oēs, admiranda stipendáque Deum conficere opera per suos electos: & vt olim in primitiua Ecclesia, ita modò multa fieri miracula ad fidei confirmationem, & eorū qui Christum sunt amplexi, constantiam: cœcis visum restitui, claudis gressum, infirmitates manuum tantum impositione curari.

Disputatio 2. Bonzorum. Duo Bonzi siue sacerdotes Iapanes, viri admodum honorati, & inter doctos qui Maiaci erant, doctissimi, confecto hoc longissimo itinere, Bungum venerunt ad disputandum cum Balthazaro Gago, exciti viri fama, quæ latè circumquaque regiones cum rumore de lege creatoris peruadebat. *Bōzius acutus philosophus.* Alter eorū, subtili acutoque erat ingenio præditus, & mediocriter in rerum naturalium cognitione, versatus: interdum tamē res tam sublimes speculabatur, rimabaturq; & proponebat, tantoq; animi vigore, vt in admirationē raperet Balthazarē hominis ingenium, cui & Socio post longas difficilésq; disputationes, tantū lumi-

lvminis diuini infudit Deus, vt Christi legē amplecteretur. Quoniā verò Baltazar aliquando inter disputandum allegabat loca S. Pauli, rogabat doctior iste, quid hominis fuisset Paulus, cúq; intelligeret magnū Ecclesiæ nascētis persecutorem fuisse, dein vas electionis factum, & Dei bonitate, Euangeliū ipsius per vniuersum penè mundum diuulgasse, & pro Christi nomine infinitos tantóque labores exantlauisse vt ad multas virtutes martirij palmā adiiceret: Respōdit felix ille Bonzus: quoniam S. Paulū (inquit) secutus sum & ipsius errores & peccata in Deum quodāmodo expressi, prius quàm conuerterer: Rogo mihi Pauli nomen imponatur, vt ipsius quoque facta præclara, quæ postea Apostolus fecit, mihi proponam imitanda. Alter, quòd Pauli socius fuisset D. Barnabas, huius sibi assumpsit nomen, vitæq; exemplum delegit. Habentur ambo à suis velut columnę quędam nascentis Ecclesiæ, eámque habent nominis famam, ob ea quæ horum ministerio Deus operatur: vt nullo modo, si velim referre, memoria patiatur. Omnia ab eo viro qui Goam pergit, à quo hęc accepi, latius intelligere poteritis: nec enim scribere temporis angustia permittit. Addam tantum Paulum hunc Dei virtute ex iis vnum esse, per quos Deus ea facit in Iapania, quæ in omnium sunt admiratione: & vt referunt, maiora quàm vllus hactenus ex hac gente Christianus: quotidie ieiunat, nocte loco puluinaris saxo vtitur, media nocte ad meditandum surgit, idque continenter, meditationi, studióque multum temporis impendit, variis exquisitisque afflictionibus sese exercet, semper euangelizandi causa ab vna ciuitate in aliam in migrat, miraculis claret,

Bonzorum nominantur Paulus & Barnabas.

Barnabas.

Eorū uirtutes.

Pauli mores sancti.

multos ad Christum pertrahit, statis temporibus ad Baltazarem confitēdi causa redit, dein ad suas conciones reuertitur. Deus sua infinita clemētia hos famulos suos in suis sacrosanctis ministeris confirmet.

Sunda.

Fabri Iapanensis in conuertendis gentilibus studiū

Sunda in Sinam venêre triremi Iacobi Pereræ octo Iapanes, quos cùm vidisset Ioachimus Iapanensis arte faber, statim iis vt popularibus, Christum prædicare cœpit, qui & sacris vndis abluti sunt: multa de hoc fabro, si tempus suppeteret, scribenda forent. Tantum hoc scribo, si per indoctos hæc agit Dominus, quid per magnos viros, prouectos tū in pietate, tū in eruditiōe, multūque amore diuino accensos, facturum putatis?

Iapanes Chirurgiæ ignari.

Quamuis autem Iapanes artē medicā præ reliquis iactitant; Chirurgiæ tamē sunt ignari, cúmque Patres nostri ob id pauperes Christianos grauissima pati incommoda cernerent, nec esset qui iuuaret, Deus, qui sua misericordia & prouidentia nos mirabiliter gubernat, & protegit, iuuenem quendam, nec in Chirurgia, nec lingua latina malè versatum, Ludouicum Almeidam excitauit, qui ducatorum quinque millia apud se habebat. Hic videns tot pauperes Christianos penuria ac morbo grauari, singulari Dei consilio ad commiserationem commotus, in eorum gratiam Bungi hærere voluit. Nosocomium excitat suis impensis: pauperes colligit, & summa charitate fouet. Aliam præterea domum extruxit, in qua ali infantes voluit, qui à parentibus summa crudelitate trucidabātur. Mos. n. crudelissim⁹ inoleuit, vt honorati Iapanes, pauperes tamē, opera obstetricum, & earum quæ parturientibus adsunt, statim natos infantes pede collo impresso occidant: dicentes, pauperibus non esse opus

D. Ludouici Alm. eleemosina & summa pietas.

Nosocomiū erigit.

Infanticidia tollit.

vita,

vita, quam in miserijs traducant. Horum igitur misertus D. Ludouicus, huc curat adferri, baptizari, educari, & Christianis moribus institui. Rarum exemplum præbet omnibus tam Christianis quàm gentilibus: necdum in societatem admissus, sua voluntate & pietate hæc pia opera exercet. Rogate patres & fratres charissimi Deũ, vt illius beneficio gratiaq; perseueret, laborumq; suorum fructu perpetuò in posterum fruatur.

Nouis hisce rebus excitatus Franciscus Tuscanus, sua triremi, qua nulla maior est in his partibus, in Iapaniã contendit, cũ aliquot fratribus nostris. P. Melchior cũ alijs, nauẽ Iacobi Vazei Taraconensis, qui sæpius hoc iter confecit, conscendit. Videte fratres quãta messis prouenerit tã paucorum labore & opera: quid futurũ existimatis, si multi præclaris virtutibus ornati huc accurrerẽt? Ferũt tam multos modò ad nostros P. baptismi gratia cõfluere, vt etiam à quinquagesimo, 100. 200. miliari accedãt: idq; cũ filijs, vxoribus, vniuersa deniq; familia. Simulatq; Eduardus Gãma nũciauit in Iapania P. M. Melchiorẽ, cum multis Malaccæ oportunitatẽ in Iapaniã nauigandi expectare, ac legatione ad Regẽ fungi, multa cõsolatione perfusi sunt fratres: qui iã 4. & eo amplius annis, nihil de Societ. nostra audiuerãt. Lætitia hæc se quoq; ad nouos Christianos extendit, imò & ad ipsum Regẽ, licet gentilẽ, quòd datis ad P. Melchiorẽ literis quidã significauit, rogãs vt accederet, seque simulac venisset, Christi doctrinã amplexurũ. Me, & rẽ omnẽ sanctis Patrũ sacrificijs, fratrũ meditationibus, & puerorũ orationibus ex animo cõmendo. Ex Colleg. Malaccẽsi 7. Ian. An. 1556.

Multorum ad Christianismum concursus.

Seruus inutilis. *Lodouicus Froys.*

REX

REX FIRANDI
Reuerendo Patri M. Melchiori.

REuerende Pater, P. M. Franciſcus venit ad hanc meam vrbem, & aliquot baptizauit, cuius ſtudiũ mihi gratiſſimũ fuit, & omni fauore ſum proſequutus: non permittēt, vt quis ei eſſet moleſtus. Bis ad me venit P. ille qui Bongi agit, & nonnullos affinium meorum, multosq; alios nobiles ad Chriſti fidem adduxit. Ego ipſe aliquoties eum docentem audiui. Placuit valde viri doctrina, vt & ea quæ populo edißerebat, adeo vt etiámnum illa quæ tum diſſeruit in pectore gerã, nec à Chriſtiana fide ſuſcipiendã ſim alienus. Gratiſſimum eſſet, ſi V. R. huc ſe conferret: quamuis defuerim ſemel, ſecundo tamen non fiet, & te omni fauore & honore, quantum in me erit, iuuabo: ſpero id ad Dei obſequium fore.

Firandi 16. Octob. Anno 1555.

EX EPISTOLA MELCHIORIS
Nunnezij. An. 1558.

Gratia & pax Chriſti Domini noſtri, ſit ſemper in animis noſtris &c.

Lampacũ inſula.

ANNO 1555. menſe Decembri ſcripſi vobis ex inſula Lampaco, de gratia auxilioq;, quod mihi Deus in hoc itinere (vt nunquam non benignus eſt, & clemens) impendit: liberauit enim nos non ſemel ex immenſis periculis maris, clareque ſum expertus, quàm verum illud ſit:

Qui vult animam suam saluam facere, perdet eam. Hæsi hoc in portu cum iis qui mihi aderãt vsque ad Iunium, quo tempore in Iapaniam traijci solet. Literas hîc recepi, quibus significabatur omnino in Indiã mihi redeũdum esse quàm citissimè, tũ quia D. Petrus Mazcarenas Proregis dignitate donatus appulerat, vir honoris diuini adeo studiosus, vt sperandum sit ab eo facilè obtentum iri, quicquid ad Dei gloriam promouendam pertinere intelliget, tũ quia cum nouo Prorege ex Societ. nostra solum P. Frãciscus Viera, & Iacobus Soueralius cum Prorege ex Lusitania venerant, & ob Indiæ collegiorũ negotia præsentiã meã requirere. Accedebãt R.P.N.M. Ignatij literæ, quibus vt ne vllus Prouincialis Præpositus Indiam relinqueret, significabatur. Verùm cùm elapsum esset tẽpus, quo nauigatio in Indiã tutior est, & intelligerẽ profectionẽ in Iapaniã vtilissimã futurã, visum est ad Dei gloriã in Sina hybernare, & mense Iunio in Iapaniã traijcere, spe magni fructus, si ad tempus ibi manerẽ, me incitãte, vnde facilè vrgenteq; aliqua necessiate, in Indiã, me s. obediẽtię cõformando, redire possim. Hibernaui itaq; in insula Lãpaco, quæ 18 leucis Cãtaone distat, vt simul iuuãdis Lusitanis oc cuparer, qui hîc quoq; in hybernis erant. Quoniã verò insula hæc non erat habitata, tuguria aliquot straminea, & ędiculã quę templi loco esset, exstruximus, vbi à Decẽbri ad Iunium vsque indies & çelebratur, & singulis Dominicis, festisque diebus cõcionatur. Quotidie etiã Christianam doctrinam Lusitanorũ seruitijs, famulisque explicauimus, & Dei gratia & fauore fructum haud exiguum ex hisce laboribus retulimus.

Lampaciũ insula Sinarum.

Erant enim qui à multis annis conscientię onus

non

Fructus laboris. non posuerant: multa restituta sunt, quæ iniustè possidebantur, multæ reiectæ concubinæ, quæ multos annos in peccatis traduxerant, aliæ matrimonio copulatæ. Vix explicare possum fratres, quanta consolatio & lætitia mihi fuerit videre in Sina, vbi fortè idololatria semper viguit, Deo sacrificia munda offerri, sacra officia celebrari, Euãgelium prædicari, idque non sine auditorum lachrymis, & consolatione. *Exultatio Christiana* Officia siquidem hebdomadæ sanctæ, tanta fuère celebrata & religione, & solennitate, vt plurimum ij qui intererãt, ad pietatẽ sint excitati. Sãctissimum Christi corpus splendidissimo, quod ex pannis preciosis & aulæis adornârant, sepulchro, Hispanico more, repositum est. Passio quoque Christi, & eius certamina pro concione explicata, tãtis auditorum lachrymis, vt explicare vix possim. *Lachrymæ Christianorum.* Sabbato item sancto concio habita ad monumentum Christi, pòst alleluya solenniter decantatum, tanta religione & magnificentia, vt dixerint auditores sibi visum esse, ipsam se Christi resurrectionem præsentem intueri. Ipsa Paschatis solennitate supplicatio instituta est: Lusitani qui omnes post criminum confessionem, S. Christi corpus sumpserant, ramos & flores præcedente regio vexillo manibus gestantes, longo ordine incedebant. *Solennis supplicatio.* In summa, magnus erat omnium istis diebus deuotionis feruor. Ego sanè testari de me ipso hoc possum, toto isto tempore, quo in hac deserta insula hæsi, tanta mihi animum letitia diffluxisse, tantaque singularium consolationum vbertate, & tam continenti, quantam nunquam, ex quo natus sum, me percèpisse memini: *Consolatio ingens.* huic accessere pro Christi nomine quàm plurima patiendi desideria. In die certis horis ad arboretum quoddã

me re-

me recepi,quod mihi paradysi suauitatem referre videbatur. Sensi maius oriri in me mundi fastidium, mentem stimulari ad Dei creatoris amorem & laudem,ex tanta creaturarum,quæ oculis subijciebantur, varietate & ornatu: animumque alacriorem ad nomen eius inuocandū fieri,& desiderium quoddam concipere,ad ferēdam non tantum 7.annos, aut 14.verùm etiam quoad viuam,pro Rachelē seruitutem.Sed ex altera parte fœcunda Lia non destitit parere,& frūctum adferre, vrgente multa animarum necessitate, quæ tam caro Christi sanguine redemptæ colloquijs salubribus destituuntur,consilio,expiatione,alijsque auxilijs, quæ ad salutem necessariò comparantur. Quoniam qui has frequentant regiones, pleriq; ingenui sunt,nec honestatis expertes,nec barbari, ad vitam rectam, moresque facilius ac commodius formantur. Quamuis enim in Lampaco dissentiones inter nauiū præfectos tā graues ortę sunt,vt minimū abfuerit,quin sese mutuis cædibus conficerent, effectū tamē, vt eæ maioris vnionis causa fuerint: nec id in minimis ponendum, omnibus præsertim ad arma excitis.Nec illud parum videri debet, quod 1500. aureis redempti sint aliquot Lusitani,qui apud Sinas captiui detinebantur, iam iam latā sententia plectendi,situ & squallore teterrimi,asperrimique carceris,tanta crudelitate & miseria pressi,vt fieri non posse quis credat, nisi experiētia edoctus,tanta hominem tolerare posse.

Patiendi Christi nomine desiderium.

Vtilis contemplatio.

Meditatio rerū diuinarū, quæ se ad proximum extendit, optima est.

Dissidia cōposita.

Captiui redempti.

Quadragesima elapsa, Cantaon(quæ vrbs & portu celebris est,& amplissima, vt in Lusitania Vlyssipona)venimus,sita est in gradu 22.ad Septentrionem. Quo rumores sparsi quidam grauiter turbârant populū: ferebatur enim in Sancia(quæ

Cantaonis situs.

prouin-

Diluuium horribile apud Sinenses.
Si quid Iabuiseis videatur...

prouincia in hoc regno est) erupisse tantam vim aquarum è terra, vt ad 60. leucas regionem inũdârit, septem ciuitates mersas esse, multa oppida & pagos, nulla ædificia ab vndis reliqua esse, nullum animal, ac ne hominem quidem vllum euasisse, præter puerum ligno ad æditiora delatum: alios qui simili industria salutem quæsissent, igne cœlitus delapso conflagrasse. Quare primarius Gubernator Cantaonensis Ochauiem, quia ea inundatione pater ipsius cumque eo vniuersa familia periisset, magistratu se abdicauit, qui regionis mos est, cùm parentes moriuntur, abiitque Sancium, veste lugubri indutus. Hæc nō aliunde scimus, quàm ex Sinarum relatu: nam Lusitanos longius regionem penetrare non ita permittunt, vt nec alios exteros, exploratores veriti.

Sincia prouincia eruptione mirabili aquarũ obruta.

Qui aquã euasere igne cœlitus misso pereunt.

Exteros Sinæ in finibus continent.

Dum ego considero hanc calamitatem, & casum, qui præter naturæ ordinem diuinitus euenit, ac perpendo similiter R. P. nostrum Franciscum Xauierium, dum Cantaon peteret, Deo ita volente, in naui obiisse: clarè videre mihi videor, nihil in propagando Euangelio hic à nobis effectum iri: hanc meam coniecturam confirmauit fratris nostri Stephani Goes morbus, quẽ Cantaoni, vt linguam Sinensem addisceret, reliqueram: Est enim vir probus, & in virtutibus adeo prouectus, vt tutò in ea ciuitate illi hærere liceret. Hoc consilium tunc visum est mihi cumprimis vtile pro tempore, si fortè aliquando daretur Dei legem publicare: tantumq; laboris in addiscenda lingua iam impenderat, vt capitis debilitatem contraxerit: vnde etiam conieci nostro labore & ministerio Deum in Sina nondum vti velle: ac proinde cum ex Iapania in Indiã reuerterer, languentẽ cõperiens, & iã septimum diem

fine cibo agentem, iudicaui in Indiam esse reducendum. Præterea quando Sinenses adeo Regi, & prouinciarum Præfectis subduntur, vt sine facultate eos vel alloqui exteris sit difficile: fieri nō posse videtur, si humanis rationibus acquiescendum est, vt sine eorundem authoritate ad Euangelicam legem, & nouum viuendi modum traducantur. Dum mense Iunio anni 1556. ego & Gaspar Vilella, cum alijs quatuor fratribus in Iapaniam pergimus, flante aduerso vento, periculū fuit, ne in breuia & scopulos incideremus: nec euasissemus, nisi nobis mercator quidam in hoc mari probè versatus, nauē à scopulis, collectis velis, arreptoq; clauo, auertisset. Hic aduerti quanti referat, spē in Domino totā ponere, qui & se inuocantibus adest, & è periculis liberat. Suscepimus hanc profectionē ingenti spe, de Regis Bongani conuersione, tū ob epistolā quam ad Proregē D. Alfonsum scripserat: tū ob ea quæ ad ipsum portabamus, munera. Sed placuit diuinæ bonitati ostendere, nō sufficere ad animarū conuersionem humana præsidia, aut quæ magno cōstiterint, ornamenta, aut legatorū gratiā: sed ad hoc ipsum diuina gratia opus esse, per quā nihil tā immēsum aut difficile, quod non (per ministros tamen quos elegit) cōfici possit: ac tantò citius cōfici, quantò hi magis sese idoneos præstiterint, ac puriores, modò homines ipsi nō resistāt pertinaciter Spiritui sancto. Dū quærimus Bongū, ecce in terrā incidim⁹, vbi principes iā in armis erāt cōtra Regē Bonganum, qui ad nauē nostram appellentes, significārunt, Bongū euersum, existimare quoq; se, Patres Chinchicos interemptos esse, & Regē fugisse: quæ res sanè summopere nos, vt debuit, & omnes qui vna nobiscum erant, contristauit, ac turba-

Rex Bōgānus Proregi Indiæ scribit.

Dei opus conuersio.

Chinchici, id est, cœlitus missi.

turbauit, non tamen perturbauit: spes enim cum charitate operantem non confundit. Pergimus igitur varijs agitati cogitationibus, & inter breuia aduerso vento non sine periculo. Cùm Bongum venissemus, fratres omnes, Dei beneficio, sanos saluosque offendimus: P. Cosmam Torrem, P. Baltazarum Gagum, Ioannem Ferdinandum, Eduardum Siluium, & Ludouicum Almeidam: quos cùm viderem, dici non potest, quantum lætitiæ receperim, rediuiuos enim mihi eos videbar videre, quos fama iam erat interijsse. Ipse quoque Cosmas bonus senex sese temperare à lachrymis non potuit, cùm nos videret, amplexareturq́; Profectò rarum est omnis virtutis exẽplar mortuus planè mundo. Hunc virum secum per Iapaniam abduxit R.P. Franciscus Xauier, abiẽs Amanguci reliquit, vbi octo totos annos moratus carnem nunquam contigit. Esum carnium Iapanes in grauissimis peccatis habent, maximè vbi ciuilitas & politia viget, vt Amanguci, nec solùm abijs abstinuit, ne quem offenderet, sed etiam ob religionem, vt corpus maceraret. Næc pane, quo Iapanes carent, nec pisce recentiore, quòd procul à mari abesset, usus est. Et vt semel dicam, præter piscem salsum herbas, & orizam, more Iapanico decoctam, quæ difficulter digeritur, nihil gustauit: adeoque iam huic victui assueuit, vt si carne vtendum fuisset, propter desuetudinẽ grauius malum incurrisset. Hic Amanguci plurimos ad Christũ conuertit, inter quos nonnulli mysteriorum Dei probè sunt capaces, ijsq́; non parum delectantur. Sustinuit grauissimos labores, & angustias, non sine vitæ summo discrimine, interdum etiam domi lapidibus à Bonzis impetitus est, cõuitijs verò foris & maledicentia & pro-

Cosmæ Torres virtus.

Victus ratio.

Iapanes pane carent.

Perfecutio in Cosmã.

& probris adeò assiduè affectus, vt prodire pergraue fuerit. Ausi sunt autem petulantius Senem hac arrepta ansa lacessere: Cùm hîc ageret Pater Franciscus, quadam proditorum conspiratione vrbis dominus occisus est: à quo tempore nũquam destiterunt succrescere inimicitiæ & bella inter Principes & Primates, adeo vt omnes penè qui inter nobiles & gubernatores erant primi, interierint: cumque nullo tempore ante hos tumultus vlla fuissent dissidia, sparserunt Bonzi (quos Iapanes vt Patres venerantur) nostrum aduentum, legem Dei, quam docebamus, hominumque ad Christi conuersionem, & Baptismata tantam calamitatem, iratis diis Reipublicæ attulisse, ac penè pessum iuisse, vnde persecutiones in Cosmam (cui commodum erat, quod iam esset mundo crucifixus, & ipsi mundus) audacius excitabant. Viuebat ille nihilominus in multa securitate & consolatione, cùm propter Christi gloriam & augmentum Ecclesiæ hæc pateretur, adeò vt dicere soleret, se nunquam suauius vixisse, quàm istis octo annis, quos omni penè ope humana destitutus Amanguci transegit. Oculorum incurrerat debilitatem ex lachrymarum, vt conijcio, profusione, quas consolationum vbertas expresserat. Ad tantam fœlix ille Pater virtutum peruenerit consummationẽ, partim tribulationibus exercitatus, partim deuotione & pietate vegetior ac robustior effectus, vt ipsum iudicauerim cũ priscis illis Ægypti Patribus comparandũ, nisi quòd illi cõtẽplationibus dediti diuinis, Dei beneficia inter se dũtaxat haberẽt cõmunia, Cosmas verò cùm vnicũ secũ haberet fratrẽ, inter hostes Christi, qui ipsum persequebãtur, ageret, niteretúrque in fame, siti, frigoribus magnis,

Rex cæsus

Euangeliũ malorum causa finitur.

Solatiũ & securitas i persecutione.

grauissima denique persecutione mortalium salutem prouehere. Nihilominus dæmon pro perpetuo suo more zizania seminans, quibus frumentum domini suffocaret, tantas tragœdias, dissidiaque tanta inter duos Præfectos Amanguceuses excitauit, vt cùm inter se confligerent, & res conflagrationibus ageretur, & omnes ædes essent pineæ, nullique muri interiecti, flamma penitus absumpserit ciuitatem, quæ Vlyssipone minor non erat: vt etiam Palatia Regalia, & nostrum templum, & ædes, quas R. Senex P. Torres magno labore exstruxerat, vnà cõflagrârint: nec aliud reliquum fuerit, quàm cuiusdam Christiani subterranea domus, in qua sacræ Sacerdotales vestes, & templi ornamenta sunt conseruata. Tanta prætera fuit hominum clades & internecio, vt non fuerit integrũ vlli in extinguẽdo incẽdio occupari. Videtis fratres charissimi, quã opus sit fortitudine & virtute ijs, qui se aptos Euangelio ministros volũt exhibere, quę patiẽtia, quæ spes & longanimitas, quæ in aduersis constantia requiratur. Verè magna est nostra vocatio: quemadmodũ enim subire quęcunq; labore per obedientiã cui nos dedimus ad Christi ministeria iniunctũ oportet: ita diuina maiestas spẽ præbet datũ iri spiritũ, & virtutẽ, qualẽ huiusmodi prouinciæ difficultates & pericula requirũt. Verùm antequã hic multũ fructus in domini horreũ quis colligat, magna prius negocij pars cõficienda est; vt probè virtutũ radices in collegijs nostris, quæ isthic sunt, agãtur. Sed ad propositũ. Magnã in me excitauit admirationẽ cõsideratio tãtæ probationis, tantęq; virtutis, P. Cosmę, & fratris nostri Ioannis Ferdinandis: imprimis vtriusq; patiẽtia hac summa vrbis calamitate e-

Amanguecum totũ conflagratur.

Sacra supellex conseruata.

Clades maxima.

Quibus opus est Euangelizãtibus.

Iactis uirtutum fundamentis in docendum.

niti-

aituit,cū innumerabiliū laborū fructus,iniuriarū, persecutionū,periculorū, famis,quę octo iā annis pertulerāt,quatuor horarū spacio cū hoc incēdio velut perijsse videret. Accēsus ille zelo in dæmoniū,graui commiserationis dolore angebatur in tantā Christianorū afflictionē. Retulit enim mihi hāc cladē cū tāto dolore,tamq; copiosa lachrymarū profusione, vt nō possit maiori, etiā si tot filios amisisset, quot rapuit Christianos illa calamitas. Nec mirū cùm in extremo orbe agēs nō nisi ad solū Deū cuius prouidētiæ,& incōprehēsibili sapientię omnia submittēda erāt,recurrere potuit,nec sibi à lachrymis tēperare animoq; afflictus adeo fuerit, vt illā quodāmodo cū tolerātissimi illius B.Iob afflictionibus conferrē. Nam præter hæc omnia,quotidie mortē quoq; impendentē videre sibi videbatur,tā à Bōzis iuratis hostibus, quàm militibus, qui Bonzorū odio facilè huc poterāt, vel spe quadā prædæ curtę illius supellectilis, quæ ipsi supererat,impelli, neq; enim vllus restitisset.Rex ipse necis timore actus, mortē effugit,Patremq; Cosmā sequi volentē prohibuit:inquiēs meæ ipsius saluti cōsulere non possum,multo minus alium seruare.Cùm præterea quidā Nuchaianus aduersarius eius intellexisset Amāguci casum & euersionē, regnū occupare nisus,in Regē se armauit.Dū in tāta versatur calamitate, Pater Cosmas videns periculi magnitudinem, vtendum esse consilio Euangelico iudicauit:Si vos persecuti fuerint in vna ciuitate, fugite in aliam. Igitur cum Ioanne Fernande, & quatuor Christianis Amāgucēsibus, Bongū se cōtulit quę Amanguco distat 60. leucis, vbi P. Baltazar Gagus, cum fratribus Eduardo Syluio, & Ludouico Almeida agebat,qui eo quindecim

Fuga regis

Nuchaia.

I ij die-

diebus ante me venerant) dicebatur ante annos centum Amangucum ad priſtinum ſplendorem reduci non poſſe: Chriſti verò oues diſperſas reducere,& Eccleſiam ſartam tectam curare,longè difficillimum. Quod etſi vel magnum animum deiicere poterat, eorumq; in fidei negocio conſtantiam labefactare, quibus vnicum in animarum conuerſione ſtudium erat & ſolatium:tamē hoc ipſo vel maiorem animi magnitudinem declararunt,laudemque retulerunt longè cumulatiorem, mea quidem ſententia, quod hac in re diuinæ lubenter acquieuerunt voluntati. Ac tantum abeſt,vt deiecti conſternatiq; ſint, vt etiam audentius,maiori cum deſiderio ſeſe contra antiqui ſerpentis caput armandos exiſtiment: Incidit hæc calamitas duobus ante noſtrum aduentum menſibus.

Cùm iam P. Coſmas Bongum veniſſet, ecce nouam tempeſtatem, nouas turbas. Rex Bonganus bellum mouit in Principes ſui regni ob proditionem, quam eos machinatos fuiſſe ſuſpicabatur. Conflictum ineunt,ſeptem vtrinque cadūt hominum millia : inter eos tredecim ex præcipuis perduellibus principibus: eorū & clientum ædes incēdit. Mors principum cauſa fuit, vt Rex ſe ad montem 7. miliaribus Bongò diſtantē receperit, vbi etiam modò agit. Ciuitas nihilominus commota manet,& aſſiduò in armis eſt, ipſique Chriſtiani ſatis turbati:omnia deniq; eò redacta, vt non ſolùm noſtris ſimplicitas columbina non ſit ſatis,ſed etiam prudētia ſerpentina aſſumenda. Certè in tanta rerum perturbatione tota nocte quęrere latebras cum Chriſtianis cogebantur. Sed nec in tot anguſtijs impotentiores redditos, ſed potius è calamitate diuinis conſo-

lationi-

lationibus recreatos offendi. Quid enim nō potest Dei charitas? Siquidē ea omnem à creaturis amorem abstraxerāt, imò & à seipsis, vt quālibet ingens periculi metus de vera obedientia, paupertate, & tanta vitæ puritate, quāta sperare non possim, nihil diminuere potuerit. Dum itaque ad meipsum animū conuerterem, cogitabam tacitus, quantū inter me & illos, quàm nihil absolutum in me: In illis quātus vitę propriæ contemptus, quanta perfectio, quāta laborū tolerātia, in aduersis, & laboribus quāta consolatio, quanta deuotio denique & pietas, quam, plerique proch dolor, prima quaque aduersitate nō rarò solent amittere. Hæc sanè dum animo voluerē non mediocriter, me vitę actionumque mearū puduit. Iam vt ipsorum omittam virtutes, ex quibus tū tēporis consolationū suarum fructū abundè perceperūt, si quis nouitiorū Christianorū gustū aliquem ex sacra doctrina capiebat, id in cōmunem consolationē redundabat. Christiani Bōgani plerique pauperes sunt, & in iis multi necessitate potissimum morborū cōpulsi ad Patres, propter charitatē, beneficiaque quæ ab ipsis expectabant, cōfugerunt: cùm sanitati restituūtur, mēti quoque sua salus per Christi doctrinā cōferebatur, dū errores & pericula peccatorū nostri explicarēt, dū ad Christianam veritatē adhortarētur. Ipsi verò cū se per baptismū sanitatē corporis nactos viderent, parētes, filios, & amicos adducebāt, plurimique his rebus excitati sacris vndis abluebātur. Itaque Bōgi & in vicinis locis magnus est iā Christianorū numerus, qui nullā Dominicā prætermittūt, qua non missæ sacro & concionibus Ioannis Fernādis. & Eduardi Sylui (qui iā vtcūque Iapanicā tenēt linguā) intersint. Cōuertit Dominus pauperes & ægrotos, Bōzos

Pauperes ad Euangelium expeditiores.

Sanitates operatur baptismus.

Bongi magnus Christianorum numerus.

superbos & prefectos reliquit; quibus in opibus fluxaque rerum fœlicitate spes omnis est & salus: reliquit & sapientes, qui sibi mirè ob scientiam licet vanam, placere solent, quòd ingenio, iudicioque magis pollent: qui sanè si conuerterentur, maiorem solidioremque fructum suę patriæ adferrent. Christiani Amangucenses ex primarijs sunt, & honoratis, boni iudicij, nec spei in posterum minoris: in vnum locum colligi rursum, & vt consueuerant ante turbatam ciuitatem, ad templum congregari possent. Sanè si rem attentius consideremus, fructum in Iapania magnum esse, negari non potest, argumentum proculdubiò manifestum Dei clementiæ, qua potentes resistitur astutissimis dæmonis machinationibus, præsertim peccatis venereis, quibus vt fœdissimè Bonzi inuoluuntur, ita ne authoritatem suam amittant, alijs etiam scelera probant, nec esse peccata suadent. Quæ opinio adeo antè insedit omnium animis, vt si nitaris euellere, saniusque aliquid proponere, scommatibus excipiaris. Nunquam credidissem inueniri homines adeo excæcatos, vt ratione naturali tātopere destituerentur. Cùm enim nuper ad monasterium quoddam Bonzorum me contulissem, eosque statim vndique accurrentes, etiā pueris præsentibus, de vitijs eos reprehenderem nefandissimis, adeò nihil effeci, vt etiam risibus & scommatibus elusus abierim, tam longa peccatorū assuefactione obduruère, eoque fit, vt magnum Euangelio impedimentum obijciant. Similiter proprium iudicium quo sibi mirè placēt & confidūt, & bellici tumultus & gloria militaris, quę multos militię inuoluit, cùm Euangeliū quietē & pacē, vt lōgè lateq; diuulgetur, maximè requi-

Amangucēses Christiani uiri honorati.

requira-:tametsi & honor quo multū ducuntur, boni alicuius occasionē præbere soleat ijs,qui fidē amplecti volūt,cùm ad constantiā plurimum addat. Impedimento etiā est,quòd Reges isti tyrannos agāt,nec ipsis obtēperet populus,nec tribunal aliquod,aut iuris dicēdi ratio seruetur,quò fit vt alter alteri⁹ liberè furetur bona:& læsi verò pro arbitrio sese,si possunt,vindicēt, si nō possunt, patiūtur, & armāt se patiētia,aut potius necessitate. Quāobrē in ciuitate parū tuta sunt oīa & quacunq; de causa tumultus indies exoriūtur. Contra hæc tamē oīa mala, præualet preciosus Christi sanguis,q in prædestinatorū operatur animos ęternā salutē,cū indies etiā plures ad Christū cōuertātur. Patres hūc in ijs instruēdis modū obseruāt:primū errores & fraudes sectarū Iapanēsium,in quib⁹ enutriti sunt,& dęmonū technas detegūt. Cū hęc probè intelligūt,esse vnū verū Deū probāt,& animæ immortalitatē,deī mysteriū incarnationis exponūt,& q̄ fuerit hominū saluti necessariū:reliquaq; deinceps omnia Oeconomiæ Christi,fideiq; mysteria,etiam SS. Trinitatis. Vbi iā hæc omnia credūt,sacro baptismatis fonti admouētur:dein multā adhibēt curā, vt cōseruētur cùm alijs rebus,tū cōcionibus, quæ singulis Dominicis idiomate Iapanico habētur:curāt etiam vt sacro intersint Missę sacrificio:iā etiā vt cōfessionis frequentent sacramētum:Benedictus Deus qui omnis boni author est. P. Baltazar Gagus Firandū abijt cū Eduardo Syluio, & quodā alio Christiano Bongano singulari addiscendarū linguarum dono prędito,vt concionentur ad Firandinos Christianos quorū cēturinę aliquot iā numerantur,ac qui centenarios iam aliquot excesserunt, tēpla exstruant. Multū P. Balt. ab ipsis,atq;

Iapanum Reges tyranni.

Desunt Tribunalia.

Ratio cōuertendi gentiles.

Rex Firandi ad Christum propẽdet.

adeo Rege ipso desiderabatur, qui etiam Christi doctrinam sese promiserat amplexurum: spero ipsum Christi horreo non paucos manipulos allaturum.

P. Cosmas Torres, & F. Ioannes Fernandes, vir rarus,& singulari dono concionandi,Iapanica præsertim lingua,præditus, Bongi degunt. Quos mecum adduxi,modò in lingua Iapanica sese exercent, sine cuius cognitione parum præstare possunt.Gaspar Vilella & alij noui, adeò in hoc laborârunt,vt ante decessum meum plurimum profecerint: spero Deum,qua solet vti in suos clementia, regno huic salutem breui daturum.Simulatque Bongum venimus, Regi nos insinuauimus: ab hoc enim omnia tanquam à capite pẽdent.Præter munuscula quæ attulimus conatus sum & fidem nostrã persuadere:verùm cùm iã se receperit ad illum mõtem, & peccatis quibus intricatus est,intelligat nuncium esse remittendum:& si Christianus fiat, vitæ discrimẽ se incursurum maius(hinc enim hostes cædis occasionem quęrerent : cùm maior pars dæmonũ agitetur instinctibus, & alij per omnia ferè sint Epicuræis similes)parũ meis adhortationibus effecit.Det Deus illi lumẽ, si enim cõuersus esset, nihil nõ ausim mihi polliceri.Eadem de re cum Primatibus egi, ij se quoq; excusârunt dicentes Christũ sese amplexuros, simulatq; Rex amplecteretur: verũ quantò maiorẽ spẽ de horũ cõuersione conceperamus, tantò visus est dæmon impedimenta maiora obijcere. Multum laborauimus apud Regem,& quidem astantibus primoribus,vt ad se Bonzos aliquod, qui sapientiores, doctioresq; haberentur,euocaret,eosq; & nos audiret de rebus diuinis differentes, vt ipsis de suo facilè

Fratres Bõgani.

Cur Rex Bongi non amplectitur fidẽ.

Secta Epicureorũ similis in Iapania.

Magnatum exultatio.

facilè errore,in quo iam inde à tot seculis versantur,& Christiana veritate liquidiꝰ cõstaret. Quod quamuis ille se facturum promisit, nulla tamen diligentia, aut studio efficere potuimus,vt re ipsa præstaret. Sunt enim Bonzi hic totius vrbis primarij domini,quorum consilio Rex agit omnia,adeoque nobis infensi, quòd errores, nequitiam,& mendacia ipsorum detegimus apud populum,vt in hos omnes vires & præsidia contra Euangelium dæmon videatur contulisse:nisi potius dicendum sit eos ipso dæmone peiores id facere,vt dæmon his tanquam præsidiariis vtatur. Istos cùm viueret P. Franciscus, omnium aduersariorum, quos hic vnquam habuit, maximos est expertus:passus est enim in hac regione grauissima,non solùm ab his, verùm etiam à pueris qui ipsum frequenter irriserunt, iniuriis affecerunt,lapidibusque impetiuerunt: verùm quantò grauiora fortis & constans Dei seruus perferebat,tãtò maiore gaudio,& spirituali lætitia,quòd Christi nomine pateretur,efficiebatur. Vitam agebat planè Apostolicam,comedebat more Iapanum,quod homini Hispano,aut in Europa nato,erat potius affligi,quàm refici:radicibus enim vescebatur,in magnis frigoribus, vna vili veste, siue leuidensa indutus erat, magna pedes conficiebat itinera: sæpè etiam vt latronum euitaret manus,nobiles equites Iapanẽses sequebatur velut pedissequus. Tanazuma Meacum abiit, & passim in via concionabatur,tam in Bonzorum, quàm nobilium ædibus.Adeo vir iste seuerè taxabat vitia,& maximè idolorũ cultum, vt ipsius interpres Ioannes Fernandes sæpè tremeret tantam veritus dicendi libertatem,qua apud quemlibet,etiam primates, virosque nobiles vtebatur,

Bonzi potentes.

Xauieri labores.

&

& liberè eos neglectæ, contemptæq; religionis notans, inter cætera dixi: si non attentius euangelicas cōciones audirent, quàm suorum Bonzorum, nunquam eos veritatis lumē aspecturos: Videbatur(inquit Fernandes) mortem quærere, propter fidem & Christi honorem. Sanè præ se ferebat, magnum præsentis vitæ contemptum. Quodā tempore tanto zelo reprehendit Amanguci Regem ob nefanda quædam peccata, vt periculum mortis vix euaserit: tantùm denique effecit apud Iapanes, vt etiam modò sanctus habeatur. Ego cùm vellem meam tepiditatem huius Beati feruore nonnihil accendere, ac regionis notitiam comparare, ipsius secut⁹ exemplum, cum Ioanne Ferdinando in interiora regionis Ianię concessi, & multum cœpi consolari, videns tam multos ad Christum venire: verùm indignus tanto beneficio, fortè Deo nolente meo vti ministerio, in morbum incidi, ex malorum esu ciborum, & lecti incommodis, storea enim lectus erat, lignum ceruical, cibus oriza sine condimento, adeoque auctus est morbus, vt iumento fuerit opus ad reuertendum Bongū, vbi tribus mensibus continua laboraui febri, adeoque inualuit, vt vitæ spem propè omnem abiicerem, quam tamen Deus sua benignitate concessit. Videns me parum vtilitatis fidei negociis hìc adferre posse, & officij rationē, me ad Indiā reuocare, necesse putaui, tametsi languerem, nauē cōscēdere: statimque inter Iapaniam & Sinam in tantam incidimus tempestatem, quantā nec vidi vnquam, nec me visurum aliàs existimo. Quinque diebus continuis ferebamur veluti perditi, tamque frequentes & continuæ audiebantur voces Deū appellantes, vt quamuis in tantis versarer periculis, conso-

consolationi mihi esset, videre, Deum huiusmodi rationibus vti ad nominis sui inuocationem, & gloriam, necnon ad vitæ correctionem, homines vel hac ratione cogere. Benedictus Deus, qui momento temporis homines ad se inuocandum excitat, partimque afflictionibus, partim consolationibus ad sibi seruiendum prouocat.

In itinere intellexi aduentare Dominum Patrem Consaluum, & Franciscum Rodericum, qui obiturus erat prouinciam, vnaque cum iis alios, qui iam tum præcesserant, quæ velim me in Iapania audiuisse, gratissimum enim mihi fuisset in Indiam non reuerti. Vtilis tamen fuit reditus, non solum vt mutuo frueremur conspectu, verùm etiam vt de me prout in Domino expediret, constitueretur: tum etiam vt de rebus Sinensibus & Iapanensibus à me edoceretur, saltem de iis locis in quibus egeram, & fructu qui sperari poterat, & quo modo Euangelij doctrina ibi diuulgari posset. Visum itaque est S. obedientiæ, vt Cocinum concederem, vbi modò totus sum in concionibus & confessionibus audiendis, aliisque muniis, quæ Societas ad proximi salutē adhibere consueuit. Det Deus mihi gratiam, vt totum me meæ aliorumque salu- ti sollicitè impendā, ita vt dum illi seruierim pro sua voluntate vnà cum aliis pertingam ad illam æternā & beatam ipsius gloriam. *Frācifcus præpositus prouincialis Indiæ.*

Cocini 8. Ianuarij Anno 1558.

Seruus indignus in Christo Iesu.

Melchior Nunezius.

EX

EX EPISTOLA P. ANTHONIJ Quadri ad fratres Conimbricenses. Anno 1559.

ANnus est, à quo nihil è Iapania redditum est literarum, nec mirum in tanta locorũ distantia, & nauigationum periculis ob quæ & tardius nauigari solet, nec nisi aliqua vrgẽte necessitate. Interea inuidia sancta, & æmulatione pia laboramus erga fratres nostros, tot, tantósque labores, & continuis molestiis, qui in Christi colenda vinea non minori tamen laborum suorum solatio, experiuntur. Atque hoc quidem non dubito, quin sit maximum, si Deum suis non deesse credimus, cùm omni propè humana ope destituuntur, qui portus & refugium seruorũ suorum, & vera voluptas esse solet eorum præsertim, quos dignos habuit, vt vineam excolerent, tantoperè à B. illo Patre nostro Francisco felicis memorię dilectam, propter quam etiam tantos tulit labores, non vanos quidem, cùm adhuc viuus tã insignes retulerit fructus, tantumque effecerit, vt filiis suis (qui paulò pòst ipsi in hanc prouinciam successimus) via non solum ad eam conseruandam, verùm etiam Dei auxilio, atque ipsius intercessionibus, donec ad summum excreuerit, amplificandam, patefecta sit. Goæ.

Vtinam hac inuidia laborent multi.

P. Xauier in Iapaniã Euangelio uiam aperuit.

EX LITERIS P. BALTHAZARIS Diazij ad Prouincialem Indiæ. 3. Decemb. Anno 1559.

Signifi-

Ignificatum mihi est, Cantaoni, quæ est celebris Sinarum vrbs,amplius 600. Mahumetanorum in Idololatriam Gentis consensisse, eosque in remigiis mancipari qui in Mahumetismum relabuntur. Malaccæ. *Mauri fiūt Idololatræ.*

EX EPISTOLA LVDOVICI *Froisij, 6. Idus Decemb. scripta. Anno 1560.*

IN Iapania P. Balthazar Gagus non semel imminentem iugulo gladium expertus est, aliquot dies vnà cùm fratre Guilielmo nudus multa tolerans, grauiores etiam pro Christo iniurias perpetias transegit. Sed Christiani postmodum Guilielmum redemerũt: Gagus verò nõ sine maximo vitæ periculo euasit:ad quem retrahendum satellites suos dæmon furore,rabiéque correptus,propter tot animarum couersione & vberrimos Euangelij fructus Firãdi collectos,incitauit,quo in loco ad duos mẽses Gaspar Vilella commoratus 300. Dei gratia effecit Christianos, ac tria Idolorũ fana in Dei veri templa conuertit.Nunc verò Meacum profectus est,in maximam spem erectus,vt quàm plurimos Christo lucrifaciat. Frater noster Gonsalus Ferdinãdes, qui ex Iapania hoc anno ad nos venit,inter alia quæ ad diuinum honorem spectãt, quæ subiiciam,accidisse narrauit. Videntes Bonzi tantam gentilium conuersionem excitato tumultu nostros expulerũt. Christiani igitur tẽplo *Baltazaris Gagi captiuitas & pericula.* 300. *Baptizati.*

ſacerdote & inſtructore, qui Chriſtianam doctrinam explicaret deſtituti, pro recepta conſuetudine diebus ſingulis mane & circa veſperam ad crucem in monte longè à ciuitate poſitam accedunt, ibi fuſis ad Deum precibus negocia ſua ac ſalutem ei commẽdantes. Tum Ethnico cuidam fuit Chriſtiana mulier ſerua, quæ vna cum aliis ad Crucem venerandam proficiſcebatur, cui Dominus, ne eò pergeret, non ſolùm prohibuit, verumetiam denuo ad Ethnicam perfidiam minis (ſi quid potuiſſent) impellere ſummoperè ſtuduit. Verùm illa conſtanter heri malitiæ reſtitit, dicens non ideo legem Domini noſtri Ieſu Chriſti à ſe ſuſceptam, vt eam protinus dimitteret, ac vacua omni numine idola rurſum veneraretur: à minis tamen improbus, ne ad ſacræ Crucis locum iret, non deſtitit. Cæterùm beatum mancipium cùm verba quantumuis minaciſſima parui facienda eſſe exiſtimaret, vt primum per tempus licuit, Chriſtianis reliquis ſe adiungens, conſuetum adorandi, & orandi modum ac tempus ſeruauit: reſciuit Ethnicus, mox furibundus redeunti occurrit, ſtrictóq; enſe mulierem aggreſſus, caput à ceruicibus auulſit. Illa verò conſtantiſſimo animo, & à tyranno mortem ſuſcepit, & in Angelorum ſocietatem, regnúmque cœlorum parto triumpho (vt confidimus) conſcendit.

Goæ 6. Idib. Septemb.
Anno 1560.

EXEMPLVM LITERARVM P. *Gaſparis Vilela ex Iapania.*

Pax Chriſti Domini noſtri corda noſtra ſemper inhabitet. Amen.

ANNO 1558. pro iniuncto mihi à ſuperioribus munere, fuſiſſimè de rebus Iapanenſibus, vos chariſſimi fratres, certiores feci, præcipuè tamen de Firandicis. Firandi ad annum cõmoratus ſum, tamq; proſperè res noſtræ procedebant, fœlicitante Domino, vt duorũ menſium ſpacio, mille trecenti Ethnicam impietatem deſerẽtes, Chri- *1300. Ethnici duorũ menſiũ ſpacio cõuerſi.*
ſtianam veritatem ſequerentur: tréſq; ſacras ędes extrueremus iis in locis, quibus antea fuerãt Idolorum templa. Dum res incrementum ſumit, dęmon, cui omne bonum ſummoperè diſplicet per vicarios ſuos Bõzos, me inde eiecit, cum magno omnium Chriſtianorũ dolore & gemitu. Prius tamen ſacræ Crucis Imagines confregerunt, aliáq; *Cruces deturbant Bonzi.*
plurima commiſerunt flagitia in Dei Domini noſtri contumeliam. Deus autem qui non vltionum Deus eſt, ſed Pater miſericordiarum, in cœlo formatas cruces illis videndas obiecit, atq; alia manifeſtiſſima diuinæ maieſtatis ſigna, vt omni pertinacia abiecta, cõuerti debuerint ad Domi- *Crucis ſignum in cœlo.*
num. Verùm inſtar noctuæ lucentẽ fidẽ noſtram non valẽtes intueri, nullũ alium fructũ inde perceperũt, q̃ vt grauiore cœcitati obtenebrati, grauius, dũ Chriſtianos omni ſtudio à ſuſcepta religione nituntur auocare, laborarent. Ille tamen qui huc nos vocauit (quia potens eſt) vires ad reſiſtendum, veſtris precibus ſuppeditabit, quibus tam illos, quàm nos in finem vſque perſeueraturos confidimus. Paucis modò quæ ſignificare decre-

decreui,complectar,cùm sim in profectione, adeoque vigear,vt literas vestras quæ biduum tãtum absunt,opperiri nequeam, quas tamen perlegere desidero vehementissimè,quòd & animũ addant nobis in aduersis,& spem maioris in posterum fructus faciant,cum videamus Deum per suos seruos variis in locis ac mundi regionibus idem efficere.

Nos cùm multi iam anni sint,ex quo in Iapania deuenimus,necdum Regiam ciuitatem audiuimus,aut illius cognitionem habemus, quæ & doctrina celebrior est, & sectarum omnium origo. Itaque quæ ibi sunt conabimur intelligere, si fortè Dominus pro immensa misericordia portam in istas regiones aperire dignetur, quæ quidem trecentis leucis siue mari,siue terra,hinc absunt:fusis precibus cecidit sors,non super Matthiam virtutibus plenum,sed super me miserum peccatorem,ad tantum, tamque impar humeris meis obeundum munus ineptissimum. Verùm quandoquidem sic Domino,S.Obedientia interprete,visum est submitto caput corpus illi, animamque offero,& proferendos terra marique labores libenter in me recipio, vniuersam in Deo, & charissimorũ meorũ fratrũ precibus ponens fiduciam. Quòd si antehac effusis lachrymis, crebrisque suspiriis Domini misericordiam implorastis,iam multò magis oportet. Regnum enim quod peto,caput est insulæ,quo si legem Creatoris & seruatoris nostri IESV quisquam introduxerit,Europa relinquẽda erit,& ad hanc insulã veniendum, vt in tota Iapania lex Euangelica prædicetur, ac diuinæ lucis claritas radios suos diffundens,abundè Ethnicas mentes errorũ tenebris obductas charitatis vestræ opera illuminet,

illiq;

illique caligine pulsa, lucentẽ veritatem aspiciant. Itineris nostri comes est Laurentius Iapanensis, frater noster, quo Interprete in disputationibus vtendũ erit, aliisq; in rebus ad Dei domini nostri seruitium spectantibus: quamuis enim Iapanensem linguam vtcunque teneam, melius tamen ille, cui vernacula est. Sacerdotis habitu non vtar, sed tenuioris fortunæ hominem salutis meę studiosum esse me fingam, & doctis bonisq; quibusdã Patribus cohabitare, quòd si audire velint, me ea docere paratum esse, quæcunque ab illis didicerim. Cuperem quàm possem maxima humilitate, & animi submissione, si Deus velit, cũ illis agere, quam ad rem mihi vestræ preces vtilissimæ, maximęque necessariæ sunt, cum me ab eo qui esse deberẽ, quàm longissimè abesse sentiam. Qua ratione igitur talem me exhibebo, qualem negotium exigit? quamobrem per dulcissimum Iesum vos omnes oro, vt vestris precibus opem misero ad sufficientem virtutem consequendam impetretis, quam mihi, si diligenter dominum precati fueritis, concessum iri planè confido. Amen.

Primum ex S. Obedientiæ iussu mihi frequentior Bonzorum cœtus adeundus est, qui locum Fianoiama, hoc est, montem igneum nuncupatum, incolunt. Ciuitas populosissima est, & studijs clara, vtpote academia, atque vel ipsa, quam in Europa haberis, Lutetia celebrior. Cogitatè obsecro charissimi, quid inter tot lupos, & dæmonum ministros facturus miser sim, quantisq; me virtutibus prędítum esse oporteat. Ibi horrenda peccata, qualia vix cogitari possunt, videas, ibi flagitia, nec in eo loco tantum, sed in vniuerso etiam quam peto vrbe Meaco. Instate igitur pie- *Fianoiama*

m cibus,

cibus,& me quàm diligentiſſimè Deo commen date.Spero namque ſanctæ obedientiæ virtutẽ dæmonem,qualis eſt.ab omnibus cognitum iri, & Dei lege recepta multos nomen domini confeſſuros:quòd ſi mihi ipſi non defuero,virtute obediẽtiæ in Deo meo trãſgrediar murũ, & cadẽt à dextris noſtris decem millia, & à latere noſtro millia milliũ. Ille enim Deus qui omnia poteſt, auxiliabitur,& nos veſtris precib⁹ tãti operis miniſtros efficiet.Non dubito quin aliquis veſtrum ſi adeſſet, tantæ vocationi melius reſponderet: quòd verò ipſe proficiſcar, Patris Coſmæ Torris inclinata iam ætas, & P.Baltazaris Gagi aduerſa veletudo in cauſa ſunt, ſpero vos anno proximo literas noſtras hinc accepturos cum celebri gratiarum actione, quibus intellecturi eſtis, quantis Deus Dominus noſter has regiones beneficiis cumularit, modò ex infinita ſua miſericordia ſanctiſſimæ eius voluntati perfectè reſpondeam. Plura non addò, quod ſperem R. P. Torrem, latius omnia perſcripturum. Vos fratres chariſſimi pari modo aliquam nobis veſtris literis conſolationem afferte, eò enim proficiſcor, vbi forſitan nullum noſtræ.Societatis poſt hac viſurus ſum.Hoc tamen me conſolatur, quòd S.Obedientiæ voluntate,tantum iter, tamque arduum negocium aggrediar: faxit Deus, vt in ſui ampliſſimi nominis ampliorem honorem cedat.
Oro Patres chariſſimos, qui hanc meam viſuri epiſtolam ſunt, vt ter amore Dei de Spiritu ſancto rem diuinam faciant,quo natio hæc Iaponica fidem amplexetur,pariterque rogent,vt Chriſti bonus odor ſimus:Fratres verò,quinquies ſeptem pſalmos recitent,quia nunc certè, ſi quando alias,orationes maximè requiro. Sanctam

verò,

verò obedientiam precor ; noſtræ poſtulationi tantum concedat hac in re, vt ipſa veluti Deo acceptior, impetrare humilitatis & patiētiæ virtutem mihi ſummoperè neceſſarium velit. Dominus dextra ſua protegat nos, gratiámque largiatur, qua ſanctam ipſius voluntatem adimpleamus.

Bongi Calend. Septemb. 1559.

Inutiliſſ. Seruus omnium

Gaſpar Vilella.

EXEMPLVM EPISTOLÆ P. *Baltazaris Gagi, ex Iapania.* *Anno* 1559.

Gratia & amor Ieſu Chriſti Domini noſtri corda noſtra ſemper inhabitet.

AMEN.

Eptembris initio anni 1559. veſtras literas tardius propter bella accepimus, quæ nos maximè recrearunt, quod ex iis benè conſtituta viuendi rationem & progreſſum Societatis noſtræ, quam diuina bonitas excitauit & conſeruat intelleximus, & eo maximè P. Ignatium ex hac vita miſera in beatā gloriam commigraſſe, vnde auxilium ſuis maius adferre poterit. Quāuis autē è Luſitania literas non habuimus, Indicæ inſtar omnium fuerunt, tantáq; nos in Domino lætitia perfuderūt, vt lachrymas gaudium excuteret, cū mirabilia Dei opera cognoſceremus, det ille non proſpera ſolū, verū etiā aduerſa forti aīo tolerare

Mors R. P. Ignatij Societatis Ieſu fundator.

vt vocationi nostræ non desimus, nec tantis, tamque eximiis Dei in nos beneficiis ingrati videamur. Nullus fuit nostrum qui à P. Melchiore & Francisco Roderico literas non acceperit. Malaccenses præterea, quique Malucum incolunt fratres, suis nos epistolis exhilarauerunt, addentes, quãtum P. Balthazar Diaz fructum attulisset.

Anno 1558. omnes ad vos literas dedimus, iisque copiosam satis diuinarum laudum materiam suppeditatam arbitramur: Res aliquantulum dissimiliores nũc audietis, nec minus tamen cum nostræ professionis instituto coniunctas.

Ecclesia quæ est Bongi.

Igitur vt à Bongi Ecclesia, in qua nunc omnes degimus, exordiũm sumam: in Collegio nouem de Societate versantur, cum nonnullis adolescentibus Iapanensibus, qui & nos iuuant, & Xenodochiis inseruiunt. Hunc rerum domesticarum seruamus ordinem. Vna ante lucem hora, aut circiter, signum ad meditationem datur, in qua ad primum vsque sacrum exercemur, peracto sacro, ad opus quisq; accingitur, alij ad Xenodochium, alij ad patrium sermonem ediscendum &c. Ante prandium rursus ad actorum discussionem in sacellum conuocantur. Inter prandendum, vel cœnandum, Iapanicè aliquis concionatur. A prandio collocutiones de rebus spiritualib⁹ instituuntur, & aliquid adfertur in medium, de quo tanquam themate, quisque quid in Domino sentiat, reliquis auscultantibus aperit: obiter aliquid etiã ex regulis legitur: Ingens omnium studium est & charitas. Dein ad opus iterum sese conferunt donec signo dato, ad cœnam vocẽtur. Post vnam à cœna horam in sacellum conueniunt, & litaniis dictis, aliquis se flagellis cedit. Posthæc conscientiæ discussio sequitur, multoq; cũ fructu, &

Oratio uitæ.

Iapanensium ædificationē hęc omnia geruntur. Ea omnium eſt diligentia, vt ne vel momētum temporis ſine fructu prætermittatur: exacte omnes obediūt, vltrò pœnam ſi fortè male curatum munus putant, poſtulantes. Dominicis diebus ad Catechumenos, & alios concionantur, quorū primus Ioānes Fernādes, qui ſummo mane duo vel tria ex Euāgelio rerum capita deſumēs, explicat, & colloquiū de rebus à Christo factis, māgno ſanè cōcurſu & fructu inſtituit: à duob[9] enim & tribus leucis homines conueniunt, remotiores vero pridie ſe itineri accingunt, & ad Xenodochiū ſe recipiūt, nec dies eſt, quin multi adſint, Dominicis tamē diebus domum & templum replent: feſtis vero ſolennioribus tanta eſt multitudo, vt multi foris coguntur manere. Abſoluto ſacro, clara voce doctrina Christiana pronunciatur. Interdum etiam frater noſter Laurentius, & Donatus ſermones faciūt ad populum: reliqui dum cibus ſumitur, domi viciſſim concionantur.

Fratres noſtri ſingulis Dominicis diebus Sacramentum Euchariſtiæ percipiunt: Iapanenſes verò alij ſingulis diebus ſabbati, alij ſingulis mēſibus confitentur. Solennibus vero feſtis Sacramenti corporis Christi plurimi participes fiunt, quorum religio & pietas magnæ eſt admirationi. Dum enim confeſſionem patrio ſermone recitant, ſoluūtur in lachrymas, ac tū multò vberiores fundūt, cum venitur ad illa verba: Domine non ſum dignus &c. quæ Iapanica etiam lingua ab illis proferūtur. Nō mediocri nos horū ardor animi pudore afficit, cùm videmus biennes hos Chriſtianos tanta pietate feruère, hinc verè magnam deplorandi veterum Chriſtianorum tepiditatem occaſionem habemus.

Flagellationes. Feria quinta in cœna Domini supplicatio instituta est eorum, qui se à templo in Xenodochium vsque continenter flagellis cederent, quod magna religione & zelo perficerunt, támque vbertim illorum scapulis cruor adhæsit; vt defricatis, dum lauarentur, vulneribus, non minore dolore quàm dum se cæderent, afficerentur: tantóque ardore ad hoc perficiendum sese parârunt, vt nihil desideres. Singulis diebus Mercurij ac Veneris quadragesimæ, domi nostræ sub vesperum de aliquo passionis mysterio, sermo habetur. Sub finem effigies exhibetur Crucifixi, postmodum qui concioni intersunt, in templi loco seclu so, seiunctóque ab alijs, terga dum psalmus Miserere recitatur, magno ardore, multisque cum lachrymis flagellis cædunt. In maximam nos hi Christiani spem exigunt, dum quanta possunt in illorum animis Sacramenta, manifestissimè cernimus, múltaque futuræ salutis indicia, vt omittam pueros qui morientes ad cœlum rectà tendunt. Benedictus sit Iesus Rex gloriæ, qui suaue iugum suum horum ceruicibus imponit, crudelissima illa dæmonis excussa tyrannide.

Hoc anno post sanctum Paschatis diem P. Gaspar Vilella, fratrem nostrum Laurentium itineris sibi comitem adiungens, in montibus habitantes interuisit, & illorum confessiones audiuit, quibus per ætatem, vel graues occupationes huc venire non licuit, & obiter aliquot Christianos effecit. Circum Bongensem ciuitatem quinque aut sex oppida sunt, in quibus magnus versatur Christianorū numerus; nonnullos qui ad Ecclesiam venire nequeūt, inuisimus, & aliquoties per annum ad illos fit concio. Si quando verò mori contingat aliquem, aut alicuius rei penu

ria laborare, illi quantum possumus, opitulamur. Superiore quadragesima nouē leucis ab hac ciuitate, fructū haud exiguū collegim⁹, vbi in principis viri domo aram habebamus, quotidie sacrū peragebatur, & vesperi concione habita litaniæ recitabantur flagris adhibitis, qui mos singulis diebus Veneris in hanc vsque diem retinetur.

Lodouicus noster hominem à viginti iam annis decumbentem sanitati pristinæ restituit, quæ res Christianos non mediocriter erexit, ac in fide confirmauit, sit Deo laus. Præfectus illius oppidi nobis amicissimus est, & ad diuina percipienda aptissimus, quem sui multum reuerentur.

Bōgiani Christiani in more positū habent, dominicis diebus nunc in vnā domum, nunc in alteram, prout fortè cōtigerit, cōuenire, vt de rebus spiritualibus inter se colloquantur, vbi cōgregati sunt, è domo nostra fratrē euocant, qui cōcionem illius diei illis in memoriā reuocet. Quia verò hic receptū est, vt cōuenientes ientaculū sumant, offertur vnicuiq; patina Misonsul, hoc est, orizæ & herbarum pistarū, aromatib⁹ harū regionum, cicera scilicet & sale conditarū, qui cibus in his regionibus lautissimus est: Prius ex illius diei Euangelio frater ille noster aliquid proponit, vt, dum comedunt, de illo cogitent. Absoluto ientaculo vnusquisque quid Domino dante fructus perceperit, explicat, quo perfecto, eleemosina colligitur ad curandū pauperum funera, quod etiam Amāguci obseruatur. Bongi templum construximus, & hospitium, iis quorū salus desperata est. E regione huius hoc anno 1559. aliud extructum est, in eorum gratiam qui variis morborum generibus obnoxij sunt, in cuius medio, ara: in qua primum sacrum celebratum magna omnium

m iiij Chri-

Miracula Jebusitica

Christianorum lætitia fuit,& concio habita, epulum etiam Christianis omnibus exhibitum, cubiculum præterea ibidem instruximus,in quo ægrotorum medicus commorabitur.Hoc Nosocomium concio perpetua est, quam magnũ quoq; Meacũ audit,in quo totius Insulæ dominus versatur,audiuit preterea Sacai,Venetiis similis vrbs & Bandou Academia,nec nõ Fianzima Bonzoiũ omniũ præfectus incolit,à Vere enim in hoc vsq; tempus plures quàm ducenti ab omni ægritudine liberati sunt.Omnibus patet aditus, concurrunt homines vndique omni præsidio destituti, fauentéque Deo,vlcera inueterata,fistulæ, & alia quibus medicamenta alibi non profuerũt,curantur,qua in re noster Ludouicus singulare à Deo accepit donum. Huic operi Iapanenses detrahere nequeunt,quin potius mitescunt, cũm vident corpori & animæ remedium exhiberi. Quo tempore ægros visimus, atque medemur; confluunt multi,alij adiuuant,alij fidem suscipiunt, ita vt singulis hebdomadibus aliqui baptizentur.

Sacai Venetiis similis.

Bandou Academia.

Fianzi.

Donũ curationum.

Nosocomij sumptus Christiani & mercatores Lusitani eleemosinis suppeditant, Rex præterea in annuos census trecentos aureos dedit, qui si pacem ciuitas habuerit,perpetui erunt. Præterea Fratres (quos vocamus) Misericordiæ,quibus visendorum ægrotorum cura incumbit, & si qua re forte indigeant,eleemosinas etiam quærunt.

Ex magno ad nos Meaco Iapanensis quidam venit,qui dum viueret(mortuus est autem fœlicissime)magnis se pœnis,& quas vocamus,mortificationibus affligebat,is quasdam nos medicamentorum compositiones è Chinensium erutas voluminibus conficere docuit faciles, sed efficaces,præcipuè in Tertianis & Quartanis febribus,

Mors Pauli Iaponis.

quibus

quibus Guilielmus Pereia cum aliis ægrotis valetudinem recuperauit.

Anus quædam sexagenaria maiorem Iaponiæ partes circumire,& eleemosinas ad Idolorũ templa extruẽda & instauranda cõquireret solita, forte Firandum veniens,resque diuinas audiens,obnixè Christiana fieri postulat, cuius impetrandi gratia etiam Bongum venit, vbi nunc sanctissimam cum duabus aliis viduis,quas in suam domum asciuit,traducit vitam:octauo quoque die confitentur,bis in hebdomade flagris se cædunt, labore proprio victum quæritant.pauperrimè viuunt:& quod mireris, vltra 150. aureos in vsum pauperum expenderunt,aliásque eleemosinás in auxilium Xenodochij contulere.

Præclara viduarũ uiuendi ratio.

Vir quidam ethnicus miro modo à cacodæmone exagitatus,Christianam fidem,spe liberationis suscepit,quẽ Michaẽlẽ nũcupauimus.Hero ipsius mortuo,collecti in vnum locum Bonzi,funus curaturi,conuocata vniuersa familia, Pagodos suos, hoc est, Idola alta voce implorabant; cumque vt idem faceret Michael postularent,respondit: Vitam mihi citius eripueritis, quàm vt tam turpiter vobiscum errem, nec territus graui periculo,quod ex ea re imminebat, fortissimum se præbuit, contra ipsorum errores intrepidè disputans. Alter in eadem domo Christianus cum aliquo modo eis consensisse videbatur,à dicto iã Michaele asperius appellatus,facti pœnitens, in nostram se contulit Ecclesiam,pœnam pro commisso peccato persoluturus,& Dominico quodã die, dum sacrum peragitur,crudelissime, multoque cum sanguine se publicè flagellis cæcidit, quę res summam reliquis Christianis religionẽ incussit.

Cõstantia noui cuiusdam Christiani.

Pœnitẽtia publica.

Alter quidam,Paulus nomine, qui se in prioris

ris hebdommadæ spiritualibus meditationibus, in Collegio nostro exercuerat cum rogatus à Principibus viris Ethnicis, in quadam Idolorum festiuitate vexillum gestare nullo modo vellet, minitati sunt, se eius domum vastaturos, illúmque ni faceret perdituros, qui furori illórum sedens quindecim dies latere non sine periculo maluit, quàm illis acquiescere: quod vbi Rex intellexit, compescuit omnia.

Alterius constantia.

Decimæ Christianorum ultroneæ.

Solebant Iapanenses dum adhuc ethnici essent, de rebus omnibus quæ à Deo acceperant, item de lucro venditarū siue emptarū rerum, partem aliquam vanis offerre dijs: quam consuetudinem obseruantes verò Deo eādem nunc offerunt. Vbi tempestatem ingruere vident, quæ domos demolitura, messémque prostratura (vt interdum euenire solet) videtur, aut in alio quouis periculo constituti, in Ecclesiā conuenientes Dominum deprecantur.

In bello quod modo geritur, cùm nulla iā amplius superesset spes P. Baltazaro, ex inimicorum manibus euadendi (Phacatæ enim detinebatur) multi Christiani cùm statuissent ad illum liberādum eò proficisci, & impetu facto in hostes irruere; diuinæ bonitati visum est, vt eo tempore clanculum effugeret.

Vilella Meacum abijt.

Pater Gaspar Vilella ad magnū Meacum missus, quod multo antè tempore desiderauerat, Fratrem nostrum Laurentium Iapanensem abduxit secum acumine ingenij præstantem virum, & in rebus gerendis exercitatum, qui nulli Iapanēsium in rebus tam diuinis, quàm patrijs cedat: eū præterea alij duo sunt comitati. Librum à P. M. Melchiore conscriptum, & in Iapanensem linguā ab eodem Laurentio transfusum, secum tulit. Deus noster pro infinita sua misericordia eorum

oculos aperire dignetur, vt pulsis, in quibus versantur erroribus, in cognitionem sanctæ fidei nostræ veniant. Multis cum lachrymis, maximoque desiderio obeundæ sibi à S. obedientia iniunctæ legationis, Idib. Sept. discesserunt iamq; fœliciter appulisse, accepimus. In singulos igitur dies audire gestimus, earū quæ ibidem geruntur rerū, & de dispositione regionis illius, ad fidē nostram suscipiendam, vt quod ad maiorem Dei gloriā spectare videbitur, cōstituatur. Quæ Facatæ per bella acciderunt breuiter perstringam. Facata ciuitas est ampla sanè & prædiues, mercatoribus abundans, in planicie ad mare constituta, quo ex omnibus huius prouinciæ partibus homines cōfluunt: 5. dierum itinere à Bōgo distat, à Firando 60. miliaribus, si mari iter agatur. *Facatæ descriptio.*

Anno 1558. post sanctū Paschæ diē Rex nobis amplū optimūque terræ spaciū ad mare dono dederat, vbi dū iā domū, ac mediocre templū ędificassemus, frater noster Ioannes Fernādes singulis diebus cōcionatus est, populūque primis fidei rudimētis informauit. A cōcione ad horā de rebus auditis colloquiū institutū est, tū doctrina Christiana illorū patrio sermone decātata, Oratione Dominica, salutatiōe, & Symbolo, quę latinè docem⁹, exceptis, vesperi litanias recitauimus, multiq; Christi lauacro abluti sunt. His igitur hoc modo bene constitutis, vt in posterū obseruarentur, Gubernator quidā Bongēsis, de quo multi querebātur, ad cædē quæritur, ille misso nūcio iubet vt & nos in militiā proficiscamur, cui quātū potuimus, satisfecimus, per famulos Iapanēses. Eo die victores fuere nostri. Nocte verò sequenti, Bonganorum aliquot ad inimicos literas dederunt, atque oppidum in manus eorum tradiderunt. *Donū Regis. Templum erectum. Exercitia Christiana*

Præ-

Præfectus in arcem confugiens, ibidem occisus est. Nos verò in medijs noctis tenebris, cruce aliisque sacris rebus in humeris sublatis clanculũ ad mare confugimus, Ioannem Fernandum cum aliquibus Christianis, Ecclesiæ ornamenta portantibus schapham conscendere, vt quamprimũ Firandum peterent, præcepi: ego vnà cum fratre Guilielmo, & alio Christiano Syluestro nũcupato, & Lusitano, qui tum nobiscum erat, iudicantibus ita expedire Christianis, Iapanensem nauẽ ingressi sumus, sex à terra miliaribus semotã. Nauis Præfectus qui ex innimicis erat, cum sciret in suorum manus oppidum deuenisse, ad nos occidendos se parauit, sed mutata sententia, omnibus rebus nostris ablatis pecuniam extorquere volens, nos armis circumcepiri iussit. Sepè conuenientes aiebãt: si res istorum acceperimus, & viuos abire permiserimus, id non sine nostro magno periculo fiet: si eos interemerimus, nihil pecuniarum recipiemus à mortuis: dum sic inter illos consultatur in singula temporis momenta mortem expectantes, ad illam nos parabamus, Deum vt peccata nostra condonaret, deprecãtes. Nihil enim horum crudelitas spei nobis reliquũ facere videbatur. Bonus Syluester hęc omnia pericula cùm posset vitare, admonitus vt discederet persuaderi nunquam potuit, sed extremũ nobiscum diem obire voluit. Sæpius noctu multis lachrymis, crebrisque suspirijs, quod de nobis illi decreuerant, deplorauit. Iapanenses nautæ ei, vt abiret, innuebant, nosque relinqueret, quod tamẽ facere ille renuit, quocirca facultates suas omnes quas secum habebat interula linea tantummodo relicta, amisit. Dũ cum his angustiis luctamur, ecce 4. die hostes qui Facatæ erant re cognita, tribus

Gagi nouæ molestiæ.

tribus nauigijs, armato milite plenis ad nos venerunt. Quia verò id tantū quo operiebamur, supererat nobis, Præfectū adorti, bonam partē eorum quæ nobis abstulerant, eripuerunt; ad nos deinde venientes, etiam vestes detraxerunt, subuculæ solum nobis fragmētis, relictis, licet frigus nō deesset: per vncias cibū nobis suppeditabant, eoq; more nobiscum agebant, quo in Turcarum triremibus cū remigibus solet. Tunc nos, quibus vehebātur nauigijs imposuerunt: dumq; vehimur, volente Deo Domino nostro, à primario quodam viro agnitus sum, qui mihi femoralia, & pallium dedit, nonnulla etiam socijs. Appulimus tandem in Facatæ portum, quo in loco renouata crux est, milites namque rixari cū nautis cœperunt, prædę partem postulantes, rursus ad littus multis cōfluentibus vestes nobis datas detraxerunt, rursus nudos relinquētes. Sępius ensibus & hastis irruebant, vt occisuri, alij vt colligarent, & in carcerem retruderent. Ex horum manibus nos alij eripiebant, pecuniam sibi dari postulantes. Breuiter in nostram perniciem infiniti conuenerunt, alij, occide, clamabant, alij, in frusta concide, hi regionum pestes sunt, hi regna perturbant, alij alia. Dum itaque inter barbaras manus detinemur, en nobilem virum, qui stricto ense locum sibi pecuniæ demonstrari postulat. Cui ego: nónne vides, nos esse nudos, ac nihil habere reliquum? quare quod non habemus, petis? Interim noster Syluester ciuitatem ingressus, ad quendam Christianum Ioannem nomine abijt, inimicis notissimum, nostram afflictionem narrat. Ille magna festinatiōe ad nos venit, quatuor secum defert vestes, homines abire iubet, nos eduxit, atque à morte imminente eripuit.

Christiani cuiusdam insignis claritas.

Dum

Dum hæc fiunt, ne occideremur, edictum est. Bonus Ioannes vestitos nos ad se deduxit, & si quod erat præterea necessarium, suppeditauit: securioresque sua industria effecit. Namque gubernatores adiens, promisit multa, aliqua etiam dedit. Quoniam verò frater noster Guilielmus in militis cuiusdā manus deuenerat, & à nobis diuulsus fuerat cū alio Christiano itineris nostri comite, huius rei Ioannem cōmonefeci, ipse statim huc illuc discurrens, quæsitū inuenit, redemit vtrumque viginti aureis nummis, ac secum ad nos deduxit. Decem ibi diebus substitimus. Cùm autem domus esset negotiationis, & à multis frequētata, in alterius Christiani domum deducti fuimus, vbi securius aliquāto dies quinquaginta latuimus, libello orario (quem breuiarium appellamus) carendum erat, cæterùm Ioannes & hunc quæsiuit, redemitque. Ad tres menses, his laboribus discrimine aliisque incommodis multis, quæ ipsi colligere per vos potestis, iactati sumus, quotidie mortem vitæ nondum planè securi, expectantes. Quare per Christianos de fuga ineunda cogitatum est: Dumque ad fugam necessaria comparantur, per literas intelleximus, Lusitanorum nauem vnius diei itinere à Facata tantum abesse, quod nobis maioris periculi causa fuit. Quare prima data oportunitate fugam hoc modo adornauimus.

Fuga. Gagi. Mulierum vestibus induimur, quæ ita totum tegūt hominem, vt oculi tantummodo videri possint. Deus Dominus noster sic fugere dedit, vt nullus Christianorum, vel minimum detrimenti pateretur: quamuis illum inimici molestauerint, qui nos excepit hospitio, quod ex ei⁹ literis cognouimus, Dei quoq; misericordia factum est, vt Fa-

tata Regis Bongẽsis imperio trucidatis inimicorũ ducibus iterũ subderetur. Fama est eos qui supersunt, exitũ eundẽ sortituros Speram⁹ nosq̃ citissimè templũ instauraturos esse. Sed vt ad fugã redeam: nón solùm Christiani, verùm ipsi quoq; Ethnici, maxima ob nostrã fugã voluptate affecti sunt: inter cæteros Bongẽsis Rex & alij nobiles modum quo euasimus intelligentes, plurimũ lætati sunt. Ego ad P. Cosmam Torres literas dedi, qui equum ad nos misit. Multi præterea Christiani ad decimũ octauum miliare obuiã profecti sunt, à quibus ingẽti lætitia, ac voluptate excepti sumus. Inde Bongũ vsque ad singula penè miliaria Christianorũ plurimi opperiebãtur, nobis vt cõgratularẽtur, atq; comitarẽtur. Diuersa ciborũ genera adferebãt, & fructuũ, nos in opaca quædã loca deducẽtes tãto gaudio, vt se ipsos capere nõ possent, aliis præ gaudio collachrymãtibus, alijs in cœlũ man⁹ erigentib⁹, vt laudarẽt Deũ, illiq; gratias agerẽt, pro collato in se beneficio, ꝙ orationes eorũ exaudisset, de periculo, à quo nos Domin⁹ De⁹ noster liberasset, in via identidẽ loquẽtibus. Cogitare facilè potestis Charissimi, quantã aĩo ceperim⁹ voluptatẽ, nõ tantũ ꝙ tali periculo, ac vitę discrimine erepti essem⁹, verùm etiã quòd tanta charitate inflãmatos, gestientesque nouos Christianos viderem⁹. Sit ille benedict⁹ Iesus, qui in remotissimis partibus nouos suos filios ꝓmouet, accẽditq; diuina sua charitate. Tã multas operiẽtium turmas cùm videremus, præteritos labores nõ reuera subijsse, sed potius somniasse nobis videbamur. Pueri cũ matrib⁹ infantes gestãtibus, ciuitatem egressi, nobis obuiã procedebãt, vt nostro aduẽtui gratularẽtur. Certè charissimi, hoc mihi persuadeo, Imperatorũ triũphos cũ omnib⁹ suis

Regis nobiliũ Gẽtiliũ & Christianorum ob Gagi euasionem lætitia.

Christianorum magna in suum pastorem pietas.

Christiana congratulatio triumphis potior.

Christian' labor suauissimus.

suis pompis & apparatu, dum è prelio victores reuertuntur, cum minima lætitiæ nostræ parte comparari non posse. Verè charissimi, pro Christo labores suscipere, magnam adfert consolationem, verè seruire Iesu, regnare est. Firãdini Christiani, vt primum saluos nos aduenisse intellexerunt, magnam ad nos supellectilem Bongmi attulerũt: Orizam, farinam, carnem suillam, pisces, oua, sal, mensas, ex argilla Sinensi confectas lances, amplas & paruas patinas, vestes, pannum, ligna, nummos, in summa res familiaris tanta fuit, vt nobis rursus ab inimicis fuerit timẽdum. Sed ad hostes redeo.

Cur Gẽtiles adeo sæuierint in res Christianorum.

Tantus fuit inimicorum impetus, hostium furor tantus, vt exusta domo nostra destructo templo, ipsam quoque terram exportauerint, puteum obstruxerint, affirmantes nos destructionis ciuitatis causam esse, cum nunquam tale quippiam post ædificatam vrbem Facatam contigisset.

Vir quidam nobilis Christi sacris non solùm initiatus, verum etiam rerum diuinarum satis peritus dum adhuc ante hos tumultus Facatæ ageremus, videns quàm periculosè inter Ethnicos versaretur, saluti suæ cupiens esse consultum: nõ paruis annuis prouentibus relictis initio quadragesimæ anni 1559. Facatam venit, in templo assiduus egit, & in meditationibus spiritualibus sè illo quadragenarij ieiunij tempore exercuit, & nunquam ciuitatem egressus est, aut domum suã rediit, filiumque suum Goam ad nostros mittere decreuit. Die autem Iouis, D. Dionisij festo coram sanctissimo Sacramento orationem de Christi passione, memoriter non solum habuit, sed quæ tractabat mysteria probe intelligebat, de quibus interdũ tanta deuotione & ordine dixit,

vt

vt non paruã nos in admirationẽ raperet. Poſtmodũ magno ardore animi ſe publicè afflixit, cõfeſſus eſt, ac Reſurrectionis die Sacramentum corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti percepit. Princeps ille, qui huic viro annuos redditus dederat, vnus erat illorũ qui Facatã expunãrũt. Hic igitur cùm dolore aceibiſſimo excruciaretur, quòd ſe relicto, Chriſto ſeruire vellet, cũ gubernatoribus, vt Chriſtianũ hũc interficerent, egit. Ille rerũ ignar⁹, dũ fortè iret in palatiũ, eoq́; vbi occidi conſtitutũ erat, veniſſet, ab aduerſarijs inuaditur, flexiſq́; genibus, oculis manibuſque in cœlũ ſublatis, extremũ reddidit ſpiritum, optimi Chriſtiani præbens argumenta quàm plurima.

Vir nobilis Chriſti nomine, fortiter occũbit.

Vxor eius modò cũ liberis admodũ Chriſtianè viuit, tantaq́; rerũ inopia premitur, vt ex collegio noſtro illi ſint neceſſaria ſuppeditanda.

De Firãdico portu, ad quẽ Luſitani Mercatores appellere cõſueuerũt. multa ſunt, quæ poſſem ſcribere. Firandũ comitat⁹ eſt, inquo B. Pater M. Frãciſcus Xauierius nõnullos Chriſtianos effecerat, quæ meſſis aucta ſemper eſt, ita vt anno 1557. dũ ibi Gaſpar Vilella duos mẽſes ageret, vir quidã nobilis, & 4. oppidorũ Domin⁹, quæ 9. tantum aut 12. miliaria Firãdo diſtant, Anthonius dict⁹, anno 1558. poſtulãte Patre, clictes, ac ſeruos nonnullos Chriſtianos effici curauerit, ſuoſque oẽs, tã vxorẽ q̃ liberos, quorum numerus plus minus 1550. erat. Ipſe cũ Patre per oppida diſcurrẽs, & paſſim Idolorũ fana diſturbãs, hortabatur ſuos, vt in fidẽ Chriſti cõcederẽt, Chriſto tẽpla erexit, in iiſq́; S. Crucis imagines conſtituit, &, vt opus omni ex parte Chriſtianũ eſſet, Idolorũ ſtatuas ad vnã oẽs cõflagrare iuſſit: ſiquidẽ & Bonzi vitã Chriſtianã ſuſceperãt. Dum hæc oĩa ex animi ſentẽtia gerũtur, dẽmũ per Ethnicos & Bõzos in

Principis conuerſio cum 1550. ſuis.

Tēpla Christo dicata. Bonzi conuersi.

hoc regno Idolorū ministros, & præcipuos dominos, Firādi tumultū excitauit, qui Bōzi vnā ex crucibus, Firādi collocatā, diſſecuēre: & ad rerū ſacrarū ignominiā, imagines, altaria, tēplumque demoliētes, Patrē eiecerūt, nec cōciones haberi, nec Christianos, aut alios quos necdū baptizaueramus, in fide instrui passi sunt: coactusq; fuit P. Facatā proficiſci. Sic derelicti Christiani Firādini per literas significārūt, vt quādoquidē eo in loco nostri eſſe nō poterāt, saltē vir probus aliquis, in reb⁹ fidei bene verſat⁹, potestatē haberet pueros baptizādi, quod eis facilè cōceſſum est. Cùm ex literis vestris intellexiſſem⁹, ad Deū Dominū nostrū, B. P. N. Ignatiū cōceſſiſſe, & Goēſes etiā fun⁹ curaſſe: voluimus & nos in nostra ęgestate idē officium P. nostro exhibere. Collectis igitur Christianis, iusta soluimus, miſſaſq; celebrauim⁹, preces ad 9. dies fudimus, tā pro illo, q̄ chariſſimis nostris P. Frācisco Henriques, P. Nicolao, & Malucensibus. Magnū nobis chariſſimi, hæc cogitatio addit animū, quia in cœlo Patrē nostrum eſſe existimam⁹, vnde multò præsentius, q̄ è Roma nos miſeros videre poterit, & in verbo diuino per orbē sparsos filios cōtēplari. Ora igitur P. pro nobis. Sacra ſacerdotes fecerūt, quiſq; Fratrū 7. Pſalmos recitauit, vt eiuſmodi ſemper Dominus Societati Paſtores donare velit, qui illā gubernēt ad maiorē ipſi⁹ gloriā, & animarū fructū: vtq; nouę hę plantæ augeſcāt, ac fructus procreēt ſpirituales, quo diuina maiestas à ſuis creaturis laudetur, ac theſaurus præcioſiſſimus ſanguinis Iesu Christi in hac etiā Ægypto ad eius gloriam expendatur. Bongi Kal. Nouemb. 1559.

Ex commiſſione P. Coſmæ Torres.

Seruus inutilis in Domino. *Baltazar Gago.*

EPISTOLÆ IAPANICAE

REVERENDISSIMO D. Domino Gerardo ab Hamericourt Episcopo Audomarenſi & Abbati S. Bertini dicatæ.

EPISTOLA R. P. COSMÆ TORres, *ad Anthonium Quadrum Præpoſitum Societ. Ieſu prouinciæ Indiæ, 8. Octobris.*

Anno 1561.

DIFFICILE dictu foret, admodum R. in Chriſto P. quantã in Domino animi voluptatem, quantumq́ue lætitiæ, tum ex tuis, tum aliorum fratrum literis, ceperimus: hac de cauſa potiſſimum, quòd Societatem noſtram, longè lateq́ue auctam, ſeſe per orbẽ, magno cum Eccleſiæ incremento & vtilitate diffundere intelleximus. Dominus Deus, hoc quicquid eſt operis, quod eius infinita bonitate cœptũ eſt, augeat indies magis magiſq́ue, ac fœlicitet. Egò verò ne nullam vobis, qui tantæ, & tã ſanctæ voluptatis mihi aűctores fuiſtis, gratiã referã, conſtitui cum omni gratiarũ actiõe, quã Deo Opt. Ma. debem⁹, ea viciſſim tranſcribere, quæ diuinæ bonitati, in hoc noſtro Iapanũ orbe, per nos, noſtroſq́ue (qui ſentim⁹ quàm eo ſim⁹ indigni) agere viſum fuit.

Referam itaque primum, gentis mores, & ritus, deinde fidei Christianæ fœlicia incrementa, hominumq; ad religionem nostram propēsionem & facilitatem, quam hoc anno experti sumus, lōgè quàm antea vnquam maiorem.

Iapaniæ uastitas. Iapanum ergo insula in eodem ferè climate, quo Hispania posita est, 300. leucis in latitudinē, in longitudinem verò 600. patēs, fertilis adeò, vt bis quotannis colonis messem adducat, in Maio frumenti, in Septembri verò orizæ. *Fertilitas.* Aëris temperies talis hīc est in æstate, qualis in India: fructus non absimiles fert Hispanicis: auri & argenti fodinis abūdat. *Auri argētique fodinæ.* Populus bellicosus admodum est, priscos illos Romanos, quadam referens ambitione, & honorum cupiditate: adeo vt præcipuus ipsorum Deus, siue verius idolū, sit honor. *Honoris auiditas.* Hinc sepenumerò bellis intestinis, non sine multorum cæde miserè se conficiunt: imò non rarò sibi mortem consciscunt, si qui se inferiores, aut certè non pares arbitrantur. Pari superbia ab iniurijs aliorum, damnis, furtis, adulterijs, & id genus flagitijs & facinoribus abstinent, & quamuis Deum non timeant, ac ne norint quidem, nec aliam à præsenti vita sperent beatitudinem, honorum tamen amore impulsi, parentes venerantur, & amicis fidem præstant, vt alibi quisquam. *Sine Dei notitia uiuentes.* Habet tres Dominos, siue Dynastas, & regni capita. *Zazzo sūmus Iapanum Pontifex.* Primus Zazzo appellatur, qui religioni præest, queādmodum Ecclesiæ Catholicæ summus Pontifex Romanus: ad quem de rebus religionis referendum est. Nec opiniones, aut nouationes admittunt, quin huius prius manu, signoque comprobentur. *Tondi siue Præsules.* Ipsius quoq; est Tōdos, qui veluti Episcopi sunt, instituere. Quāuis aūt hi quibusdā in locis à præfectis ciuilibus designētur,

ratum

Cæci Iebusæi suum Pompificem depingunt.

ratum tamen id non est nisi Zazzo author sit, literasque in testimoniũ concedat: ipsi verò cum ordine sacro insigniti sunt, apud primates & omnem populũ in magna sunt veneratione. Hi deinde suos sacerdotes, veluti per parecias constituunt, priuatas, aut certè non ita publicas sectarũ caussas, decernunt. Zazzoni etiam ex officio incumbit, leges relaxare, aut soluere potissimũ in rebus grauioribus religionis, quale est à Tondorum potestate, & iurisdictione ciuiles præfectos eximere, At verò Tondorum est in rebus leuioribus gratiam legis facere, vt temporibus vetitis carnium esum cõcedere, item cùm ad Idola sua religionis ergo peregrinantur, vel aliud simile. Cæterum, de religione, aut sectis, statuere decernereque, prout commodum videbitur, solus Zazzo potest: & quicquid ille statuerit, amplectũtur omnes: nec ad aliũ deinceps appellare licet. Apud Sinas, ad huiusmodi dignitates eliguntur, qui doctrina, & rerum vsu, cæteris antecellunt. Hic honores adeundi ratio non eadem est, sed plurimũ sanguine iuncti, vel qui à morientibus vt plurimum nobiliores, & ditiores eliguntur.

Sacerdotes.

Indulgentiæ et casus reseruati

Ciborum delectus.

Peregrinatio.

Zazzo autem, in monasterio Meaci (quæ vrbs apud Iapanes eam, quam apud nos Roma, famã auctoritatemque obtinuit) sedem habet. Potens est admodum, tam vrbium frequẽtia quàm prouentuum amplitudine, ita vt nõ rarò cum alijs, qui vnà rerum Iapanensium imperium habent, manus audeat conferre. Hæc de ijs, quæ ad religionis caput attinent.

Roma

Meacũ Iapanibus quod nobis Roma.

Ciuilis principatus bipartitus est, alter honoribus distribuendis, alter administrandæ Reipublicæ, ac iuri dicendo præest. Qui hũc obit, vterque Meaci degit. Qui honoribus dandis præest, Voo

De statu ciuili.

Voo honorum dignitatũque titulos distribuit. appellatur: succedunt ipsi filii: vel si desint, propinquiores. Hic in tãta est apud homines veneratione, & existimatione, vt non minus q̃ Idolum colatur, tãtaque sanctitatis opinione pollet, vt nefas arbitrentur, cum pedibus terram contingere: quod si fortè accidat, honore, officio, dignitate priuatur. Ac proinde cùm egrediendum est, rheda vehitur, aut calceis incedit ligneis, qui palmo supra terram eminentes sacros pedes attollunt.

Terrã contingere nefas.

Voonis ornatus. *Arma.* *Vestes.* Rarò comparet, ac vix vnquam ædium suarum septa egreditur: Plærumque sedet altero ex latere machæra accinctus, altero verò arcu & iaculis. Vestes gerit, non vnius, atque eiusdẽ generis, intima, & carni proxima, nigra est: quę sequitur, purpurea: toga verò transparens ex serico cõfecta instar veli manibus assiduò floccos duos gestat, pileum instar tiaræ, impositum capiti est, zonis quibusdam discriminatum; frons albo, nigroque colore distincta est, patinæ ex quibus cibum sumit, fictiles sunt.

Officium. Huic ex officio incumbit, sua auctoritate, quemq; honore, pro cuiusq; merito, virtute, rebusque bene gestis, afficere. Titulis igitur, nominibusque magnificis, principẽ quemque honorat. Quamobrem conditionẽ, dignitatemque cuiusq; sciat oportet, ex qua, quantum obsequij, & honoris cuiq; pręstandũ sit, metiatur. Ipsius quoque est, quęque ad maiores honores euehere, auctis titulis, pro cuiusq; laboribus, & meritis.

Ratio distinguendi dignitatũ gradus. Cognoscuntur porrò cuiusq; gradus & honoris differentiæ, certis quibusdã caracteribus, qui principibus distribuuntur. Accidit Bongi Dominum Mecęnatem nostrũ eximium, breui tẽporis, quo hic egimus, spacio, suas literarũ consignationes quater & trigesies mutasse, occasione duntaxat titulorũ & dignitatis, quæ ipsi

quo-

quotidie huius Voonis munificētia accreſcebāt. Quoniam verò Iapanēſes auidiores multò ſunt honorum, quàm vllius rei, maximis muneribus, maximaq; munificentia hunc ſuũ Voonem colunt, & proſequũtur, idq; tãtum, vt titulo aliquo, ſignóue virtutis, accepto ab ipſo epiſtolio potiātur: quod ſi impetrant, magno ſe honore affectos arbitrantur. Hinc fit vt tāetſi Voo vrbibus, redditibuſq; careat, inter ditiſſimos tamen totius Iapaniæ habeatur: pleriquę principũ & primatũ ſuos apud eum patronos, & legatos habent: ipſumque quotānis magna munerum, ac largitionum contentione viſunt, dum quiſque certatim magnā pecuniæ vim, & donarioũ apportat, vt huiuſmodi titulos, & honorũ gradus aſſequantur: quos eo nomine tam ſtudioſe ſectantur, quòd honoribus affecti, etiam apud ſubditos eximiè honorantur. Voo hic tametſi hac dignitate emineat, tres tamen ob cauſas ab ea amoueri poteſt. Primùm ſi terram pedibus contingat: tùm ſi quempiam occidat: Poſtremò ſi mores habeat non perinde faciles, aut gratos: occidi tamen ob hæc nec debet, nec poteſt.

Nihil æquè atque honores ambiunt Iapanes.

Voonis potentia.

Cur tãtaui di honorũ Iapanes.

Ob quas cauſas Voo digni tate ſpolia tur.

Tertium deinde regni huius caput, quod in ciuili adminiſtratione ſecundum eſt, ſibi tranquillitatem Reipublicæ, ac leges commiſſas habet, eique Gungi nomen eſt. Huic duo alij ſubſunt, veluti ſecundarij, dicti. Euge & Goxo. Gungus hic toti Iapaniæ præeſt, ac veluti dictator eſt, Principibuſq; qui in ciuilibus rebus verſantur, imperat. Siquidē horũ eſt bella gerere, delectus habere, ius omnibus dicere, prouidere ne tumultus oriantur, aut cōſpiratio aliqua fiat, viroſque qui hac in re aduigilēt, ac minimā quāque ſuſpicionem ad ſe deferāt, paratos habere: inter Principes

Tertia dignitas Gungi.

Euge.

Goxo.

pacem conciliare. punire regni,pacisq; turbatores.Itaq; bellum in pertinaces instituere: dignitate eos qui non obtemperant, exuere:diripiendas occupandasq; prouincias,& vrbes alijs Principibus concedere,quę quidem omnia per alios gerunt. Atque id quidē officium est istorum, & quàm optimè constitutū est:verùm fit plerunque,vt pro officij potestate & merito sontes non puniantur,sed si qui potentiores sint contra leges armorum vi superiores euadunt.In cæteris rebus ciuilibus quisque superiorem aliquem agnoscit. In iis verò quæ ad religionē attinent,suis Tōdis, siue Episcopis, & horum summo antistiti paret.

Ius in armis.

Sectæ Iapanum.

Sectæ septē numero sunt, quæ licet maximè inter se videātur pugnare, in hoc tamē cōueniūt, quòd animæ immortalitatem tollunt.Nec Idololatriæ quidem cultū eundem habent:alij enim Solem,alij Lunā, alij literatos quosdā,& doctos adorant homines,authores scilicet sectarum, alij belli duces in hoc genere illustriores:alij bruta animātia.Literati isti,cùm hanc cultus diuersitatem,idolorumq; multitudinē admittant, & cuique exhibere peculiarē colendi ritū doceant: nihilominus fatētur omnia ex nihilo facta,in idipsum resolui:quod dogma vt assequantur miseri, vigintiquinque millia adhibent meditationum, quibus fit vt animorū mortalitatē pertinati[9] statuāt. Inter quas vna docet hominis amputatum caput interrogare,quid ipsum modò sit, & quid respondeat:alia verò vnū & eundē ventū pro locorum in qua impellitur diuersitate variū edere sonum,& similia multa.In summa cōcludunt ad nihil,quod ex nihilo factū est deduci. Homini quoque tres inesse animas fingunt, & quamque contrario, ac ingressa est,egredi ordine.

Idola Iapanum. Sol. Luna. Sectarū authores,belli duces. Bruta quædam.

Opiniones.

Hoc

Hoc autem vltimum inter mysteria, & naturæ secreta referunt, raróque atque iis tantum reuelant, quibus magnæ pecunię vis in numerato est.

Qui veteres sapientes suos colunt, quidā Xaquam, nescio quem, doctrinæ opiniōe celebrem, & Regis filium sibi delegerunt. Hic multos posteritati errorum suorum, cœcitatísque suæ libros reliquit, nec hunc solùm, verum & quendam ipsius librum Quæquium appellatum, adorant: asseruntque saluari sine libri huius præsidio, nullum posse, quo etiam omne animantium genus, herbarum, ac lignorum salutem consequuturum arbitrantur, reliquæ nugæ si diligentius considerentur, docent ab ipso nō esse, dependere omnia. Qui solem aut lunam adorant, Idolum etiam, quod ipsi Benix vocant, triceps venerantur, asserentes virtutem esse solis, lunæ, & elementorum. Ipsum quoque dęmonem, qui eis visibili specie sæpius apparet, colunt propria effictum figura, sacrificiáque huic sumptuosissima offerunt: magni quoque fiunt Necromantici, iurati hostes Domini nostri Iesu Christi, & legis eius sanctæ.

Xaqua Pseudopropheta.

Liber pseudopropheta adoratur.

Idolū triceps, dæmō adoratur.

Aliud quoque Idolum Guānon, filium Amedæ, viri (vt aiunt) sapientis, quidam venerantur, & religiosiores habentur, semper incedunt orantes, sed hi pauci sunt. Lex quam plerique sectantur, ea est, quę iam dictas meditationes tradit: quarum caput est, contemplari quid fueris antequam esses, teque in id iterum resoluendum.

Idolum Gannon.

Hęc de ritibus regionis, modò de fructu Euangelij pauca quędam subiiciamus. Notius modò est, quàm vnquam antea, ex quo Societas nostra innotuit huic populo Christi nomen. Anno anteacto ob belli tumultus, non est data occasio, legem Christi aliis in locis, quàm vbi tunc admissa erat,

De Euāgelij fructu.

Loci Vbi Iebusæi suam noua

sa erat, proponere, nec integrum fuit nobis iis occurrere, & adesse, qui Christum receperant. Sed Dominus noster Iesus immẽsa sua bonitate hoc anno 1561. Regem Bongi amicum nostrum insigni adeo voluit maxima ex parte hostium strage euehere, vt tum hanc ob causam, tum ob pacem quæ consecuta est, magna ad fidem aperta sit via, nec solùm Christianis occurrere in huius regni vrbibus, verùm etiam in multis aliis Iapaniæ Prouinciis & regnis (sicuti iam non sine magno Dei fauore cœptum est) concionari liceat.

Sex Euangelizantes in 8. Regni Bongani locis.

Sex enim modò è Societate in octo huius regni locis Christum annunciamus. Quarum primus Bongum est, qua in vrbe Rex residet.

Bongi situs

Sita autem est hæc vrbs 33. gradu & medio versus polum arcticum, in ea insulæ parte, quæ ad Orientem vergit. Hìc sedes nostras habemus. Præter multos quos habet Christianos, indies plures, Christum amplectuntur: interque alios etiam nonnulli literati meditationibus antea dediti.

Insulæ Firãdæ situs.

Firandæ præterea fidei sanctæ lumen illuxit, quæ septem aut amplius iam Christianorum locis est illustris. Sita est hæc insula ad Iapaniæ latus, quod ad Occidẽtem vergit, distat autem 50. aut 60. leucis, Bongo: suntque in ea tria Christianorum millia, ad quos ob bella superiori anno nullus patebat accessus: modò verò patet, & in posterum spero patebit, quòd subsit Regi Bongensi. Iulio mẽse nuper elapsó, Ludouicus Almeida frater noster eos inuisit, & auxilio quorũdam Lusitanorum, qui fortè eò appulerant, Christianorum templa sunt instaurata. Quantum autem profecerint ij qui ibi degunt, Christianísq; quantum accedat, ipse perscribet.

Cutami situs.

Tertius locus Cutami dicitur, estq; veluti Comi-

idulomaniam plantarunt.

mitatus Regis Bongani, 9. duntaxat leucis à Bongo distans: habet amplius ducentis Christianis, quorum vnus suis insigne tēplum exstruxit, Instatque vt aliquis nostrum eò se conferat, cuius pro desiderio (tanta est operariorum penuria) per nos satisfieri non potest. Opus sanè est vno saltem fratre: tua reuerentia quæso prouideat, tum huic, tum aliis locis.

Quartus locus Facata ciuitas est, opulenta admodum, & nobile emporium, itinere pedestri à Firanda huc itur, distatq; 60. aut 75. miliaribus. Templum vnum ibidē exstructū est: & ad aliud condendum quidam Christianorum suam offert operam. Hac iter faciens Almeida, homines sexaginta baptizauit, in reditu longè plures abluturus, nisi in morbum incidisset. *Facatæ situs.* *2. Templa.*

Quintus locus, vbi Christiani degunt, est Cangaxima, hinc quoque primitiæ Iapanensium, qui Christo nomen dedêre, ortum habent. Ciuitas hæc circa promontoriū insulę sita, ad meridiem vergit, gradu verò 31. miliaribus 150. à Bōgo, aut eò amplius distans: regnū ipsum amplū est, indigenis satis iam Societas innotuit, quos etiā interuisit frater noster, & humaniter admodū ab vrbis primario exceptus est: imò literis ad me missis cō questus est, quòd nullus Lusitanorū eò proficiscatur, gratissimumq; non solū ipsi fore, si quis eò veniret, verumetiam Christianis omnibus: nā & hi sacerdotem quendam sibi mitti desiderant. Rog R.T. vt ipsorum piis satisfaciat votis. *Cangaximæ situs.*

Sextus locus est Amangucū, magis versus polū vrgens, cētū nimirū quinquaginta milliaribus à Bōgo dissitū: quo minus hoc anno visendorū Christianorū causa eò itum sit, bella prohibuêre. Iam pacatis rebus, datis ad nos literis, se in S. fide perse- *Amangucì situs.*

Jesuitae ubi terram doceat

Amãgucensium constantia. perseuerare,& vt gentiles fidei lumẽ susciperent, occasionem oblatam esse significârunt, nósq; vt accurreremus,solicitârunt.

Meacisit⁹. Septimus locus est Meacum,situm, vt scripsimus præterito anno,ad ortum, in alio quodã huius insulæ promontorio miliaribus ad summum trecentis Bongo dissitum: Vnde Bonzorum Primas ad me literas dedit, significans se fidei nostræ magno desiderio teneri, senióque prohiberi,quo minus ipse veniat:gratum fore,si aut ego aut alius veniret,à quo institueretur. Iam agitur annus à quo Pater Gaspar Vilella cum literis quibus huic Bonzo respondebatur, eò profectus est, tẽtaturus si quis ibi verbo Dei locus esset:vnde vniuersa Iapania (quantum ad religionem)sectæque omnes pendent. Cæterùm cùm post multos exhaustos labores eò peruenisset, obiisse Bonzum comperit,eumque ante mortem dixisse,se fidem nostram probè intellexisse, eáq; quæ tum ego,tum alij Iapanẽses de illa scripsissemus,ac sese in ea mori. Placuit diuinæ bonitati Vilellam multis confectum molestiis Euangelio apta adeo gentilium corda inuenire, vt non parua iis in locis fidei facta fuerit accessio, vbi multum antea desiderabatur.

Primas Bõzorum in Christiana fide mortuus.

Saquaæsit⁹ Saquaiani sacerdotẽ petunt. Octauus locus,quo Christi doctrina peruênit, est Saquai ciuitas,inter Meacum & Bungum sita,opulentum emporium. Scripsere & huius vrbis indigenæ ad me,munusculo misso,rogantes, vt propter Christũ quempiã,à quo sibi fides enuclearetur,mitterem. Quid facerem? Solus eram, nec sacerdos hoc in loco erat,qui vices meas obiret,nec aliquem alium quem mitterem habebam.Scripsi ad Gasparum Vilellam, vt eò concederet,tam pium opus suscepturus:dum à T.R.

qui

qui huic negocio idonei essent, mitterentur. Per Christi sanguinem rogo, vt sex huc transmittat, aut saltem quatuór: nam præter octo quæ iam commemoraui, loca, maxima in tota Iapania amplificandæ fidei data est occasio, imò longè maior, quàm ante vnquam, quòd iam pacata sit, adeoq; ad fidē vulgò vidētur inclinari, vt vix locus sit, in quo non liceat Euangelizare, deq; Christi lege magno cum audientiū fructu agere: & si quid possum præsagire, tā Christiani, quàm gentiles nec obscuris indiciis produūt his in locis Christianismum longè lateque diffundendum. Si enim finis initiis correspondebit, mirum quanta Christianorum futura sit accessio. Quare iterum T. R. rogo per charitatem Christi D. N. vt aliquot mittat operarios, quorū penuria iā cogor Iapanensiū quorundā opera vti: quibus tamē Deus suā indidit gratiam, ne tanta occasio nobis è manibus elabatur. Statui quoq; Ioannē Ferdinandū Meacū ad M. Gasparū Vilellā mittere: Facatam Ludouicū cū quodam Iapane, Guilielmū verò nostrū cū alio Iapane Firandū: Ego & Eduardus Syluius hic Bōgi in gratiam Christianorū, donec auxilia à T. R. mittantur, manebimus. Hæc sunt Reuerende in Christo Pater, quæ de fructu, & populi huius ad Christi fidem propensione scribenda duxi. De Christianorum virtutibus, animíque constantia ac robore, ex literis fratrum nostrorum plenius intelligetis. Hoc vnum tantum attingam: Etsi multas regiones infidelium accesserim, nusquam tamen me gentiles rationi tam obtemperantes, & pietati deditos, nec ad pœnitentiam agendam ob anteactā vitam tam promptos, quàm hic inuenisse memini. Peccata enim per corporis afflictiones ita expiant, & ad sacræ

Tota pene Iapania ad Christum inclinatur.

Iapanes alios perfectione supe rare.

Syna-

Synaxeos ſumptionem ita ſe religioſe componunt,vt opinionem omnium longe ſuperēt, quæ de nouis Chriſtianis haberi poterat conſtāter ſemel amplexam fidēm ſeruant:quod vt illuſtrius euadat, non poſſum non referre, quid Chriſtianis Firandinis,non ſolum perſecutionibus agitatis,verùm etiā exilio quòd Chriſtiani eſſent mulctatis euenerit. Multi ſiquidē relictis bonis Bongum ſe ad habitandum contulerant, ſatius ducentes ob Chriſti fidem cum Chriſto pauperem trahere vitam,quàm ipſo relicto multa poſſidere. De ipſorum pietate id quoque referam. Cùm æris ſonitu ſignum ad orationem datur, magna alacritate ad orandum in genua ſeſe prouoluunt, etiam pueri,qui per ætatem rationis vixdum capaces videri poſſint,parentum ſtudium imitātes. Puella quædam Chriſti ſacramēto imbuta, cum ad adferendum vinum emiſſa eſſet, ac dum vinum promitur,cùm fortè accidiſſet, vt ſignum campana ad ſalutationem Angelicam daretur, ſtatim,humi deuolutis genibus,preces fudere cœpit,nec ſeſe erexit, prius quàm quinq; orationes Dominicas, totidemq́ue ſalutationes Angelicas recitaſſet:quæ res circunſtantes gentiles vſque ad ſtuporem commouit, adeoq; excitauit ad pietatē,prędicandāq; Dei gloriā,vt dixerint, non eſſe aliū Deum Chriſtianorū ſimilē, quandoquidem Chriſtianorū quiſq;,vſq; ad infantes, ſuis morib⁹ aliis exēplum pręberet:mirū dictu quantulis occaſionibus inducti,ad religionē & piè agendum excitentur. Nihil gratius in has regiones inferri poteſt rebus ſacris. Det Deus T.R. cognoſcere,quātopere pluribus fratribus hic ſit opus, quamq́ue grati futuri ſint. Plurima nō leuia ſtudio omitto, multum alioqui voluptatis fratribus, in India &

Firādinorum conſtantia.

Adorandū alacritas.

Euro-

Europa degentibus allatura. Mittat ergo R. T. præſidiarios milites, vt liceat his rebus etiam interdum ſcribendis vacare, & gloriam Dei longè lateque diffundere, cui, quicquid boni accidit, acceptum eſt referendum. Is ſemper animos noſtros inhabitet, Amen.

Bongi 8. Octobris. Anno 1561.

R. T. in Domino ſeruus

Coſmas Torres.

EX EPISTOLA IOANNIS *Fernandis Bongo, ad fratres Goenſes ſcripta 8. Octob.* Anno 1561.

Gratia & amor æternus Ieſu Redemptoris, & Domini noſtri ſit ſemper in animis veſtris.

QVia mihi munus ad vos ſcribendi iniunctum eſt, Patres, fratreſque chariſſimi, eas res quæ in hiſce regionib' à menſe Nouẽbri anni 1560. ad hoc vſque tẽpus euenerunt: nitar equidẽ, quãtum in me erit, id præſtare. Atque vtinam vt vobis gratũ id erit, ita etiam pro rerum dignitate id faciam: adſit is qui omnis boni author eſt ſpiritus ſanctus, vt mirabilia bonitate Dei infinita patrata ad eũ, quẽ exigunt, modum enarrem: omneſque vnanimi conſenſu his cognitis, animis inflãmati, quantas tale beneficium requirit, Deo gratias agamus.

Scripſit P. Coſmas Torres menſe Nouembri anni elapſi, impedimenta propagandæ fidei

varios

varios bellicos tumultus fuisse, quibus hic feruebant omnia: quæ res etsi damnum intulerit maximum Iapanibus, fidis tamē Dei operariis non parua occasio ad maiora accumulanda merita fuit, cùm aduersa hæc in ipsam viam regiam crucis nos protrudant, in qua nostra gloria & beatitudo consistit. Modò his distinemur muniis: ad Neochristianos verba sæpè facimus, baptizandis legem Dei exponimus, iis verò qui confessionis sacramento conscientiam à vitiis repurgant, quíque sacrosancto Christi corpore animum explere satagunt, de iisdem sacramentorum mysteriis, Christique erga nos munificentia concionamur: vnde fit, vt nullum tempus non piis operibus impendatur. Hæc Eduardo Syluio, & mihi vicissim incumbunt. Guilielmus verò præter continuas Iapanicæ linguę lectiones: doctrinam quoq; Christianam pueris explicat: quorum ingenium, dexteritatémque ad quiduis percipiendum vnicè admiramur: octo enim mensium labores huic rei impensi sunt, & iam ne vnus quidem puer (qui fari vixdum possit) quin Christianas hasce institutiones tam Latinè, quàm Iapanicè memoriter recitet, maior quoque pars Psalmum 50. tenet. Audita missa, triduū dant catechismi recitationi, ita vt semper aliqui donec ad finem deducāt, præcipua capita recitent, nimirum Orationem Dominicam, Salutationem virginis Matris tam Angelicam, quàm vespertinam, Decalogum, pręcepta Ecclesiæ, capitalium peccatorū, virtutumq; oppositorum catalogum, misericordiæ operum vtrunque genus. Indies quoque aliquid Christianæ institutionis ipsis prælegitur, eoque diriguntur omnia, vt prauis ipsorum moribus ex diametro repugnemus, & tādem boni Christiani euadant.

Aduersitatū utilitas.

Occupationes Euangelizantiū

Puerorum Iapanensiū diligentia, & exercitationes.

dant. Deinde domum remeantes, sumpto prandio, ad templum reuertuntur, finitaque lectione, bini & bini Patrem, cum vacat, deosculandæ ipsius manus gratia, accedunt, à quo quilibet pugillum orizæ, qua semper abundamus, vt ad virtutes & literas amandas incitatiores sint, aliaq; huiusmodi recipiunt. Hisce enim incitamentis est vtendum, quòd Iapanenses filiorum id libertati planè relinquant, vt in quam lubet partē, vitæque rationem sese inflectant. His igitur crepundiis erecti, bini quoque ad præclaram quandam crucem se conferunt, redituri tamen quidam ipsorum circa vesperam, vt ante eā ad horā vnā doctrinam Christianam cantent. Hinc efficitur, vt ipsi etiam gentiles doctrinā Christianam ex tam frequenti auditione per plateas cantillent. Faxit Deus, vt corde, interiori sensu & opere hæc compleant, sicuti frequentant ore. Ex tam felicibus puerorum ingeniis insignes aliquando precones Euangelicos nobis promittim⁹, qui tenebras gētilium discutiant, & errores eos refutent: magna enim ex parte firma sunt memoria, facilius etiā quiduis ingenij acumine, quàm Hispani capiunt & peruadunt.

Iapanes suis filijs permittunt ut quam libet vitæ rationē amplectātur.

Puerorum acumen.

Continenter apud nos degunt viri quatuor, & duo pueri, qui magnam Euangeliorum partem, & aliquot conciones, explicationesque idiomate patrio memoriæ mandarunt, vt alios doceant. Horum vnus, cui Paulo nomen, Medicus est: omnibusq; tam Christianis quàm Gentilibus medicamina efficit, idq; gratis, non tamen, licet alioqui suæ artis callens, suo arbitrio sine senioris medici authoritate permittitur. Tanta verò de hoc est populi opinio, etiam gentium, vt nulla arbitrentur ritè facta esse medicamenta, nisi hic

consecerit: Det Deus vt eandem de spiritualibus medicinis concipiant opinionem.

Alius Iapanensis Damianus nomine, viginti circiter annos natus, obiendi, seq; ipsum mortificandi studio, maturitate loquendi, morũ facilitate, ipsos etiam Lusitanos fratres post se relinquit: hic præter domestica exercitia in quib' versatur, legere more Iapanẽsi, Christianorũ filios docet, qui primò, proh dolor, Bonzorum monasteria frequentabant: apud quos cum ipsis elementis literarum pessima quæque, & omnem morũ corruptelã imbibebant. Hinc factum est, vt P. Cosmas author esset, ne quis Christianorum filius alibi quàm apud nos scholas frequentaret, vt simul morib', ac doctrina Christiana imbuerentur: & sanè decem mensium spacio non solùm plus quàm integro antea apud Bonzos biennio profecere, verùm etiã moribus Angelos potius, q̃ Gentilium filios referunt. Det eis Christus, cuius sanguine sunt redempti, tantam gratiã, vt ipsius nomen longè lateque diffundant, illustréntque.

Nosocomium exstructum. Nosocomium quoque hic exstructum est, vndique suis septis munitum: duo ægrotantium genera admittit, nimirum sauciatos, & aliis quibusuis morbis laborãtes. Habitant vnà in hoc loco duodecim vxorati, & aliquot viduæ, quarum vna cuiusdam martyris fuisse creditur vxor. Altera verò senio ferè confecta, quæ maiorem ætatem religiose Pagodis seruiendo consumpserat, modò tanta illustratur gratia, vt omnem bene agendi affectum & ardorem in Christi, ipsiusque pauperum ministerium gnauiter impendat: in confessione peccatorum, & Eucharistiæ communione ita est frequens, vt exemplar dicas raræ pietatis, & perfectionis speculum. Est & alia, cuius laudes

Insignis uetulæ religio.

epi-

epiſtolam requirunt,ſi deſcribendæ ſint. Viuunt hę ex proprio labore,ſe ſuaq; oĩa Chriſto impendẽtes.Sunt hic & alij Firãdo ob fidẽ Chriſti profugi.Ad hos ægrotos exhortationes quoq; Chriſtianæ habẽtur. Noſter Aloyſius aliquot,quorum iam deplorata erat ſalus,ſanitati reſtituit, virtute potius diuina,vt credim⁹,quàm arte medica, aut potionum efficacia:verùm hoc medendi munus iam depoſuit,atq; à corporibus ad animas, quarum curatio multo maioris facienda eſt,ſtudium ſuum,ac diligentiam contulit. Aliũ tamen eiuſdem nominis in ſuum locum ſubſtituit, nec minori pollentem in medẽdo dexteritate: in quem ſimul cum arte,in qua illum inſtituit, & medendi donum videtur transfuſum: luce enim clarius eſt,ſanitatem quam recuperant ægrotãtes, minimè medici ſapientia præſtari, ſed à diuina virtute proficiſci. Quod vt fiat manifeſti⁹, omiſſis decem, 15.& 20.annorum inueteratis morbis, quos hic ſanauit,vnum referã,quod multos in ſtuporẽ rapuit. Vir quidam nobilis dum in tormentario puluere conficiendo occupatur,ſcintilla forte delapſa,puluerem totum incendit,atq; ita ille correptus eſt,vt aſſus combuſta pelle videretur. Mater mox expedito nũcio,vt ſine mora hic noſter adſit,rogat,ſeque Chriſti legem amplexuram,ſimulatq; filius eſſet ſanitati reſtituendus, promittit. Aberat tunc noſter Ludouicus Almeida,mittitur medicus Iapanenſis,qui ſimulac hominem vidit, deſperans de eius ſalute,pedem ilicò retulit. Inſtat mater pro filio:alius qui Chriſto nomen dederat,mittitur medicus,ſed Chyrurg⁹ fruſtra quid ars poſſet,aliquoties expert⁹,viſo matris planctu, obnixè P.rogat,vt rei tã calamitoſæ occurrat, ſi quo mõ fieri poſſet. Accedit igitur Ludo.& triũ

Sanitatis dona.

dierum ſpacio eo rem deduxit, vt & cibum ſumere,& quieſcere(quod in tam difficili morbo, ac ſommoperè cruciante maximum eſt) ſomnúmque capere cœperit:& paucis deinde diebus nullo debilitato membro totus incolumis euaſerit. Det Deus ei quoque animæ ſalutem.

Duo Iapanes totius Noſocomij curã gerunt: quorum alteri hæc cura incumbit,vt ſi quæ morbi vrget neceſſitas,Patrem admoneat: Item vt ne vagus quis,aut ſcurra admittatur(horũ eſt hic magna copia)ſed ij qui noti ſunt,aut à parentibus,aut dominis,aliiſque non ignotis, quorum teſtimonio adhiberi fides poteſt, commendantur. Hic cum ſua familia in Noſocomio habitat, ex ſua tamen viuens arte & labore. Alter ex officio ea perluſtrat loca, in quibus Chriſtiani degunt,ſi quos forte infirmos,pauperes, ac ope deſtitutos inueniat,vt ſubueniatur tã animæ,quàm corporis neceſſitati. Vtrumque munus prudentem ſanè virum deſiderat,& ſolicitum, cui tanta quoque de rebus diuinis ſit cognitio, vt & alios in re Chriſtiana inſtituere queat. Confluunt huc ex tota Iapania deſperatæ ſalutis homines quàm plurimi: ſanè tuba id quædam Dei eſt non muta,orate vt ad eius ſonitum ita excitentur Iapanes,vt ad verbum Dei, & mentis ſanitatem pari ſtudio,atque ad corporis propulſandos morbos accurrant. Ipſo Viſitationis B. Virginis feſto,præcipua illuſtriorque domus pars, cum oratorio variis ſericis & picturis,frondibus floribuſque ornata fuit:ſacroque ſolenniter peracto, Eduardus Syluius concionem habuit de miſericordia: tum epulæ omnibus exhibitæ, qui intereſſe prandio cuperent,Noſocomij expenſis. Beata illa,perpetuaque virgo nos filij ſui æternis epulis ſatiari, preci-

Neochriſtianorum charitas.

Epulũ inſtituitur plebi.

precibus,ac meritis suis efficiat. Hæc de pueris, ægrorumque curatione.

Totam verò Bōgensem plebem hoc,quo dicam instruimus modo. Sacrum quotidie celebratur, cui intersunt Christiani, tanta pietate & religione,quantam me vidisse alibi non memini. Apparet sanè luce clarius nouas esse plantas Spiritus S. gratia affatim,continuoq; irrigatas. Sæpè cōfitētur:solebāt singulis Sabbatis onus cōsciētię deponere, quod in diem Dominicum,ne à suis distraherentur laboribus,reiectum est:sed quia omnibus satisfieri vno die non potest,ita diuisi sunt, vt quisque sciat, quo die Dominico sibi accedendum sit.Interea quotidie sub vesperum audiendę sunt extraordinariæ cōfessiones.Ad Dominicum corpus sumendum vltro multi accedunt: In Virginis matris Assumptione plurimi sacro viatico pasti,magna cum religione & deuotione fuère: inter quos quidam adolescens 13.annorum,Augustinus nomine,fuit qui domi nostræ agit.

Ratio docendi plebem.

Christianorū feruor.

Frequētes cōfessiones

Eucharistiæ sumptiones.

Hic cùm diu,multumque institisset, vt sibi quoque liceat sacram Christi adire mensam : iussus primò attentè tantum mysterium considerare: pręmissa totius vitæ discussione,& exomologesi, ad Christi tandem arcana admissus est. Rogare hic cœpit multa acutissimè de tremendo hoc,& humanam capacitatem excedente mysterio,tanta dexteritate, vt vel doctus aliquis non potuisset luculentius. Inter cætera quærebat de modo cōuersionis panis & vini in Christi corpus & sanguinē.Item qui fieret, vt idem corpus in diuersis consistere posset locis,& similia, quæ me ad stuporem adegerūt:nec(quod magis mirū est) dubius,verū vt sciat,quo modo credendum sit,hæc proponit.Porrò quæ in hanc rē à me dicta sunt,

Adolescentis Iapanis insignis pietas,& rarum ingenium.

ita sagaciter apprehendit, vt nihil supra: aliis eadem, quę apud nos audierat, postmodũ referens. Ex huius ingenio reliquorum coniecturam facere licebit. Sanè Iapanibus in rerũ diuinarum apprehensione ingeniũ & industria non deest, modò sit qui fidei satis mysteria illis enucleet. Tanto quoq; ordine & methodo sua peccata in Exomologesi ille idem adolescens enumerauit, vt in admirationem rapuerit sacerdotẽ, qui etsi pluriũ excepisset variarum regionũ hominũ, etiam literatorum confessiones, nullius tamen vnquã tam ordinatam. Ipso quoq; sacræ communionis die tantam lachrymarũ vim cõmunicaturus effudit, suspirans identidem, vt cuiusuis obduratum cor emollire, & ad collachrymandum moueri potuerit: nec à lachrymis, donec sacrosanctum Christi corpus sumpsisset, temperauit, ante tamen sacri cibi sumptionẽ, manibus sursum ad cœlũ sublatis, sermonem habuit de eximiis in se collatis beneficiis, & magna Dei misericordia: primũ quòd è nihilo creatus esset, tum redemptus Christi sanguine, & à sæua, in qua gentilis detinebatur, seruitute, in libertatem Christianam vendicatus: atque huiusmodi plura tum pro tempore elocutus est tam syncerè, tantoque feruore & mentis affectu, vt non interfuerit (quãuis multi essent) qui se à lachrymis abstinere potuerit. Hic in transscribendis modò quibusdam concionibus occupatur lingua Iapanica conscriptis, memoriæ ea mãdaturus, vt populo explicet, ac concionetur. Sacrarij curam gerit, atque in aliis muniis versatur: si quæ iniunguntur, omnia tanto iudicio, prudentia, & solicitudine agit, vt virum potius quàm puerum referre videatur, & quidem talem, qui multos in Societate annos exegerit. Hunc quæso

Dexteritas in rebus agendis.

pre-

preces vestræ Deo plurimum commendent : si enim perseuerauerit, plurimum ad fidem Christi longè lateque diffundendam conferet.

Cæterùm vt Iapanes confessionibus peccatorũ dediti sunt, ita quoque non minus acerbis afflictionibus, veræ pœnitentiæ indiciis, potissimum diebus Veneris veluti videntur delectari, dum Christi flagella publicè se cędentes, multi cõmemorant, nec pauci priuatim, idq; diebus tũ Dominicis, tũ festis, magno populi concursu, ita vt templum interdum vix tantum numerũ capiat: vnde fit, vt summo mane sub auroram pro foribus multi loca præoccupaturi adsint. Sacrificio missæ primo omnes assistunt, deinde maxima attentione ac silentio concioni intersunt. Vesperi verò iisdem diebus Dominicis, vt dixi, & festis, priuatim conueniũt, triaq; in quibus potissimum sese exerceant, diligunt: primũ vt summam Christianæ doctrinæ auditã in memoriã reuocẽt, quo sanè multũ proficiunt: Alterum vt eleemosynas in vsus pauperũ, emendosq; mortuorũ loculos, iis maximè qui pauperes sunt, colligãt: Postremum, vt is, apud quẽ conuenerint, omnes conuiuio excipiat, longè tamen alio, quàm quo Rex Assuerus suos principes quondam excepit, nihil enim præter pauculas herbas, & modicũ orizę coctę apponitur, nec mirũ videri debet tãtillo cõtentos esse; nã legẽ tulère, ne hęc mẽsura excedatur, alioquin cùm natura sint magnanimi, & curtam supellectilem habeant, si concederetur liberalius agere, nihil reliquum facerent. Verùm hac instituta lege, & officium tuentur, & re propè nihili charitas fouetur inter Amanguccenses, & aliorum locorum Christianos, vbi nemo nostrum agit.

Afflictiones volũtariæ Iapanũ

Attentio.

Concionũ repetitio.

Viginti circiter ante Natalem Domini die-

Spectacula sacra. bus indicauimus nobis gratum forè, si aliquod spectaculū exhiberent ipsa sacra nocte, qua Christus natus est, quod sanctam aliquam recreationē pijs mentibus adferret: nihil tamen eis præscriptum est particulatius. Ipsi rem cordi habuerunt, & ex ijs quæ ex sacra scriptura audierant, actionē non minus ingeniosè quàm doctè commenti, occasionem Dei laudes celebrandi non contemnēdam dedêre. Principio lapsum Adæ & Euæ, & spem redemptionis generis humani ob oculos posuerunt: arbore in medio templi, quæ mala inaurata ferret, constituta, ex qua Lucifer structus insidijs Euam decepit, scripturis suis in locis rei conuenientibus, Iapanica lingua adscriptis: quæ res adeò appositè accommodatæ fuerunt, vt nullus in templo fuerit, ne paruulis quidē exceptis, etsi lætitiæ dies esset, qui non lachrymas effuderit. Addita etiam fuit post hominis eiusdem lapsum, & Dei offensionem, eiecto per Angelum è paradiso, res quæ multò magis ad lachrymas prouocauit. Tertio prodibant infœlices parentes generis humani, non sine doloris significatione, vestiti ijs quas Deus ministrauerat, vestibus. Quibus subitò apparuit Angelus consolans eos, & in spē erigens, fore aliquādo tēpus, quo humanū genus aspiciēs De⁹, ipsum redimat, & ei ad cœlū aditū rursum aperiat. Posthęc auditis Angeli verbis, cōsolatione plenis, orta est & in plebe non parua cū lachrymis lætitia: atque hoc modo huic sacrę Comœdiæ Catastrophe imposita est, non sine Musico cōcentu. Secuta est historia Salomonis, & duarum matrum de filio contendentium, quod non ab re, nec temerè factū est, nēpe valere poterat ad crudelitatem mulierum huius regionis retundendam, quę (immane dictu) recēs *Iudicij Salomonis.*

ex se natos trucidant, lege neglecta naturali de prolibus diligendis, quæ cum hominibus etiam brutis cõmunis est. Alia præterea præclara edidere spectacula, ac potissimum nuncium illum Angelicum, lætitia plenum, de Christo nato ad Pastores, singulari artificio repræsentârunt. Adhæc extremum Christi cum summa gloria, & triumpho, & iustitia, aduentum ad iudicandum vniuersum orbem terrarum exhibuerunt. Nos etiam ipsa circuncisionis die Societatis festum renouatis sanctis desiderijs celebrantes, holocaustum Christo pro more obtulimus, ingentẽ multitudinem spiritali cibo, sacra, inquam, Eucharistia pauimus. Ipsam quoque Purificationis immaculatæ Virginis diem solita celebrauimus cęrimoniarum solennitate, & cæreos populo lustrauimus, quibus contra vim tempestatis, & apud agonizantes vterentur: solennis quoque supplicatio cæreis plurimis accensis instituta est.

Christi nati.

Extremi iudicij.

Festum nominis Iesu.

Purificationis.

Quadragesimali verò tempore Damianus Iapanensis singulis Mercurij diebus de pœnitẽtia ad populum concionatus est: Veneris Eduardus de Passione Domini, ostensaq; imagine Crucifixi, ad lachrymas populum excitauit. Sub finẽ verò tãto animi ardore Christi flagella celebrâűt, vt nulla contentione ferè vocis, aut æris sonitu potuerit illorum feruor sopiri. Dominicis diebus alius Iapanensis concionatur, alius Euangelium diei explicat, & alijs quibusdã diebus de mysterio venerabilis Sacramenti in gratiam eorũ, qui Christi arcana frequentant, agit. Celebrauimus etiam sacræ hebdomadæ officia non sine feruore & populi fructu: ipso die cœnæ Dominicæ circiter 80. sacram Eucharistiã sumpsère in sepulchro Domini, adeo magnificè apparato, vt

Quadragesimæ exercitia.

Iapanenses concionatores.

Sepulchrũ Domini.

cùm

cum Goensi certare possit. Apparatus quoque fa-ctus est mysteriorum passionis Dominicæ, addito cuique versiculo arcana explicante, lingua Iapanensi. Templum quoque vario ornatu, & fornicibus triumphalibus more Romano instructum, appictis etiam aliquot passionis imaginibus. Instituta quoque ex atratis, & infulis ornatis pueris, supplicatio lugubris, qua immolati Christi mysteria circũferebantur, ac in medio crucis vexillum. Subsecuta est magno numero reliqua plebs Christiana, flagellis terga cædens. Vbi ad Altare sacrosancti Sacramenti ventum est, is qui crucem Dominicam tulerat, idiomate Iapanensi, de crucis potentia verba ad populum fecit tanto animi ardore & efficacia, vt nemo fuerit, qui se à lachrymis temperauerit. Deinde quilibet ex ordine suum, quod depictum gerebat, mysteriũ explicauit, adiecto in fine ad S. Christi corpus colloquio, quo ipsum Saluatorem compellãtes, supplices rogârunt, vt quemadmodum amore in humanum genus immẽso homo factus, nostras miserias tolerare voluisset, ita eadẽ charitate faceret meritorũ suorũ participes. Postremò sanguinis Christi effusiones, eiusq; flagella reipsa celebrârũt: inde ad insignẽ Crucifixi effigiẽ itum est ante Nosocomiũ sitã, tota Christianorũ caterua sequente, non sine grandi planctu & lachrymis: vbi eadem ferè quę in templo acta fuerant, renouârunt, immutatis dũtaxat verbis, quæ tum locus postulare non videbatur, nec paucioribus cũ intuentium lachrymis: omnia enim erant huiusmodi, vt ad planctũ facilè commouerent. Deinde circa meridiẽ duo armati milites sepulchro adhibiti, qui custodes olim ad dominũ sepultum excubantes referebant, adeoque multi passionẽ Do-

Passionis Domini exhibitio.

Concio lachrymosa.

Dominicā celebrârunt, vt vix hora ad mediā vſq; noctem lapſa ſit, in qua aliquot nou aduentarint atrati tecta facie, ſpineis coronis redimiti, non ſine flagellis pœnitentiā peccatorum agentes, tātūq; in ijſdē feruor potuit, vt inter ſepulchrum & crucē terra ſanguine reſperſa fuerit. Hinc Firādinus quidam Chriſtianus hac re vtiliter permotus, ad ſuos in hæc verba ſcripſit: Gratiſſimū mihi fuiſſet fratres, ſi Bungi fuiſſetis ſacro illo die, quo Chriſti Saluatoris noſtri mors, quam amore noſtri incitatus pertulit, celebrata eſt: fieri enim non poſſe mihi perſuadeo, vt malus quiſpiā Chriſtian⁹ ſit, qui huiuſmodi interfuiſſet ſpectaculo. Illa enim ſacra nocte omnia ad planctum excitabāt, adeoq; omnes in ſeſe peccata expiantes animaduertebāt, vt viæ ſanguine, reſpergerētur: Accurrite itaq; huc, ſi quo modo fieri poteſt: hæc ille. Paulò ante mediā noctē cōcio ad duas horas habita eſt, de Chriſto cruci affixo, crucis erectione, & primis eius ſecundiſq; in cruce habitis verbis: deinde oēs, intra ſepta tamē Xenodochij, proceſſimus cuſtodibus ad portas admotis, ne gentilibus pateret adit⁹, & turbationis occaſio oriretur: præibat cū tedis, & cæreis accēſis crucis vexillū ſublatū, expāſumq;, lōgè pulcherrimū, & ad pietatē mirè mouēs intuētes, eo viſo Iapanes ſtatī ad flagella accurrūt, nec finē videre erat verberū, donec ſupplicatio tota intro ſeſe recipit. Ipſa verò Paſſioni ſacra die recepto Eccleſiæ vſu, cęrimonijs precibuſq; peractis, humi ſtratis tapetib⁹, ob populi multitudinē, duobus in locis Crucifixi imago oſculo venerāda depoſita eſt. Sacroſanctū Chriſti corpus ad altare nō minori planctu Chriſtianorū quàm antè retulimus: inde domū mœſti repetiuêre, Reſurrectionis ſolennitatē expectaturi. Die Sabbati cereum Chriſtianorum more,

Flagellationes.

Fruct⁹ Sacrarū ceremoniarum.

Chriſti in Typocrucis ueneratio.

Cæri & fontis consecratio.

more, prophetijs recitatis, & fontem baptismatis sacris verbis consecrauimus. Ipse verò fons tanto artificio extructus erat, vt quatuor è locis aqua sancta, nō aliter atque si verus fons fuisset, emanaret, quatuor fluuiorum instar, qui ex paradiso oriuntur. Summa, letanijs recitatis, campanarum sonitu edito. & sacro facto, domum iuerunt, ad sanctam Paschæ solennitatem sese parātes. Quæ vbi aduenit, duabus ante lucem horis statim à campanæ sonitu, cùm portæ aperirentur, multi Christi fideles ad ianuam præstolabantur. Tum pueri ijdem qui antè atrati, cādidis modò vestiti, & rosis floribusque redimiti lętum, contrà ac prius, exhibuerunt spectaculum. Ad sepulchrum, quod in templo erectum erat, duo assidebant Angeli, alis fulgentes, arboresque in circuitu erant virentes: factoque sacro, iterum supplicatio instituta est, in qua magnificentissimè sub tentorio portatili, pretioso admodum, & in altum eleuato, sacra Christi Eucharistia circūlata est: puelli verò illi candidati resurrectionis mysteria auro depicta ferebāt, triplici cantus melodia conuenientes, & non sine iubilo identidem alleluya canentes cum illo versu, Laudate Dominum omnes gentes. Et: Dic nobis Maria &c. atque hoc modo ter circum Crucem Dominicā itum est: dein solita religione ad templum rediére, communicantes Christi mysteriis, sacrū corpus in cibum animæ multi Christianorum læti nobiscum sumpsêre. Dein prodit B. Maria Magdalena è loco sepulchri, obuiam habens D. Petrum & Ioannem, rogātes. Dic nobis Maria, quid vidisti in via? Quæ referens reliquos versus, sepulchrum & lintea, quibus Christi corpus erat inuolutum, eis ostendit. Pueri quæ gerebant depicta

Resurrectionis Domini celebritas.

myste-

mysteria,suo idiomate populo explicuerũt,quicquid Christo in sua immolatiõis die fuerat ignominiosum,& afflictionibus grauissimis plenum, iam versum esse in summam gloriam & consolationem maximam, non solùm ipsi,verùm etiã omnibus in ipso piè viuere,ipsiusque sequi vestigia volentibus:Idq; adeo dexterè & religiosè,vt ij qui lachrymas mæsti ipsa Passionis die fuderant,modò ab ijsdem præ nimia lætitia se non cohibuerint:nec mirum,nã & ipsis qui agebant, pueris,dum verba proferrent,lachrymæ ex oculis erumpebant.Concio,quòd defatigati per huiusmodi sacros labores essent omnes, nulla habita est,sed in sequentẽ diem,quo etiã baptizati fuêre nõnulli, eam distulimus. Habitis his cum magna omnium pietate, de saluatione generis humani spectaculis, duo Christiani triennio & amplius mutuo odio flagrantes, facile reconciliari se passi sunt,& in mutuos amplexus cumlachrymis ruentes, veniam vtrinque postulârunt. Quod sanè factũ alijs magno exemplo fuit,prçcipuè quòd alter magni nominis & authoritatis esset, hçres primogenitus cuiusdã Christiani, qui suis impensis in tẽplum Bongano maius, & excellentius,regiam quandam Cutami cõuerterat.Qui ei loco præest, Societatis amicus est.

Ratio nostra sepeliendi Christianos tum Gentilibus, tum baptizatis ipsis summoperè probatur, multosq; ad maiora impellit,quòd tam pauperibus.quàm diuitibus,solenni pompa, quæ tamen nihil nisi pietatem referat,parentemus:pauperibus enim domus, quæ in gratiam ipsorum exstructa,à misericordia ob id nomẽ optimo iure adepta est, suppeditat sumptus. Atqui vt omnia referam,hic fere mos & consuetudo in funerãdo inoleuit.

Diuitibus cum paupe rib⁹ æqua parentandi ratio.

inoleuit. Simulatq; quis deceſſit, campanę ſonitu conuocantur Chriſtiani, qui mirum dictu, quanta alacritate accurrant, quantaque religione ſuũ quiſque miniſterium mortuis impẽdat, etiã qui quinque miliaribus abſunt: cùm primũ de obitu alicuius Chriſtiani certiores fiunt, alijs negotijs intermiſſis ad domũ funebrẽ accedũt. Ac primũ quidẽ feretro cadauer cãdido linteo inuolutũ imponitur, & velo nigro cãdida cruce inſignito tegitur: deinde antequam efferatur, cõcio tam ad Chriſtianos, quàm ad gentiles, ſi qui fortè interſint, de pręſenti morte caducaq; noſtra natura habetur: tũ de ea quæ in æternũ duratura eſt morte, aliquid adiungitur. Hac finita, ſolitis vſi cærimonijs cũ funere prodimus, crucis vexillũ præfertur, ſequitur deinde funus, accenſis cæreis, litanias inter eundũ lintea exterula amicti quaterni canimus, reſpondẽtibus omnibus ferè Chriſtianis (vnà enim oẽs in funus prodeũt) donec ad locũ ſepulturæ, quẽ extra vrbẽ delegimus, ventũ ſit (Bongi enim hactenus cœmiterio caremus, qua in re Firãdini & Amãguccini ſunt nobis fœliciores) vbi conſuetis Eccleſiæ cęrimonijs preces pro defuncto peragimus. Quæ res, mirũ dictu, quantum etiam ipſos gentiles excitet, quibus mos eſt vocatis ſuis Bonzis magno numero poſt orationes, & multas cęrimonias mane circa demortuos, oleũ, & operã perdere: eaq; res tanti habetur, vt qui ſunt tenuiores, ſua malint oppignorare, quàm ſumptuoſis carere parentationibus, morti potius conſuetudine antiqua & faſtu mundano, quàm quòd animã immortalẽ arbitrẽtur: tantiq; has faciũt põpas, vt quidã Chriſti noluerint ſacro baptiſmate ablui, ꝙ vt exiſtimabãt, nos mortuis iuſta hęc, põpaſq; nõ exhiberemus, adeoque mordi-

Funebris Bonzorum pompa.

mordicus his addicti sunt, vt non sine negotio, etiā Christiani facti, ab hac superstitione animū auertāt. Verum cùm modò Christiani suo hac in re officio non desint, rationes quoque adferāt efficaces, id muneris ad charitatem pertinere, corpusq; quod Christo Domino obsequia exhibuit, quodque in gloriā maximā resurrecturum est, huiusmodi honore dignum esse: fit vt & cōstantiores reddātur, & in magnā fiduciā erigātur Christiani: Gētiles verò qui malè de nostra religione sentire solēt, nobis & sint ęquiores, & Christi dogma amplectantur, dum vident quanto cum honore etiam cadauera filiorū suorum, & parētum humemus. Hinc nobilis quidam vir, nomine Michael, qui Christi sacris aquis ante annos 5. lotus, quinto Augu. quo tēpore ęstas hic maximè viget, diē obijt, cùm in loco, qui Bongo vnius diei itinere, aut eo amplius distabat, iamiam sese moriturū sentiret, vxori, filijs, atq; affinibus, mandauit, ne ad sua funeralia Bonzos vocarent, sed Bōgum ad domū (vt vocabant) Dei nuncium mitterent, inde qui se inhumarent, vēturos: nūcius ad nos venit, accedimus, & quatriduo obijsse offendimus: nihil tamē gentilium more circa ipsum actum fuit, quòd hoc enixè à suis rogasset. Huic obijci versus ille non potuit: Villa, boues, vxor, cœnam clausére vocatis. Quandoquidē nec mūdi gloria, nec affiniū gētilium importunitas, nec etiā, quibus abundabat, diuitię ad pomposissima funeralia celebranda, efficere potuerunt, vt se excusatum excludi à cœna illa æterni regni voluerit: satius enim duxit, Christiano & pauperū more sepeliri, quàm gentilitiō fastu. Importuna tamē vxor, importuni filij toto ferè morbi decursu, ipsum, vt sanitatis recuperandæ gratia veneficos aduoca-

Ægroti cōstantia.

aduocaret,tantum non obtundebant: verum ad Idololatriam induci se rursum nō est passus:quā insignem viri constantiam,vxor ipsa,& filij gentiles fratri nostro Eduardo, qui eo cum 3.Iapanibus missus erat, non sine virtutis admiratione retulerunt. Postquam verò Christiano ritu sepultus esset,ad concionem cognatis & vicinis venientibus,ad meliora incitatis non parum de rebus nostris satisfactum est, motique sunt ad fidem nostram amplectendam imprimis vxor & primo genitus,qui se Bongum,baptismi gratia,postquā orationes Christianas edidicissent,venturos promiserunt. Det iis Christus Dominus,vt sanguinis sui fiant participes. Parentalia verò hæc & medicaměta quæ miscemus, quæque in Nosocomio exercentur opera, maximè homines gentiles ad Christi fidem impellunt,Christianorum constantiam & in religione profectum augent.

Tria Iapanes ad christum impellunt.

Vigesimo secundo May ad nos venêre Facatenses viri honorati, vt significarent à ciuibus Christi fidem desiderari, rogarentque si aliquos qui Dei legem explicarēt,mittere vellemus,quorum alter totam familiā ad baptismū adduxit. Attulêre & literas ab opulento quodam Firandino,qui Facatæ habitabat, isque pręterquā quòd se templum suis sumptibus exstructurum reciperet,etiam atque etiam,vt Christi Euangeliū ibidem promulgaretur,rogauit. Quamobrē Pater videns sibi tantam pręberi, quod iamdudum cō ceperat, perficiēdi,occasionem,eam vtraque arripuit manu,misitque Aloysium Almeidam: qui vbi primum appulit,à Christianis exceptus, puerulos aliquot baptizauit. Cœpit deinde Euangelizare magno hominum concursu,tametsi intra decem dies sexaginta dūtaxat Christo lucrifecit.

Facatensiū conuersio.

Confe-

Conferens inde se Firandum, in reditu eos baptizaturum cum alijs quos ad id idoneos iudicaret, pollicitus est. Latius ipse oĩa perscribet, quæ in cõuertendis Firandinis, finitimisque populis Dei clemētia tā singulariter videtur nobiscū operari.

Anteacto anno 1560. sub Octobris finē scripsit Vilella Meaco de Bonzorum & quorūdam nobilium contra se, vt vrbe pelleretur, conspiratione. Quorum furori ad tempus cedens, apud Christianum quendā delituit; quæ res in magnū cessit bonum: Receptus enim denuò fuit, vel inuitis Bonzis, ad suam Ecclesiam, variisq; à Rege priuilegijs fideq; publica donatus, amplā Euāgelij segetem vobis metendam comparauit. P. Cosmas Torres adeo graphice depinget omnia, vt & vos huc aduolare, sat scio, gestiatis: ac periculum sit, ne Indiam deserere velitis. Modus Gētiles docēdi hic fere seruatur: primum quid ipse Deus sit, docemus: deindè periculum interrogādo facimus, quomodo hoc perceperint: cui rei, donec eius, quàm fieri poterit exacta cognitione imbuti sint, immoramur. Deinde rationibus varijs animæ immortalitatem inculcamus: his bene intellectis, mundi, Angelorum, primi hominis creationem, & horum lapsum proponimus. Tum necessarium fuisse, vt secunda in Deo persona ad hanc miseriarum vallem, quo nos liberaret, assumpta ex virgine humana carne sese demitteret, horrēda pateretur, victimā sese in cruce præberet, ac tū à mortuis excitaretur, tandem ad cœlum victrix mortis ac triumphatrix ascenderet. Decalogi explicationem adiungimus, quam cuilibet seruandam esse ex lege naturali, etiam non promulgato Euangelio, docemus. Dum hęc agūtur, Orationē Dominicā ediscunt,

Ratio docendi Gentiles. Christiana religio

P Saluta-

Articuli fidei Jesuitaz VIII

Salutationem Angelicam, Canticū vespertinū B. Virginis, atque hoc pacto instructos demum baptizamus. Quidam verò hæc quæ requirimus, octo, alij 10. alij 15. dierū spacio percipiunt, pollēt enim ingenio. Sunt qui antequam abluantur, ad vnum, aut duos menses cōcionibus audiēdis, & orationibus ediscendis apud nos vacare cupiāt, vnde fit continuò, vt sint qui ad baptismū Christi admittantur, ijque, sicuti Iapanes pleriq;, magna constantia præditi, quiq; ne ad latum quidē vnguem, etiā si cœlū cum terra misceas, à semel concepta religione dimoueantur. Domesticorū verò exercitia sunt huiusmodi: vna ante lucem hora, dato pulsu, omnes ad orandum sese cōponunt, deinde ad sacrū missæ sacrificium eunt: vbi verò doctrinā Christianam recitârunt pueri, iterū ad orationem conuenimus. Dū prandetur, legitur aliquid, vt neq; menti suum desit pabulum, aut concio habetur, quibus cū prandio absolutis, legūtur aliquot regulæ, cui addita narratione, ac virtutis tractatu: tū quisq; illi rei se applicat, quæ sibi ex officio incūbit, siue scribendū sit, siue legendū, siue doctrina Christiana pueris explicāda (quod fit ad duas horas) siue apud infirmos in Nosocomio concionandū, aut denique in linguam Iapanensem quicquā transferendū. In quo adeo iā laboratū est, vt Euangelia omnia, & conciones totius anni vulgari idiomati donatæ sint, (res apprimè vtilis cōcionatoribus ad Gentilibus aliquid nostræ legis enarrandū). Nunquā enim iam desunt auditores, etiam ex Amanguco, Facata, Firando, qui huc commeāt, aut hospitātur, vel confitendi causa, vel vt Christi quam adepti sunt gratiam foueant. Sed, vt ad domesticas nostrorū functiones redeamus, ijs qui in Nosocomio occupati

Domestica exercitia pietatis.

cupati

ſupati fuerunt,domum reuerſis, fit oratio, dein ad propria munia quiſque, donec cœnæ tempus ſit,reuertitur. Inter cœnandum puerorũ, aut noſtrûm aliquis cõcionem habitam,quam memoriæ mandauit,recitat. A cœna verò communes aliquot referuntur regulæ, breui rurſum adiecta explicatione, & in memoriã reuocantur nõnulla de meditationibus diurnis:& ſi quid boni eſt, in cõmune cõfertur. Inde litanię dicũtur. Poſtremò hora inſumpta actionũ diſcuſſioni,& meditationi ſomno nos damus,dominũ orantes,vt in ipſo vigilãtes mortẽ animæ euitemus. Interdũ tã nosq̃ pueri,qui ſcholas frequẽtant,Chriſti paſſionẽ meditamur:idẽ pręſtãt ciues Bõgani, qui ſtatim ad æris ſonitũ, ſiue in tẽplo tũc tẽporis fortè ſint,ſiue in ſuis ædibꝰ,orationi ſe dãt:& qui meditationis ignari ſunt,quinquies orationẽ dominicã,totieſque ſalutationem Angelicam repetunt.

Rerum temporalium cura penes Ludouicum Almeidam eſt,qui circa Auguſti finem Firando, quòd febri & ventris fluxu laboraret, rediit: & nunc etſi meliuſculè valeat, cum morbo tamen conflictatur. Deo propitio conualeſcet,vt gratia talentaque,quibus præditus eſt,cedant in cõmune Chriſtianitatis commodũ: ad fidei enim negotium in his regionibus, quæ operarijs miſerè deſtituitur,natus videtur. Officia domeſtica Iaponibus,qui apud nos degunt,Rector commiſit: manè eis præſcribit quid toto die agendũ ſit:eiq; veſperi rationẽ reddunt.eorũ quę egerunt:noſtro more hi quoq; orant. Solebamus nos molã vertere, frumentumque molere, aut orizam piſtillis tundere: cuiuſmodi exercitijs non leuiter vires corporis augeri percipimus. Verùm in Iapanenſem iuuentutẽ, ne otio torpeſceret, periretque

quicquid vtile,& sanitati conducens habebat,hoc laboris reiicere fuimus compulsi. Templa in Iapania iam nuper erecta hæc sunt : Meaci vnum, vbi P.Gaspar Vilella degit.Sacaiæ alterum , nemo tamē nostrûm ibi agit. In alio loco,qui 40. leucis Sacaia distat, de alio erigendo iam dudū agitur, dque nobilissimi viri, qui ad Christum conuersus est,opera,qui ob eam rem aliquem ex nostris præstolatur.

Templa noua.

Amanguci domus nostra ab inimicis crucis Christi exusta est: solum quoque in alterius venit potestatem: verūtamen nouum erectum est templum , communi Christianorum sententia, locum ditior aliquis ex ijs concessit.Necdum tamen nostrum aliquis eo missus est:quòd is in cuius potestatem venit , Regi Bongano aduersetur,ab eo breui spero capiendus:iam enim multi milites eò sunt profecti . Missis tamen eò aliquot imaginibus , spem simul Christianis exhibuimus, venturos quosdam ex nostris, vt primū rumores belli cessabunt. Tantum fuit horū erga Christum studium,cum pastore carerent, vt dominicis diebus antequam templum haberent,soliti sint apud eum qui inter ipsos doctior habebatur,quod magnam scripturæ sacræ partem patrio idiomate haberet traductam, conuenire. Hic etiam & concionari ad populum,& infantes baptizare minimè veritus est, habita ad huiusmodi peragenda à Patre potestate . Maiores natu quoque in rebus fidei catechizabat,& ab idololatria omni studio auellere conabatur,adhortans quoque vt baptismi causa ad nos se conferrent. Hinc factum est,vt plurimi fuerint Amanguci Catechumeni, partimque ad nos venerint, vt baptismū susciperent: inter cæteros duo tā ardenter

Domus Societatis Amangucana exusta. Amangucanorum constantia.

denter,tantaq; animi cōſtantia Chriſti fidem ſectabantur,vt inuitis parentibus biennio perſeuerantes, orationes, & res noſtræ fidei ad vnguem edidicerint,tandemque magna animi ſui conſolatione religioſe admodum abluti ſint.

Facatæ quoq; templum opera Baltazaris Gagi erectū eſt,ſed magna ex parte ortis belli tumultibus deſtructum:paulò tamē pòſt Chriſtianorum opera & reſtauratum,& egregiè excultū. Agitur & de templo in quodam alio loco. Firandi verò quinque numerantur. Cutami ſatis magnificum iam erectū eſt:diſtata ūt hinc 27. miliaribus. Cāgaſſimæ,in quē portum primùm B.P.Franciſcus appulit,præter bene paruā,& ex paucis viuis lapidibus conſtructā Eccleſiam, templū aliud non eſt, tametſi quidam ibidem magiſtratū gerens, ad nos conquerendo ſcripſerit, mirari ſe quid in cauſa ſit,quo minus Luſitani eò veniant. Cui reſponſum eſt: Vtcū eo qui ibi præeſt,de tēplo agat,facultateq; tuto prędicādi in vniuerſo regno, nō defore Luſitanos, q̃ eò veniāt:ſed fidē ibi publicā obtinere difficile eſt. Poſtremū verò Bōganū eſt,operariorū ſi quod aliud,mirè inops. Hæc & ſimilia frat. chariſſimi,vos huc euocare meritò debent,nec alio ferè opus eſt, q̃ vt q̃ citiſſimè veniatis, voſq; vrgeat P.M.Coſmæ Torrēſis canicies, qui etſi in ſenili corpore robuſtum gerat animum, præter opinionem tamen, cùm ipſam cœleſtem prouinciam petet,& hoc deſtituemur. Quocirca quantū poſſum, vos per Chriſti immēſam,qua nos proſequutus eſt,charitatē obteſtor, vt nos precibus veſtris,ſacroſanctiſque ſacrificijs diuinæ ſuæ M.cōmendetis. Bongi 8. Oct. 1561.

Facatæ tēplum reparatum.

Alterius tēpli conſtructio. Firādi 5. templa.

Cutaminū templum.

Iuſſu R.P.Coſmæ Torris.

Seruus inutiliſsimus in Chriſto. Ioan. Fernandes.

EX EPISTOLA LAVRENTII *ad Prouincialem Indiæ, & alios Societatis Fratres.*

Spiritus sancti gratia sit semper in vobis.

MVLTVM me literæ vestræ recrearunt, vt hinc facilè conijciam, vos quoq; rerum hic gestarum in promouenda fide cō memoratione delectari. Cùm peruenissemus ad montē Fionoiaman multis Bonzorum monasterijs, ipsorū antesignano, & doctoribus totius Iapaniæ celebrē: ad Bonzum Daiembū, ad quē literas habebam, accessi. Quibus ille lectis, & causa nostri aduentus cognita, respōdit suū, & aliorum ibidem agentiū primarium, qui fide Christi imbui desiderasset, è viuis excessisse: se verò nihil vel imperij, vel authoritatis in eam rem conferre posse: vt ad fidem cæteri inducantur, priuatus in monasteriolo quodā degeret. Postridie M. Gaspar Vilella hominem quoque accessit, quo cum & aliis ipsius decem discipulis familiariter multa de rebus fidei tractauit, & quidem fœlicissimè: arridebant enim omnia. Verùm se eam amplecti, vel profiteri audere negabāt, nisi apud magnum Bonzum Finoiamatanū prius hac de re egissent, & spem esse vt per virū quendā nobilē eò deduceremur. Verùm cùm is negaret se hoc laboris subiturum, ad Daiembū redimus: ostēdimus ipsi vnū esse Deum Creatorē cœli & terrę, animam item esse immortalem, de Angelis quoque egimus: quæ omnia attētè quidē audiuit, sed vereor ne ad dānationem maiorē: qui ne aut à suis occideretur,

Metu mortis Christi legem non amplectitur Bōzus.

deretur, aut grauius in vulgus de se aliquid spargeretur, Baptismũ non admisit. Monuit tamen Gasparũ, vt ad alium, qui inter primarios nobiles habebatur, Fionoiamatanũ iret, per quẽ fortè ad magnum Bonzũ, qui ipsis veluti summus est Põtifex, admitteretur. Cùm & hunc conuenisset, cõstanter ille asseuerauit, Patrẽ ad disputationẽ cũ magno Bonzo de legibus & ritibus suis non admittendum fore, imò ne ad videndum quidẽ ipsum monasterium, nisi munus aliquod adferret. Cùm itaque nulla restaret spes Euangelizandi Fionoiamę, Meacum profecti sumus, vbi quoque 14. dies nullo fructu, quòd omnibus essemus ignoti, transmisimus: quare ædes esse mutandas duximus, nec frustra. Maior enim fructus fuit cùm tandem etiam studio Bonzi cuiusdã viri admodum honorati, M. Gaspar ad Regẽ Gungam, cui vniuersa paret Iapania, sit introductus (est ibi & alius Rex Bon nomine, pręcipuus quoq;, sed pręter nomen Regium nihil rei sortitus) Hic Patrem accepit humanissimè, & in beneuolentiæ signum ex proprio scypho ei potum obtulit. *Rex quidã Iapaniæ nomine dũtaxat.* Visit prætereà Mioxindonum, qui à Rege secundus est in hoc regno, vt ipsius fauorẽ obtineret. Cumq; rumores spargerentur, carceri Patrẽ mancipatum esse, Meaci Gubernator edixit, ne quis ipsum offendere auderet: atq; hoc modo hi quoque rem Euangelij promouerunt. Deinde tertio ædes mutauimus locũ eligentes, ad quẽ etiã maior videbatur futur⁹ populi cõcursus. Multis itaque tã vulgaribus, quàm Bonzis cõfluentibus, disputatũ est: nemo tamẽ verbo Dei fidẽ adhibuit, *Bonzi ad disputationem confluunt.* sed alij blasphemijs, alij maledictis & sannis nos impetebant. Aderant & duo Bonzi sectæ Foquexorum, qui præ cæteris docti habebantur,

Bonzi Foquexi doctiores uidẽtur.

quòd omnes libros Iapanenses, in quibus de cœlestibus, & terrenis tractatur, se legisse iactitarēt: sed luce clarius euasit nullo niti fundamento omnia quę legissent. Bonza vna admodum honorata femina sola baptismũ petijt, impetrare tamē non potuit, donec res fidei plenius edocta esset. Adhæc venêre ad nos, sed noctu, duo Cungi homines magni in hoc regno nominis, verbi, fideique auiditate exciti, qui dignitate quidē Regem Bonganum superant, non tamen diuitijs & potentia. His attentè nos audientibus planè satisfactum est. Baptizatus etiam fuit quidã Amãgucensis Iquimaca nomine, vir maxima nobilitate, vna cum decem alijs. Itaque rebus paulatim succedentibus, importunitate & minis Bonzorum compulsus est hospes noster nos domo dimittere: cessimus. Sed ecce, dum vix ab alijs recepti sumus, maleuolorum improbitate pueri in nos concitantur, odioq; ita accēduntur, vt saxis & arena nos penè obruerent, risibus, scommatis, ludis, denique quibuscunque poterant modis nos infestârant: quæ ne sim prolixior, missa facio. Horum insultibus, gratia DEI, patientia restitimus, pergentes nihilominus verbum Dei palam vsque ad mensem Aprilem exponere, nec id sine fruge: centum enim Christi fidem susceperunt. Accessit quoque nos disputationis causa Fionoiamatanus quidam primarius doctor, qui etsi semper victus abierit, nunquam tamen pertinaciam exuere voluit. Venêre insuper quinque Bonzi de secta illorũ, qui Muraxaqui dicuntur, meditationibus, quas profitētur, dediti, astutè adeò suas patri proponentes quęstiones, vt hinc patuerit, quãta sit dæmonũ, eorũque quos instruit in perniciem multorum, vafrities.

Primates ad Christi doctrinam conueniũt.

Primarius cũ alijs 10. baptizatus

Persecutio.

Bonzi uariarum sectarum disputãdi gratia accedũt

Secta Muraxaqui.

Sed

Sed præualuit Deus, vt non ſine pudore ipſis abeundum fuerit. Venerunt & alij duo literati tentaturi quid poſſent, de hæreſi Temdaixu: quibuſcum de noſtra & ipſorum lege inſtituta diſputatione, tandem victi veram eſſe Chriſtianorum legem confeſſi ſunt. Paulò pòſt alter ipſorum rediit, amicitiæ ſigna multa præ ſe ferens: & poſt aliquot interrogationes, vnum eſſe Creatorem rerum omnium, animæque immortalitatem ei demonſtrauimus. Quare ipſe conſtanti, & indubitato animo in hæc verba prorupit: Doctrinam Xaccæ inniti ſuper materiam primam, hoc eſt, vanam & nullam eſſe, clareque ſeſe intelligere, quantum Iapanes, qui à ſcriptis Xaccæ pendent, procul abſint à rei veritate: baptizatus tamẽ non eſt. Alius præterea literatus, & in omnibus quos hic habent libris, apprimè verſatus, volens de dubiis aliquot extricari, poſt varias quæſtiones, animæ immortalitatem, vnum Creatorem omnium intellexit: ſed quòd eſſet cœno voluptatum, libidinumq; adeo inuolutus, vt nec cum vna coniuge conſideret ſe caſtè viuere poſſe, Chriſti ſacris imbui noluit.

Sectæ Ten daixu.

Bõzus ſuas ſectas damnat.

Veritatis cognitio non beat.

Quantum poteſt pec candi conſuetudo.

Narrabo modò riſu dignam (ni fletu mauis) hiſtoriam, quæ Dei tamen bonitate ſortita eſt felicem exitum. Quidam Bonzus Quenxu nomine, qui in meditationibus triginta iam inſumpſerat annos, duos Meacẽſes adiit primarios doctores, vt cum ipſis de veritate & fructu meditationis conferret. Approbant illi eius ſanctitatem, data quoque fide publica, cui propria ſubſcripſẽre manu: quod apud eos tanti habetur, quanti apud nos, vt dicimus, Canonizari. Itaque pro more & gentis conſuetudine hac vna re cathalogo aſſcribunt diuorũ, & in cathedra ſublimi poſitum

Apotheoſis cuiuſdam Bonzi.

dicti

dicti literati, adorant primi. Hic deinceps aliis prescribebat sentētias meditandas. Curauit quoque in suis ædibus depingi agrum demessum, atque in medio arborem siccam, subscriptis hisce versibus.

Sicca precor referas, quis te plantauerit arbor.
Cuius principium nihil est, nil deinde futurum est:
Vt quoq; nil fuit ante meū cor, nilque futurum est:
Sed perit assiduo, paulatim & ad ultima tendit.

Bonzi fastus.

Et huic picturæ tanquam sacræ subscripserunt cæteri literati. Venit igitur is ad nos, doctrinæ, & sanctitatis opinione inflatus, asserens se certo scire, quid antequam esset, fuerit, quid modo esset, & quid à funere futurus esset, & ob id planè se nihil curare omnia quæ de modo quo saluari posset, dicerētur: nisi fortè talia, vt noua quædam animi recreandi causa, audire luberet.

Eiusdem conuersio.

Verùm post multa verba, non tantum potuit hominis superbia, quantum Christi bonitas, qui & ipsum sacro baptismate tingi voluit. Cuius conuersio multorum postea causa salutis fuit, omnes enim hunc Christianum effectum esse, vt inexpectatum fuit, ita nunc summoperè mirantur. Alius etiam Bonzus, qui annos 40. in meditationibus triuerat, fidem amplexus, adeo religiosè se rebus Christianis accomodat, vt tam etsi senex sit, non prætermittat tamen à duobus miliaribus indies venire, vt conciones nostras audiat, semperque aliquid quo melior reddatur, secum referat.

15. Bonzi Christiani sunt.

Quindecim præterea Bonzi Christiani effecti, libris omissis & discipulis contemptisque patriis ritibus, partim vni adhærere vxori, partim castitatem seruare in animum induxerunt, quod in Bonzis mirum est, effrenatè enim sunt libidinosi

dinosi, ideoque meritò Dei laudes magis efferendæ sunt, qui tantis è tenebris ipsos ad Euangelij lumen traduxerit. Accessit nos & alius Bonzus Farimanus, qui non solùm à piscibus & carnibus abstinebat, sed nec tritico, nec oriza, nec hordeo, nec milio, nec vllo genere leguminum, sed solis herbis & quibusdam fructibus vescebatur. Hic vouerat doctuum se gratis centies millies librum quendam Xaccæ Foquequium nomine, tantum vt saluari posset. Abstinentia Bonzij

Somniauerat ante annos 10. se quibusdam Patribus adfuisse, qui ex Chenchiquo venerant, salutisque viam se ab his didicisse: cùm igitur audiuisset à dicto loco Amangucum P. quosdam venisse, & alterius vitæ res publicare, eò se recepit: auditisque postea aliquot concionibus nostris, fidem Christi abiectis votis, amplecti in animum induxit.

Alius quoque non solùm de Contemplãtium genere, verùm etiam Princeps, adducto vna secum ex suis perito concionatore, de nocte occultus ad nos audiendi Euangelij, & sermocinandi cum Patre, gratia venit: tandemque fassus est Iapanum leges nullis rationibus stabiliri. Multi præterea famuli cuiusdam Cogni, cui nomen Ixendono, baptizati sunt. Nuper quoque tres primarij contemplatores cœpêre nostras frequentare conciones, & ad fidem nostram adeo inclinari, vt post 4. dies apud se statuerint sacris aquis ablui: quorum ad Christum conuersio plurimum attulit emolumenti, tum nouis Christianis, tum illis qui ad fidem nostram aliquo modo propensi sunt.

E territorio quoque Meacensi multi ad Baptismũ confluxêre, famaq; aductus nostri Bandoum

vsq;

Bandou Iapana academia.

vsque peruenit vrbem,600.miliaribus hinc dissitam, studiorum Bonzicæ religionis matrem & præcipuam Academiam.

Inuenimus hic Cosmam quendam ante annos sex S. Baptismate ablutum, adeò (mirum dictu) in fide integrum & religiosum, vt dici non possit, maximè cùm semper inter infideles egerit. Is simulatque de nobis audiuit, accurrit relicto patre, matre, & omnibus suis rebus. Christo iam seruit in castitate, per omnia patri nostro obtemperans, det Deus tam bonis initiis parem exitum ad maiestatis suæ gloriam. Addam & illud quod sectarij Fochexu, qui præ cæteris sectis religiosiores haberi volunt, auditis fidei nostræ rebus & viuendi modo, Christianisque ritibus perspectis, omne ferè erga suam religionem studium abiecerunt, non parum etiam offensi in Bonzum primarium, quem pari modo cum suo, quem adorant, Xacca, prius venerabantur, exprobrantes ipsi, Christianorum Patrem castè viuere, vxorum multitudinem improbare, vt quilibet vna contentus sit docere, cùm ille interim & plures habeat, & mercedem pro docendi labore exigat, quod à Christianorum more esset alienum. Adhæc cùm alios ad abstinentiam hortetur, occultè & piscibus & carnibus vescatur, quare & eiicere ipsum monasterio statuerunt, & in ipsius locum probæ vitæ pauperem aliquem sufficere. Ex his satis manifestum esse potest, Christũ cœptis nostris, imò suis fauere magis magísque.

Religiosiores Bonzi ad Christũ inclinati.

In suũ primariũ offensi.

Principio enim nostri aduentus, Meacensiũ quidam nos simias, alij vulpes, tandem etiam dęmoniacos, & Antropophagos non sunt veriti appellare. Accidit quoque nostra in vicinia ignem nescio quem videri, quem nostris incantationibus asseri-

aſſcribebãt, magos hac occaſiõe nos appellãtes, nec Dei, ſed dæmonis propagare leges nos aſſerebãt. Imò verò longè aliter res noſtras interpretantur: qui enim de ſecta ſunt Semogogion, doctrinam noſtram eſſe Nicchij cuiuſdam, quem ipſi prædicant: qui Leuxu neſcio quem, ſequuntur, eam eſſe Fombeni, quem aſſiduò meditationibus venerantur, dictitant, Sectatores verò Foquexi noſtram doctrinam à Mio quodam ſuo, quem colunt, ortam aiunt: qui à Sondoxu dicuntur Amidæ: Sectarij Xynti noſtra Eocuyo ſuo attribuunt. Summa, omnes ſectæ noſtram doctrinam fatentur fundamentum eſſe ſuæ religionis, vſque adeo vt parum abeſſe videantur à legis quam promulgamus, & Creatoris omnium agnitione: confidimus per DEI immenſam miſericordiam ipſis datum iri gratiã, qua ſacroſanctam ipſius Maieſtatem agnoſcant, ament, & perpetuò laudent.

Bonzi ſuas ſectas a Chriſti lege ortas fabulantur.

Secta Semogogion.

Nicchi pro pheta.

Fombẽ pro pheta.

De hoc nemo nisi in sanis dubitaverit.

Finem faciam, vbi Bonzi cuiuſdam qui in Ioſu agit, inſaniã, & quorundam aliorum retulero. Ille igitur eo venit demẽtiæ, vt doceat primũ dimicare, ac deinde occultè tradat meditationes, quibus perſuadet, ſine peccato licere etiã patrem & matrem occidere, & vt populus iſte etiam ad malum eſt admodum procliuis, proh dolor, in tanta inſania non deſunt ſectatores.

Execrãda religio.

In alia verò vrbe Bonxu ſecta emerſit, quę lupum adorat, rogantque vt in lupos conuertãtur, vbi ad alteram venerint vitam: errores hi, & meræ inſanię non aliunde naſci videntur, quàm ex perfida, cœcaque Iapanum religione. Multi enim ipſorum credunt ſe, antequam naſcerentur, iam olim in mundo fuiſſe, & poſt mortem in plantas, vermes, homines, & alia animantium genera con-

Lupus adoratur.

Metempsychosis

conuertendos In lupos mutari potius deſiderãt, quod hoc animal aliis terrori ſit,ac dominetur: diſcuſſis tamen errorum tenebris,ſedulò ad Chriſtũ conuertũtur. Vos oro fratres mei, in Chriſto chariſſimi, vt mei & Iapanum memores in veſtris orationibus ſitis, & idipſum à Chriſtianis aliis contẽdatis per Chriſti ſanguinẽ precor: veſtris enim precibus hiſce in regionib⁹ planè eſt opus.

Meaci 2. Ianuarij 1561.
Indignus in Chriſto frater veſter
Laurentius.

EX LITERIS ALOYSII *Almeidæ ex Bongo 1. Octob. Anno 1561.*

Gratia & amor æternus Ieſu Chriſti D. & redemptoris noſtri ſit ſemper in animis noſtris.

PLVRIMVM veſtris literis debem⁹ chariſſimi fratres, tum ob amorem veſtrum erga nos ſingularem, quem ſpirant,tum ob eximium nos adiuuãdi deſiderium, quo vos teneri ex iis animaduertimus. Dominus Deus rependat, quod alioqui vobis reddere non poſſumus. Ne tamen ingrati videamur, ardentibus, planéque Chriſtianis veſtris deſideriis aliqua ſaltem ex parte conabor ſatisfacere: præſertim cùm id muneris mihi ab obediẽtia iniunctum ſit, atque ea quæ hoc anno in gentilium conuerſione contige-

tigerunt, breuiter perſcribam: & quia ſcribere, nec ægritudo, nec occupationes permittunt, charitas Chriſti, quæ nos vnum fecit, efficiat, vt hęc epiſtola, tametſi ad omnes ſcribatur, ad vnumquemque priuatim ac peculiariter ſcripta eſſe videatur.

Intelleximus odium Bonzorum in Gaſparum Vilellam nonnihil remiſſum, grauia per Bonzorum nequitiam paſſus eſt, dum quotidianis progreſſibus (tametſi non quantum ipſe cupit) augetur Chriſtianorum numerus, inter quos viri aliquot honorati, rerumque naturalium non imperiti cenſentur. Varias epiſtolas à Chriſtianis recepimus, & inter alias vnam quinque foliorum quæ plurimum ſolatij Chriſtianis omnibus huius loci, in quo verſamur, attulit: ſæpe enim dum per omnium prope Chriſtianorum tranſit manus, tranſſcribitur, hique eam quoque gentilibus legunt, ob id potiſſimum quod in Iapania 20. religione diſcrepantes ſectas eſſe doceat: nullam verò ratiõe aliqua ſtabiliri poſſe: verùm ſolam Chriſti legem & veram eſſe & ſalutarem, nec fore ſtabilem concordiam in Iapania, priuſquam Chriſtianè viuendi normã admittant, idq; multis rationibus clarè in ea confirmatur.

Literæ Chriſtianorũ Meacenſum ad fratres cõuerſus.

Saquaiam, quæ duorum dierum itinere Meiaco diſtat, modò properat Vilella, quod vir quidam nobilis domum ſuam obtulerit, ad verbum Dei populo proponendum: tantumque eſt viri huius fidei promouendæ deſiderium, vt id non ſolum cum P. M. Coſma Torres Bongi agente communicauerit, verum etiam de hoc eum miſſis muneribus obnixè rogauerit.

Saquaio urbs maxima.

Magnus ibi ſperatur fructus, quãdo & libera ciuitas ſit, & inter Iapaniæ maximas habita. Bõgana

verò

verò Ecclesia, quæ totius Iapaniæ est maxima, Dei misericordia quotidie incrementum sumit: testatur id tam feruor eorum, qui Christum sunt amplexi, quàm qui quotidie ad Baptismum accedunt, vt ex iis quæ subiiciam, non obscurè intelligetis. Vix vna nox elabitur, quin sint aliquot, qui non leues in templo pœnitentias agant, dū Christi flagella, passionémque recolunt. Diebus verò Veneris idem à plurimis fit, vsqueadeo vt non pauci domi quoque suæ eadem in se animaduersione vtantur. Adhæc singulis diebus, mane, etiam si pluuiæ aut niues infestent, templum tamen hominibus plenum semper conspicitur, tum vt sacrificio missę, tum vt doctrinæ Christianæ institutionibus intersint, tantaque est visitantium diligentia, vt non raro antequam templum aperiatur, adsint pro foribus. Diebus verò festis celebrioribus necesse est vela & pannos circa tēplum tendere, sub quæ se populus recipiat, quòd in huiusmodi festis maior etiam sit ad confessionem concursus: mitto eos qui decimoquinto aut octauo quoque die confitentur. Magnam sanè Deum laudādi id materiam præstat nobis, quòd tempus Quadragesimale tanta cum pietate, quæ quotannis crescit, transigi videamus. Interea dū Christi corpus in sepulchro recōderetur, magnus semper fuit, & continuus eorum numerus, qui Christi flagellationem, passionemq; commemorabant, quos ob multitudinem sibi inuicem ordine succedere oportuit, adeoque dirè hi pœnitentes in sese animaduertunt, vt non meminerim antea tale aliquid me vidisse. Mirum dictu quantoperè ad pœnitentias etiam graues totus hic populus incendatur, quantoque teneatur salutis desiderio, dum ita pœnas non sine lachrymis ob com-

Bōgana Ecclesia reliquas Iapaniæ superat frequētia.

Pœnitētiæ Iapanum.

Frequētes errorū confessiones.

commiſſa peccata ſubit lubens, & alacri animo, inſigne ſuæ pietatis & religionis teſtimoniũ exhibens. Adeóque in hoc exercitio feruẽt omnes, vt plus ſatis occupationum quidam habeat in curandis, tametſi fœliciter, horum plagis. Interea etiam pueri qui elementa diſcunt, in ſupplicationem prodeunt, Chriſti paſſi myſteria geſtantes, quæ populo adeo graphicè explicare norunt, vt non ſit, qui ſe à lachrymis temperet. Poſt deinde iis quę gerebant, poſitis, dum cantarent 50. Pſalmum, re ipſa Chriſti flagella memorabant. Tum verò, nullum adeo durum fuit cor, quod non conſpecta pietate, & animi affectu in tam tenera ætate ſit emollitum. Hoc lugubri finito actu, ad locum cui à Miſericordia nomẽ eſt, properantes, vbi ingẽs crux in loco patulo conſpicitur, ad eamque gradibus lapideis aſcenditur: fuſis precibus circa veſperam finem actioni impoſuerunt. Quantam verò hæc lugubris feſtiuitas attulerat mœſtitiam, peccatorumque compunctionem, tantam lætitiam attulit matutina Paſchæ lux. Inſtituta enim fuit, longè tamen diuerſo modo, ſupplicatio, in qua pueruli candidati procedebant in pectore cruce inſigniti, roſis floribuſque redimiti, lætitiæ Chriſti myſteria depicta gerentes, ſacroſanctũ corporis Chriſti ſacramentum ordine ſequentes: rurſum quiſque eius quod gerebat in picturis rationem, vt edoctus erat, reddebat, quod populo fuit & loco concionis, & magnæ conſolationis occaſio.

Supplicatio puerorũ lugubris.

Flagella eorundem.

Supplicatio exultationis.

Natalis quoque Dominici feſtum magna celebritate peractum eſt: Iapanes enim ipſi varias ſcenas, ſacroſque actus, ſcripturęque ſacræ hiſtorias ad viuum exhibuêre, adſcriptis verſibus, quæ ſummatim rem cõplectebantur: nec nõ Muſica

pro more gentis addita, vocibus modulatis rem totam illustrârunt. Mirum dictu quantam hi præstent Patri nostro obedientiam omnes, vsque adeo vt cùm quidam sexagenarius eorum qui iam dicto loco præsunt, cui Misericordiæ nomen esse diximus, præcipuis, eleemosynam sine facultate cuidam fuisset elargitus, iussus pœnam quandam subire, fecit statim perquàm libēter, nec mirum: adeo enim pœnitentiæ actibus, pietatisque sunt dediti, vt sphęrulas precatorias è collo, flagella verò in pera plerunque circunferant, quod etiam in pueris factitatum videre licet, qui à sexto aut septimo ætatis suæ anno sese loris cædere assuescunt, sanè res hæc magnam omni pio homini gratiarum agendarum Omnipotenti Deo suppeditat materiam. Incredibile fortè alicui videbitur cuiusdam adolescentis 20. annorum, qui magno tenetur Deo seruiendi desiderio, factum. Hic cū iniussus in templo hortaretur quandam fœminam, ad scelera sua confessione expianda, iussus pœnas subire, quòd contra leges fœminam alloqueretur, subitò palam sese despolians, in se dirè animaduertit. Admirationi certè nobis fuit hoc nouitij, & iam recens in domum nostram admissi, tam promptū & pręclare factū. Multa à nobis dignissima admiratione quotidie in pueris, qui nostras frequentant scholas, obseruantur, quorum multi nihil æquè norunt, atque Christianas recitare & cantillare institutiones.

Iapanū obedientia.

Puerorum & seruorū pium studium.

Non procul ab Ecclesia nostra platea est, vbi vndecim aut circiter sunt Christianorū familię, quorum filij & serui audito æris sonitu, qui ad salutandam beatam virginem editur, ad crucem collecti, flexisque genibus doctrinam Christianam clara voce ad horæ vnius spacium tanta

con-

constantia quotidie cantant, vt nullum prætermittant diem: idque faciunt non à nobis, verùm à suis parentibus & heris moniti, qui, vt cum famulis etiam infantes cum lacte imbibant Christianos mores, efficiunt. Parentes quoque suos filios nobis offerunt, vt Deo deseruiant, quos domi sacra doctrina imbuimus: & vt aliquando ad populum docēdum apti sint, instruimus: hi enim quotidie ferè domi nostræ inter edendum, de piis rebus, aut iis quas in scholis audierunt, concionantur. Horum maior (etsi omnes pietate singulari sint præditi) qui annorum est 13. religione excellit, & cùm Christi passionem legit, incidēs in loca, quæ affectus magis inflammant, non potest etiam in aliorum præsentia, lachrymas cohibere. *Pueri concionari discunt.*

Ipsimet quoque Iapanenses, dialogos de Christi passione conscribunt, tanta arte & religione, vt facile lachrymas audiētibus excutiant: hi sunt qui miro modo rem Christianam promouent, quòd proprio idiomate sensa mentis melius exprimant, & maior gustus spiritualis oriatur. Quinque huiusmodi viros domi nostræ habemus magnæ virtutis, quorum vnus Meaci cum Vilella agit, tres Bongi, alius mecum peregrinatur: nec mirum nos horum libenter vti opera: Iapanes enim præclaro concionandi dono natura præditi sunt. Et is qui mecum agit Iapo, tanta dicendi pollet gratia, vt audientium corda & animos rapiat: annum agit vigesimum secundum, memoriter tenet magnam sacræ scripturæ partem, nouitque leges omnes Iapaniæ, quas conuellit, & destruit efficacibus rationibus: tantáque dexteritate & gratia, vt maiori vix possit. In rebus naturalibus etiam tantum profecit, *Iapanes de Christo dialogos doctos conscribunt.*

vt omnes facile Iapaniæ literatos confundat. Det Deus ipsi gratiam, vt diuino amore vniuersam accendat Iapaniam. Ex nostris verò Iaponicę linguæ cognitione nos omnes superat Ioannes Fernandes.

Decimo sexto Iunij missus sum Facatam, & ad duas insulas, aliaq; loca, vbi multi degũt Christiani, hortaturus eos, vt in bene cœptis pergant, Christo fideliter adhærere. Facatensium quidam vir primarius suam obtulit operam, & impensas in templi exstructionem, & aliquot fratres alendos ex nostris: cœptum iam est opus Dei gratia. Ciues verò Christiani cùm nos aduentare intelligerent, Facata egressi, ad miliare vnum, quidam verò amplius, nobis venêre obuiam, magnamque sanè lætitiam declarârunt. Hæsi apud ipsos ad dies 20. quo tempore circiter 70. Christo nomen dedere, atque inter eos duo Bonzi, in Iapanensium sectis bene versati: quorum alter fuerat Regis Amangucensis olim concionator, vir grandæuus, robustus tamen: cuius conuersio plurimum rem Christianam iuuabit.

Templum Facatæ fit.

70. Facatæ baptizati.

Septimanam integram hic disputationibus, dubitationibúsque insumpsit, singula propria manu scriptis mandans. Cognitionem Dei veri hisce rebus adeptus est. Docuimus esse vnũ omnium rerum creatorem, qui & animam immortalem creauerit. Intellexit ad hæc hominis lapsum, & suæ mortalitatis & damnationis causam: nec potuisse se à miseriis, in quas lapsus erat, extricare, nec sine diuino auxilio erigere: quare necessum fuisse Deum hominem fieri, pati acerba, mori denique, vt nos à mortis seruitute sempiterna, cui eramus obstricti per peccatum, liberaret. Nam si fuisset tantum homo, qualem fuisse olim Amedam

dam & Xaccam ferunt, harum gentium Idola, genus humanum redimere non potuisset. Hæc & similia alia, homini persuasimus, & baptismate sacro cum 18.aliis abluimus. *28.cū Bonzo baptizati.*

Placuit etiam diuinæ bonitati duos inter cæteros grauissima detentos valetudine sanitati peculiari modo restituere: quorum alter sibi ob intolerabilis capitis dolores, manus non semel inferre voluit. Alterū verò fœda admodum lepra toto corpore infectum ob deuotionem & pium animi affectum, quem ipse, & Christiani ergà nos habent, ad quendam ex nostris adduxerunt, existimantes nos posse hunc sanare. Cui responsum est, deesse medicamentū tali pellendę ægritudini: ne tamen mœrore affectus domū reuerteretur, iussimus medicamen non ita comparatu aut factu difficile, confici, quo vsus, post tres dies non sine Dei singulari auxilio, ita sanus, ac si nūquam lepra laborasset, ad nos rediit. Ego meæ infirmitatis memor, confundebar, videns tantam fidem: quare eum admonui, vt sibi persuaderet, nō medicinæ vi se liberatum esse à lepra, sed hoc Deo, qui per fidem istud esset operatus, asscriberet. Petiit hic subitò salutaribus ablui aquis, quod etiam obtinuit, cum altero illo qui doloribus capitis antè conflictatus erat: nam vtcūque nostræ fidei res tenebāt. Dum hæc geruntur, recedēdum aliò erat: expediens itaque, fidem dedi de reditu, abiiq; viri duo primarij me deduxerunt, qui donec redirem, mihi adhęrere constituerāt: quorum affectum considerans, & firmum animi propositum, noluí eos itineris merito priuare. *Admirabilis lepræ curatio.*

Vltimo itaque Iunij ad insulā Tacuxumam, vbi circiter 500. degunt Christiani, me contuli. Complectitur hęc insula circiter duas leucas, pa- *In insula Tacuxuma 500. Christiani.*

 riterq;

retq; cuidã principi Firandino Christiano, nomine Antonio. Octo gentiles qui in insula de gẽtilismo reliqui erant, baptizaui. De his insulanis id vobis persuadeatis velim fratres, si vnquam Angelorum imaginati estis sodalitium, hoc ipsum habere hanc insulam. Vnicum enim his hominibus est solatium, diuinis officiis interesse, & templum frequentare, quod pro conditione regionis bellè ornatum habent. Maior quoque pars horum doctrinam Christianam nouit. Ipsis quidam Bonzus iam Christianus præest, vir planè bonus, qui vicem nostram obit magna fide, adeq; probè illos instituit, vt miremur plurimũ. Societatẽ quoq; Misericordiæ Insulani instituère, ad elargiendũ eleemosinas egenis & peregrinis: ij quoq; hunc suum Patrem spiritualem alunt ex redditibus Idolij cui primò præerat idẽ Bonzus, quod superest, in pauperes erogatur, & in eos qui religionis ergo ad hanc insulam diuertũt, quos non esse paucos animaduerti. Hisce 15. diebus quibus hic hęsi, me, & alios quinque ita excepère, vt Regem non possent splendidius: idem factitant & liberalius Insulani Yquicuquini, quorum tẽplum opulentius est, & eleemosynæ largiores, Christianorum quoque numerus maior, verùm hoc non ita peculiare hisce insulis esse putetur, vt etiã omnibus Ecclesiis commune non sit: ad hoc enim consortia instituta sunt, iisque à Misericordia nomen inditum, & viri constituti, qui ex officio, vt omnia q̃ optimè gerantur, curent. Ex quo intelligere potestis fratres, iter à gentibus per loca Christianorũ opus nõ esse, vt emẽdicent cibũ, aut viaticũ vnà ferant, cùm quocunq; tendas, quàm vel ipsos Reges, lautius accuratiusq; te Christiani excipiant, nec deesse permittunt quicquã, siue mari

Societas misericordiæ

Ecclesiarũ Iapaniæ, insulanorũq; egregia hospitalitas.

Insula Yquicuqui.

siue

siue terra sit proficiscendum. Quod si quis fortè eorum quæ offeruntur, quicquam recuset, aut tardet accipere, valde moleste ferunt.

Ad hanc insulam, Firando appulêre nonnulli Lusitani viri pij & religiosi, tum vt horum templum viderent, tum vt Christianorum viuēdi rationem ac ordinem intelligerent: quē ad stuporem admirati sunt, tum in iis quæ ad Deum spectant, & orandi ratione, tum in sacræ ædis summa veneratione: nec minus admirati sunt animi submissionem, & amorem quem iis præsertim, qui nostro huc nomine veniunt, exhibêre solent: quare ingenuè fassi sunt, hos multo meliores, quàm se Christianos esse. Quoniā verò institutum Societatis nouerant, id addidêre: Si scirent Europei, qui in Societate degunt, minimam partem eorum quæ in Iapania fiunt, omnes magna alacritate huc aduolarent. Nec vanam orationem putetis: si enim videretis fratres, quanto studio pueri in hac insula doctrinam Christianam recitent, lachrymas (scio) non continere- tis, ordinémque ac religionem miraremini in iis qui paulò antè dæmonis erant mancipia. Conueniunt centum aut circiter puelli & puellæ, ad Christi audiendam doctrinam: qui in ingressu templi aspersione aquę sacræ, geniculationibus, orationibus denique & pietate vidētur priscum illud Christianorum genus referre: quisque modestè sese in suum locū recipit, nec opus est, quæ semel monueris, iterare. Duo incipiūt doctrinam sedulò adeò decantare, tantáq; animi attentione (quemadmodum non raró animaduerti) vt tametsi ob æstum & laborē sudor distillet, nunquā tamen aut oculos, aut manū, aut pedes mouisse

Puerorum admiranda nostris senibus pietas.

viderim, sed absorptos quasi, raptosque in ecstasim, profunda contemplatione persistere. Adeo his pueris, non sine peculiari Dei gratia, res cordi est, vt non sat sit doctrinam memoriter tenere, nisi etiam eam explicare nouerint: vnde fit vt recitando etiam eam exponant, idque tam præclarè, vt cùm eam memoriter didicerint, concionandi donum vnà percepisse videantur. Quę scribo, eorum quæ quotidie eueniunt, minima sunt: tãtum iis religionis & pietatis studiũ inest.

Dona quibus De° Iapanum pueros beat.

Virorum mulierũq; pietas.

Quid enim amplius facere solet homo religiosus, & in rebus piis exercitatus, quàm flexis genibus multas lachrymas spargere, Christique passionem, vtiliter memorare? Sanè vidi ego multos, tam viros quàm mulieres tãto animi affectu antè crucifixi imaginem in genua prouolutos, eleuatisq; manibus adeo attentos, vt absorptos ex hac vita excessisse dixisses. Si hæc in insulis istis quæ concionibus, aliisq; ad religionem adminiculis sunt destitutæ, accidunt, quid fieri existimabitis, vbi continuis Christianis exercitiis, exhortationibusq; abũdant, vbi sacramenta (vt Bongi fit) frequentantur? Miseremini quęso, miseremini horum gentilium fratres, prouoluti ante diuinam maiestatem, lachrymas vbertim spargite, vt missis aliquot Societatis nostrę hominibus, hisce miseris succurrat: nisi enim properaueritis, paucos ex iis qui modò ex nostris hic degũt, superstites inuenietis: tres enim hac æstate vsq; ad mortẽ laborauerũt: sed visus est Deus ipsorũ produxisse vitã, donec à vobis quis veniat, & in horum fouenda conseruandaque fide & constantia opituletur. Ego dum in hac insula egi, bis quotidie conciones ad populum habui, bis itidem Christianas institutiones explicaui.

Post-

Poſtquam dies aliquot hîc hæſiſſemus, ad inſulam Yquicuqui, vbi 800. ſunt Chriſtiani, vniuerſi verò Inſulani 2500, me contuli, magno tum iam populi deſiderio expectatus. Hic cùm intellexiſſent noſtrum aduentum, de omnibus ad nauigationem neceſſarijs, nec non de remigibus Chriſtianis abundè proſpexerũt: occurrerũt quoque nobis aliquot inſulæ viri primarij: atque dũ hoc apparatu pauperes vehimur, cùm vno miliari tantum abeſſemus, crux quædam in editiore loco poſita oculorum obtutui ſe inferebat, ſeptis vndiq; inſtar arcis circundata, quo in loco Chriſtiani ſepeliũtur. Vbi verò appuliſſet nauis, quàm maxima charitate nos exceperunt. Cumque pro conſuetudine ibidem trita, ſacræ crucis typum fuiſſemus venerati, templum amplum, & pulchrum, elegantiſſimeque adornatum ingredimur. Statui vt bis quotidie ad templum quiſque verbi Dei audiendi gratia, nimirũ mane & veſperi conueniret; à prandio pueros ad templum quotidie mitteret: quæ tempora elegimus, tum ne ab operibus ſuis impedirentur, tum vt plures cõuenirent. Quoniam verò vix mulieres templũ capiebat: circa ædẽ ſacram, extenſis velis ad propulſandam aëris iniuriam, viris paratus eſt locus. Templum hoc in ſatis amplo & plano loco, nec minus amœno ſitum eſt: ſiquidem riuulus ipſum ambit, munitque, arboreſque amœnæ circũſtant: ad templi ingreſſum piſcina eſt, in qua pedes lauent, nõ ex ſuperſtitione, ſed ne ipſo ingreſſu elegãtes ſtoreas, quibus templum ſtratum eſt, commaculent: nam mos hîc inoleuit, vt lotis pedibus etiam priuatas domos ingrediantur, quòd nitidiſſimis ſtoreis ſtratæ ſint. Altero die acceſſi heremitoria quædã in locis totius inſulæ

Bis in die ad concionem conueniunt.

amœ-

Idolia in tẽpla Christianorum uersa. amœnissimis sita, olim Idolis dicata, quæ Christiani suis exstruendis templis eligunt. Bonzi verò qui hæc loca cum prouentibus occupabant, Christianis se adiunxerunt, templisque vt antea præsunt. *Bõzi Christianorum templorum præfecti.* Ad alium item locum accessi, vbi magnus erat Christianorum numerus, qui & procul degebant à reliquis, & itinerum difficultate cõmuni Christianorum consortio prohibebantur. Monui vt ibidem templum, in quo & erudire suos filios in doctrina Christiana, & Deum inuocare possent, erigerent. Illi expediti, ac læti, ilicò opus aggressi breui temporis spacio perfecerunt. Firando verò tabellam sacris imaginibus depictam, aptamque altari, & si quæ sunt sacrorum vsui necessaria, receperũt: nã 5. cõmodum tunc fortè naues appulerant, quibus eorum, quæ ad templorum ornatum pertinent, satis multa aduehebantur. Aliquod igitur diebus in concionibus, & doctrina Christiana legenda insumptis, baptizatisq; nonnullis itineri, Xixum versus, me dedi *Xixumani Christiani* Christianos visurus. Cogitabam tum de sacello, quod recens ibi nata fides, ac Xixensium res videbantur postulare: idque vt perficeretur. Yquicuquini fabros lignarios septem obtulerant, aliaque ad hanc rẽ necessaria. Itaque nauẽ quandã Christianorum conscendimus, & Xixum, quod 3. aut 4. miliaribus distabat, pergimus: aduentumque nostrum iam eos præsciuisse inde colligo, quòd *Xixumanorum in pastorem suũ humanitas.* plateas purgatas scopis, viasque ornatas, non secus atque si Regem ac Dominum excepturi fuissent, reperimus. Tantã verò humanitatẽ experti, id cuius gratia veneramus, facile effectum dedimus: interdiu fabri, mane & vesperi nos laborabamus: Fabricaba nt illi templum, ego verbũ Dei populo proponebam, sic vtrũq; templum, & mate-

materiale,& ſpiritale ſimul ædificabatur. Finito opere, Chriſtiano ritu ad celebrandũ omnia cõparârunt. Bonzũ in rebus noſtris inſtructũ Eccleſię præfecimus,modumque quo doctrina Chriſti explicanda eſſet,oſtendimus. His ad hunc modũ confectis,Yram cõceſſimus,obiter eius loci Chriſtianos viſuri,quòd iã Auguſti finis,quo Bõgum properandum erat,inſtaret. Quare aliquam orationũ formulã dũtaxat pręſcribere potui,fuſis ibidẽ ad S.Crucẽ precibus:& cùm tẽplo carerẽt, ad quendã Chriſtianũ diuerti,quo etiam alij ſtatim confluxêre, habitaque cõcione omnibus nõ mediocrẽ in Domino conſolationẽ attuli. Monui vt templũ exſtruerent, multi enim erãt,& locus amplus ac ne vnus quidẽ inter eos gẽtilis. Firando quoq; & hi tabulã pictã cõſtruendo altari, & ſi quid præterea requiritur in tẽpli exſtructione neceſſariũ,recepêre. Cùm antea huc Gaſpar Vilella S.Crucem erectũ veniſſet,nec haberent quo hominem exciperent,quod quidem officio,charitatique videbatur ſatisfacturum, piſcem quendam bicubitalem in riuulo,qui illum locum ambit,offenderunt: hunc Patri appoſuêre,perſuaſi à Deo miſſum,quòd nunquã ibi ſimile quid antea repertũ eſſet. Idem modò dũ hic ago, euenit:ſedulò enim quærentes, quo me lautius exciperẽt, humaniuſque,nec quicquã occurreret,quod ſatis videretur:adoleſcens accurrit,atque in lacum nõ magnum, in quem is quem dixi, riuulus illabitur, videri piſcem nunciat; quem quoque tanquam diuinitus miſſum cepêre:feſtiueq; admodum narrabant de hoc & alio piſce hiſtoriam, agnoſcentes planè Dei munere tale quid contigiſſe. Vterque ſanè duodecim circiter pendebat libras, genus marinum erat, & in precio.

Yra.

Cæte

Cæterùm dum narrant,latiuſque diuulgāt, quomodo capti fuerint piſces, omniū animos ſummoperè ad pietatem, fideique ſtudium & incrementum inflam̃mant. Tradidi & hic orandi modum: habitaque àd eos de frequentanda doctrina Chriſtiana adhortatione,& catechumenis baptizatis,Caſungam quæ diſtat ab Yra tribus leucis,nauigauimus. Incolæ de aduentu noſtro præmoniti,viam quæ ad Crucē ducit, ita ferè adornårunt, vt in ſupplicationibus ſolet: fuſiſq; ibidem cum ipſis ad Deum precibus, ad ædes cuiuſdam Chriſtiani viri primarij diuertimus: habitiſque nonnullis concionibus,monui & hic,vt orationibus, ſacriſque peragendis,ſi eò quis fortè ſacerdos veniret, templum exſtruerent. Et,vt omnis populus hic Chriſtianus eſt, & ſuaptè natura non malus, placere ſibi conſilium re ipſa declarauit,templo quàm breuiſſimè exſtructo: ornamenta poſtea Firando miſimus. In amœniſſimo ſitum eſt loco, & religioni accommodo, ac in ipſo vrbis mariſq; proſpectu. Quædam mihi narrårunt hi Chriſtiani,quæ quia à fide dignis relata ſunt,ſcribam. Cùm cuidam Chriſtiano filij omnes abortu perirent, iamque iterum partui eſſet proxima vxor, gentilis quidam homo nefarius viro perſuaſit, quandoquidem filij omnes interirent,vt fide Chriſti abiecta,ad gentilem,conſuetumque ritum rediret. Paret ille ſalubri,vt putat, conſilio,& eò vbi crux erat,ſe conferens,in ſignū abiuratæ fidei pugionem Cruci infixit:tum vxor peperit filium, ſine mento, pectoreque adeo diſciſſo,vt viſcera apparerent. Quod patrem adeo perterruit,vt recepta fide,facile omnes,omnium iudicio, pietate Chriſtiana,& rectæ vitæ inſtituto iam ſuperet. Alia itē mulier pregnās Chuqui agens,

Caſunga.

Notēt exoleti & iam in ſciſma tendentes affectū horū erga parentes ſpirituales.

Cuiuſdam qui fidem Chriſti eiurauerat, conuerſio.

Partus terribiles.

agens, sumpto quò abortiret, pharmaco, lætalem morbum incurrit, ex quo nō multò pòst interijt. Hanc Christiani, quòd in peccato mortali putabant decessisse, indignam quę inter fideles in crucis sacro campo siue cęmeterio sepeliretur, iudicârunt: quare alibi in agris inter infideles eam sepelierunt. Accidit non post multos dies vt hæc cuidam Christiano iamiam morituro apparerect, eique diceret, Christiani me vt indignam S. Crucis cęmeterio ad infideles reiecerunt: sibi tamen persuadeant velim, me vbi opinantur non degere. Nam antequam discederem, Deus contritionem meam respexit, ac mei misertus est. Simulatque æger hæc alijs narrasset, sanitatem recuperauit: quæ res constantiam Christianorum non parum auxit, & in fide stabiliuit, vt non ita frequenter opus sit à nostris interuisi. Rogate Dominum fratres, vt constans eorum fides sit, perpetuoque Deo ac Domino nostro adhærere perseuerent.

Facile non iudicandū.

Apparitio defunctæ.

Hinc rursum conscensa naue Yquicuquum abij, vt per Dominum Antonium certior ibi fierē de mea ad Firandinos profectione: vbi etiam me esse oportuit ob res nostras, quas iam naui aduectas intellexeram, nec esse quenquam qui eas curaret. Altero verò die valedicens Yquicuquinis Christianis, spe me breui rediturum relicta, Firandum veni, si fortè iuuare possem nutantes ibi Christianos: qui vt ad vomitum redirent, non procul abesse videbantur. Et quoniam Rex negotium fidei nullo prosequebatur fauore, consultaui, num esset conueniendus, priusquam me ad opus pium accingerem. Cumque intelligerem tutius esse, si occultius rem agerem, ipsum non adiui, sed id cuius gratia properantius veneram,

sum

ſum aggreſſus:relabi enim iam cœperant quidã, quos cum alijs aliquot Chriſtianis cõcionibus in fide confirmaui: deinde ſalutato nauis præfecto, ad D. Anthoniũ virum apprimè nobilem me cõtuli: qui cum vniuerſa ſua familia humaniſſimè nos excepit, adhęſitque mihi ad mediã ferè noctẽ cum ſuis, attentè admodum res diuinas audiens. Multa quoque rogauit, quæ ad ſalutis negocium pertinerent: vnde cognoſci poterat, integrum eſſe virum, & verum Chriſtianum.

Nutantes Firandini in fide cõfirmantur.

Tum ad nauem me recepi, egique cum nauclero, vt in media naui tabellam figi pateretur, eamque religioſè ornari: quæ res non minimæ pietatis occaſio fuit iis, qui ibi erant Chriſtianis: Imò non pauci nobiles Firandini hac occaſione ante ſacram imaginem preces fundere cœperũt, inuitatique inſulani ad ſpectaculum & concionem concurrerunt. Altero die in domum cuiuſdam Chriſtiani conceſſi, quo confluxère plurimi, verbi Dei audiendi gratia, ſecretò tamen, quòd Rex non permitteret publicè conciones haberi: quare per Chriſtianorum ædes, vt verbum DEI prædicaretur, noctes dieſq; vagari oportuit: quo quidem labore ſum aſſecutus, vt nutantes, Deo Optimo Maximo non ſine multis lachrymis reconciliauerim, & decem dierum ſpacio adeo cõfirmauerim, vt non dubitem, plures vitam quoque pro Chriſto profundere paratos eſſe. In tantum feruorem tepor efferbuit, vt concionabundi ad parentes, filios, fratres, generos, & alios diſcurrerent, & omnes ad Chriſtũ pertrahere conarentur. Et quidem alios de nocte, alios de die nõ ſolùm ad conciones adduxerunt, verùm etiam horum ſtudio circiter 50. fidẽ Chriſti hoc 20. dierum ſpacio amplexi ſunt: & inter alios vir quidam

Nutantes conſtantiſſimi effecti

dam apprimè nobilis, qui magno Christianismi desiderio impulsus, facile orationes addidicit. Quoniam verò templo destituebantur Christiani, nec sperabam me Regem flectere posse, nauis præfectum solicitaui, vt suo & Lusitanorum nomine à Rege obtinerent, vt in planicie nostra liceret tēplum erigere, in quo Deū Opt. Maxim. ipsi saltem inuocare & adorare possent. Aderant enim tunc circiter 90. Lusitani qui postea Christianis Firandinis id templum facilè reliquissent. Sed cùm is responderet, se de hac re cogitaturū, tacitè negasse cognouim⁹; quare statui apud me in priuata domo altare erigere. Quod vbi intellexit vicinus noster, vltrò magno charitatis affectu mihi duas domos quas coniunctas habebat, obtulit, aptiores ad id, & meliores, vt in ædes sacras verterentur: seseq; in mystagogum obtulit. Atq; hoc modo templum non inidoneū secretò adornauimus, & omnibus necessarijs, nihil hac de re cōscijs Lusitanis, instruxim⁹: In quo litanię indies recitātur, & cōciones habentur. Dominus Anthonius & alij viri omnia necessaria liberaliter obtulère. Gaudete itaq; fratres, de Firādinorū cōstantia, & lætitia ob tēpli cōstructionē, & Dominū, vt ipsos cōseruet, rogate. Sequēti die Dominica, ex quo tabella illa in medio nauis erecta erat, semper multi Christiani tā ex vicinis insulis, quàm Firando ad nauem, quæ loco erat templi, scaphis, nauiculisque turmatim non secus, atque in stationibus, ad indulgentias fieri solet, continuò confluxerunt. Curauerat autem præfectus ad pietatis excitationem eam ramis floribusque & vexillis probè ornari, tabulatum floreis sterni. Quoniam verò dies S. Laurentio sacer agebatur, cui religiosè erat addictus,

Vir primariæ nobilitatis Christū induit.

aliquot

aliquot etiam tormenta bellica in honorem eius exonerauit,ego ad populum,qui eò confluxerat, concionem habui. Præfectus auditores humaniter excepit,cibaria quæ in naui erant, liberaliter distribuit:deinde suis lembis redierunt ad sua.

Circa finem Augusti, obedientiæ sacræ memor,sublata tabella sacra, quæ Facatæ remanere debebat,Bongum cogitans, expediui me ab insulis Firando vicinis,ita tamen vt spem dederim me sabbato rediturum, nam Yquicuquum quatuor solum leucis, Astacassuma verò 3.distabat: nec opus fuit ipsos admonere, vt nauē præpararent,sabbato enim summo manè aderat remigibus instructa. Instabant plurimi Lusitani, vt ad visendū Christianos istos,comites admitterētur, sed pluuijs & alijs quę interuenerunt, prohibiti, pauci vnà profecti sunt.Circa vesperam Yquicuquū venimus, occurrerunt Christiani tedis accēsis,quę ipsis ligneæ sunt,sed plurimū luminis à se diffundunt.Ad templum nos deducunt, vbi frequens populus nos expectabat,atque ibi cōcione habita,pueri doctrinam Christiam recitârūt: Lusitanos hæc mirè recreârunt, potissimum quòd ordinaria esse intelligerent.Sequenti verò die rediêre longè maiore numero,finitaque concione, circiter tredecim baptismatis admodum auidos ablui.Sumpto verò prādio,ad visendum templū quoddā nouū,quod miliari hinc aberat,prospero admodum vento properauimus nihilominus Christianorū diligētia itinere pedestri nos anteuerterat: & templum satis pro loci conditione ornatum,& quod ad pietatem non mediocriter excitaret,vidimus.Tum ob magnum populi cōcursum,ad sacellum quoddam me recipiens,cōcionari cepi: finita concione, nullum humani-

Faces ex mero ligno siue tedæ.

tatis genus in nos omittentes oriza apposita, & varijs piscibus nos refecerunt. Deinde ad littus me contuli aliò transfretaturus, quæ res mirum quantopere afflixerit Christianos, omnibus me ad nauim vsque deducentibus. Quo cùm ventũ esset, iterum eorum animos tanta tristitia incessit, vt non fuerit, quem non mouerint ad dolorem, certè Lusitani à lachrymis se continere non poterant. Profectò fratres, si in re præsenti fuissetis, grauis afflictio in animos vestros inuasisset, ex tanto ouicularum gemitu ac mœstitia: octingenti enim erant in hac insula non solùm sine pastore, verum etiam sine spe pastoris, præsertim qui breui mitti posset, relinquendi. Rogate igitur Dominum nostrum, vt suos interea cõseruet.

Circa meridiem hinc soluentes, Pacaxumam duarum horarum spacio peruenimus: dũ adhuc procul in mari essemus, nos fideles agnouêre, cõgregatique pueri, optimis, quas habebant, induti vestibus, ad littus nos excepturi occurrunt, ad insigne Crucis muris & fossa circundatę, vexillum deducunt, alta voce doctrinam Christianam religiosè adeo decantantes, vt omnes ad pietatẽ inflammarint. Inde verò eodem cantu ad templũ deduxerunt, quò multi Christiani, ita vt vix locus esset, conuenerant, ad quos concionem habui, de hac Euangelij sententia: In hoc cognoscent homines, quòd estis mei discipuli, si amaueritis inuicem, &c. Postea non sine dolore me abire passi vt apud se pernoctarem postulabant, nec potui: sumpta itaque pro populi consuetudine merẽda, (quam præparatam nisi acceptes, iniquo admodum animo ferunt) ad nauem omnibus rebus optimè ab ipsis instructam, potissimum remigibus, quòd vento destitueremur, nos deduxerunt,

r nec

nec vllum remansisse in insula arbitror, qui non comitem se adiunxerit, etsi via longa esset vsque ad littus: dum imus, multis lachrymis, & animi teneritudine valedixerunt, vt citò redirem tanto animi desiderio & religione, vbertim flentes rogârunt vt Lusitanis collachrymandum fuerit. Quidam verò inter eos, cùm in nauim essemus recepti, cuiusdam Christiani vestigia humi stratus deosculatus est, hunc consecuti sunt & alij: quorum fidem & pium affectum dum animaduerteremus, nos & Lusitanos summoperè ignauię nostrę pigebat, quã rẽ si q̃d aliud admirabile in orbe vidissent dicebant, hoc inprimis esse, & quod narretur maximè dignum asserebant. Nec dubito fratres, quin si quis vestrum hæc vidisset, emori optaret cũ hoc pio Christi grege.

Admirandus nouorum erga pastorem affectus et gratitudo.

Cùm Firandũ ventũ esset, sacellum quoddam in ædibus domini Anthonij fieri curaui, quod & tabella quadam religiosè depicta ornatũ est, vt & domestici ipsius orationibus assuescerent. Et expeditis rebus omnibus, si quę mihi cũ ipso erãt aut alijs nobilibus, aut amicis, vigesima secunda Augusti Facatã abij, socio itineris, qui tantũ religionis causa indiuiduus comes itineris esse voluerat, relicto. Firandini non obscuris amoris indicijs nos prosecuti sunt, vsqueadeo vt sine dolore auelli non posse viderentur. Duo Facatam vsque nos deduxêre, terra mariq; grauia passos, dum tempestatibus & procellis exagitamur, & piratarum manus vix effugimus: à quibus si capti fuissemus, venditis nihil aliud quàm fames, & fodiendi labor impẽdisset. Omitto lutum quod ad zonam vsque pertransẽdum erat, quo in statu oportunè se nobis obtulit, riuulus ad vestes corpusq; abluendum: vnde natus ventris fluxus,

toto

toto hoc deinceps itinere nos afflixit, quem non parum auxêre continuæ pluuiæ. Laſſitudine cõfecti,& toto corpore madentes ad ciuitatẽ quandam venimus, vbi primo itineris labores ſentire cepi,adeoq; auctum eſt malum, vt morti proximum me eſſe exiſtimauerim. Sequenti verò die, tanta fuit tempeſtatum vis, vt nemo nauẽ periculo auderet exponere,tum feſtum quoddam ſolenne celebrabant gentiles, vireſque admodum debilitatę & ferè deiectæ fuêre. Deſiderans autẽ eas focillare, tametſi appetitus deiectus cibũ vix admitteret,oua adferri iuſſi. Verum illis religio erat die idolis ſacro vendere aliquid ægroto:ſed cùm non tam cibi,quàm medicinæ nomine expeti intelligerent,dono dedêre,ritu humano plane & Chriſtiano vſi. Spero omnes breui Chriſti fidem amplexuros: inter omnes enim gentiles, his ſimiles,& ad veritatem & bonitatem ita propenſos nullos hactenus inueni. Refocillatis nonnihil viribus, iter rurſum Facatam arripui. Quo ſimulatque magnis laboribus veni, ecce adſunt ſtatim Chriſtiani, varia remediorum genera adferentes, cibos quoque debili ſtomacho gratos, orizam,Xirum,galmas, optimumq; quod in vrbe eſſet vinum: verùm his omnibus Bongũ prętuli,tam ad ſanitatem recuperandã,quàm ad moriendũ inter fratres. Quò cùm me anhelare ditiores intelligerẽt,duos parãt equos,additis viris qui itineris eſſent ſocij,nec nõ reb9 omnib9,quas iter & morbus requirerẽt,comparatis:nec aliter mecũ egêre,atque ſi cum germano fratre:nõ minus quindecim ducatis in hac profectiõe impẽdẽtes.

Tale eſt hominum iſtorum ingeniũ, vt etiãſi ob morã longiorẽ vel magno his ſumptui fueris, nihil tamẽ etſi extrema nitaris, ſint accepturi.

Firandi enim viginti diebus apud quendam hæsi cum quatuor meis comitibus, quibus præter victum cùm alia etiam impendisset, atq; pecunias misissem, remisit ille statim cum hisce verbis: Absit à me vt pro tanta gratia & fauore, quod ad ædes meas diuertere dignatus sis, tam sim inhumanus, vt à te pecuniam quoque recipiam.

Idem Facatæ vsu venit, vbi ad octodecim dies hæsi, hic enim hospes iniuriam non leuem se accepisse putabat, quòd pro impensis aliquid rependere tentarem, ex animo quæ haberet, non sua esse dictitans, sed Patrum: seque nullius rei maiori desiderio teneri, quàm dum viueret, Patres & fratres nostros, qui Facatæ agunt, suis impensis aleret. Is modo Facatæ templum extruit, quē Deo vestris (rogo) precibus commendetis.

Bongum tandem veni, post non minimos labores, vbi fotus fratrum beneuolis officijs, etiam grauius laborare cœpi, protractoque morbo ad mensem decubui. Modò etiam hæc scribens, vires admodum debiles experior. Iesum Christum rogate diligenter quæso, vt mihi largiatur eam gratiam, qua ipsius D. maiestati, vt me decet, votaque mea exigunt, verè ac syncerè seruiam.

Bongi 10. Octobris. An 1561.

Iussu P. Cosmæ Torris,
Inutilis seruus, & frater
vester in Domino.

Aloysius Dalmeida.

EX EPISTOLA MELCHIORIS *Nunezij ad fratres suos in Europa ult. Decembris.* An 1561.

IAM hęreo Coccini, de profectióe Æthiopica nihil statuere possumus,& alioqui iter ab hostibus est occupatū. Iure autem ad vastum Sinarum regnū videor mihi ablegandus,quo vicarius Regis Lusitaniæ iamdudum legatum mittere cogitat, cum aliquot nostræ societatis, qui conabuntur efficere apud Regē, vt ibi tuto posthac liceat fidem prædicare. Id mihi negocij credo,imponetur,vel ob id quod aliquamdiu Sinarum regnum perlustrârim, & viam qua eò itur, primus descripserim: nec sit hic alius,qui gentis regionisque notitiam habeat. Accedit corporis robur ad labores perferendos. Quemadmodum igitur Iosue & Calephus terræ sanctæ primum exploratores erant, & de regionis fertilitate inquirebant,deinde populo Dei ad eam terram ingrediendam duces erant:ita longè fœlicissimum me iudicabo, si ad Dei maius obsequium huius itineris veluti dux quidam eligar,alijsque in terram promissionis viam sternā, sicut antea eiusdem terræ explorator fui. Deum Opti.Max. precor,si eò me vocare visum erit, vt id ad ipsius gloriam cedat, & Sinarum, nostramque omnium salutem.

Æthiopica profectio impedita.

Legatio ad Sinarū Regem.

Coccini Prid.Cal.Ianuar.
Anno 1561.

EX EPISTOLA GASPARI Vilellæ, Meaco missa.

1561.

ANNO 1559. Bongo vobis in Christo charissimi, à me scriptũ esse memini, quomodo pro ea, quam religioni debeo obedientia, in procinctu ad eundũ Meacum constitutus essem: si fortè illic Christi fidem possem exponere, ad eam enim vrbem imprimis mitti oportere visum est, quòd ab ipsa Iapanum religio potissimum pendeat, quodq; sectarum omnium quasi fons sit & receptaculum. Receperam tunc quoque scripturum me vobis, si quid scitu dignum contigisset: Superest modò, vt promissis respondeam, vt & laudetur Christus, omnium bonorum auctor: & vos hæc legentes, ad communem Dominum preces pro me indigno fratre vestro, in tam barbaris & remotis à vobis procul regionibus agente fundatis. Bongo itaque societatem gentilium Meacum tendentium nacti, cum Laurentio Iapane soluimus: quem ideo mecũ duxi, quòd præclaris virtutibus præditus, & quasi frater noster facundus, & in hisce regionibus bene versatus esset. Multis inter nauigandum, nos onerauit & oppugnauit molestijs, impedimẽtisq; dæmon, quibus profectionẽ hanc suo fructu defraudaret, veritus, sua curante & felicitante Deo, ne id quod metuebat, eueniret. Primo igitur die, cùm destituti essemus, gentiles emendicandam ab vnoquoq; eleemosynam idolo suo decernũt, vt ventum concedat suis deuotis prospetũ. Discurritur ad singulos, ad me venitur: Ego verò me cultorem fateor Dei creatoris cœli &

Meacum omnium sectarũ fons

Dæmon societat. fratribus in nauigatione molestus est.

Idolis pecuniam mendicant gentiles

terræ

terræ,in ipſo ſolo confidere,& ſpem omnem collocaſſe, & ob id non poſſe me eleemoſynam elargiri illi, cuius nomine petebatur.

Idololatræ in Vitellam uerum Deum confitētem inſurgunt.

Hic omnes furere, magnóque in me impetu inſurgunt,me cauſam totius mali dicere,mea factum culpa, quòd vento deſtituerentur,in mare præcipitandum ſcelus vociferari. Hic ad vnicū quod mihi ſupererat confugio diuinum auxiliū. Iam ſerus veſper aderat,id vehens boni, quòd tenebreſceret: ſequentique die vento exurgente, furores placarentur. Sed en noua pericula,dū in portum quendam, qui ſeſe offerebat, nauigare tentant contrarius oritur ventus, quo retro agimur,& toti 4.perierāt dies,cùm rurſum ſibi perſuasere, me huius rei cauſam eſſe, verbis geſtibuſq; ſignificātes malū,quo nos mulctare vellēt. Sed Deo protectore tuti fuimus,qui nihil eorum quę minabātur,inferre permiſit.Tandē cùm ventum eſſet ad portum quendam,vbi ventorū defectu ad dies 10.hærendum erat,habito cōſilio ſententiam dicunt,nullo modo me ab ipſis ſocium itineris adſciſcendum eſſe:rogantque nauis præfectum vt me naui exire iubeat. Obtemperandū erat Barbaris: verùm cùm nulla alia eſſet nauis, ad Præfectum redeo,rogans ne me ob Dei amorem deſereret:Is (Deo hominem flectente)omnibus reclamantibus & inuitis,me in nauē recepit, & ad portum duodecim leucis diſtantem tranſuexit,vbi omnibus mutanda nauis erat,cùm noſtra ibidem remaneret. Sed itineris comites omnes tam ſuauis conſortij memores, non parum nomine meo laboris ſuſcepêre, per omnes diſcurrendo naues, vt nautis perſuaderent, ne quis me in ſuam nauim admitteret: atque hanc egregiam mihi nauârunt operam:ratione etiam

Naue pellē dum ſua dent.

addita,se toto illo,quo cum ipsis fuissem tempore,prosperum ventum non habuisse. Atque hoc modo cæteris soluentibus, solus remansi. Sed Dei prouidentia factum esse confidimus,vt & alia nauis appelleretur:& dum ea vehimur,secūda admodum fuerit nauigatio. Aliæ verò quæ nos vt piacula reiecerant, vel procul à tergo relictæ sunt,vel in piratas inciderunt. Quodam in portu tamen aliquot ex ijs, qui tam vehementer primò nobis erant aduersati, offendimus nihilo mitius erga nos affectos: qui tum etiam eadem contentione apud nautam egére,ne naui nos reciperet:erat enim Saquaiam soluturus. Et quidē efficissent aliquid,nisi Deo placuisset omnia impedimenta rescindere. Itaque ipso die qui diuo Lucæ sacer est,quo optaueramus dudum, venimus: quare ipsum Euangelistam in diuum tutelarem prouinciæ,& omnium actionum nostrarum delegimus.

Saquaiæ descriptio

Saquaia magna est ciuitas, multos & potentes habet mercatores. Respublica vt Venetorum libera est,& à Senatoribus gubernatur. Aliquantisper hîc hæsimus,virium reparandarum gratia, quas per labores anteactos nonnihil attriueramus. Dein mōtem illum magnum Fionoiamatanum petimus,quò nostra legatio potissimum instituta erat. Ad illum itaque montem confecto paucorū dierum itinere,venimus,citra Meacum miliaribus octodecim situm. Adiacet ei regnum quoddam, cui imperat. Ingens quoque lacus ad pedem montis 90. miliaria longus, latus verò 18,in quem plurima flumina sese exonerāt, ipsumque conficiunt,quantus quantus est. Piscibus abundat. Castellum quoque quod pertinet ad montem,ad ripam habet. Ipse verò mons cē-

Fionoiamatamons

Lacus 90. leucarum.

tum

tum ornatur monasterijs: olim ferunt mille trecenta fuisse,quæ ob bella continua deleta sunt. Religiosi sunt Bonzi diuersi generis, inter quos superbia regnat magis quàm in cæteris hominibus. Alij indigenæ qui in monte habitant, ad literas non sunt inepti: qui si reiectis bellis,pacem colerent,& Christiani efficerentur,multum illic literæ florerent.Cùm ad montem venissemus, tẽtauimus si quis verbũ Dei audire vellet: & inter tam numerosam religiosorũ cateruã, vnum dũtaxat senem vidimus,virum sanè grauem(nomẽ ei erat Deyboo)cui cum discipulis aliquot quos habebat,quæ à nobis de vno Deo, rerũ omnium Creatore, animæque immortalitate dicebantur, probata,aut certè nõ ingrata fuerũt.Propius itaq; accedens senex,in aurẽ mihi dixit:Etsi Iaponię leges contrariũ astruant, nihilominus optima sibi omnia videri, potissimum quæ de animorũ immortali vita disseruissem:palã tamẽ se nõ audere hæc profiteri, ne ab alijs Bonzis trucidaretur. Quare illo se à nobis proripiente. Meacum nos contulimus,peruenimusq; sub hyemẽ,nec quenquam per vrbem circũuagantes inuenimus, qui nos sub tectum reciperet,itaque casam humilem conduximus. Meacum magna est ciuitas,nõ tamen tam ampla, quàm olim fuisse fama est:dicũt enim ad 7. miliaria in lõgum fuisse protensam,tria in latũ: mõtibus præaltis circũdatur, ad quorum radices multa & magna monasteria ex omni parte visuntur, multis ædificijs antiquitus exornata,redditibusq; amplis dotata: quæ tamẽ cum ipsa ciuitate bellis & exustionibus exagitata,sępè diruta sunt: tantumque iam ab antiquis distant, quantùm à veris somnia. Regio in qua sita est vrbs, frigida est admodum, proximè ad polum

Ingens monasteriorũ numerus.

Bonzi cæteris superbiores.

Senex hic animorum immortalitatem credit.

Vilella à nullo hospitum susceptus.

Meaci urbis delinatio.

Varia monasteria redditibus amplis dotata.

polum vergens, niuib⁹ assidua, lignorum inops, syluis, anteactis bellis, vt fit absumptis, victus alimentiq; non ita ferax, vnde vulgo rapis vescuntur, radicibus, lactucis, pomis, leguminibus, melle. Vrbem ipsam politicam admodum fuisse asserunt, & res ipsa loquitur siue artes ipsas, siue etiam religionem consideres. Hinc enim, & ex monte leges omnes Iapaniæ ortum habent, & ad alios etiam transferuntur. Hic etiam primates & Principes degunt.

Victus ratio.

Meaci politia.

Religionis Iapaniæ fons.

Vbi aliquantulum in nostra casula nos collegissemus, Deoq; cōmendassemus actiones nostras, & suscipiendos labores, vtile visum est prædicationis nostræ munus aggredi. Accessimus itaque primò vrbis dominum, fauorem eius implorantes, quod & assecuti sumus. Cruce itaque manu assumpta, cœpi omnibus, qui in domo erant legem Christi proponere, tantusq; subitò populi factus est concursus, vt mirum videri potuerit. Alij confluxêre rerum nouarum auidi, alij vt nos ludificarent, alij vt doctrinā nostram irriderent. Multi quoque Bonzi adfuêre, quorum interrogatis satisfactum est. Cumque non possent rationes nostras dissoluere, tantus rumor per vniuersam vrbem sparsus est, vt vix domus esset, in qua non fieret nostri mentio. Quidam dæmonis doctrinam me profiteri aiebant, & Bonzos rectè de ea iudicare. Bonzi verò à malis toti occupati spiritibus, per plateas & vicos passim populum publicè & priuatim incitabant, legem Dei impio ore damnabant. Multa etiam affingebant mendacia, nos carnibus vesci humanis dictitabant, reperta ossa esse humana apud nos, alij dæmonē me vocabant humana carne indutum: deniq; vicinos, & totā plateam hortabātur, vt

Fauor principis.

Concio ad Meacenses Bonzi uicti.

Bonzi nequitia.

vt cõmuni opera me pellerent:hoſpiti etiã obijciebãt,ipſum maſculi animi nihil habere,qui me ſubitò domo nõ exigeret:quæ cũ non ferret, me ilicò excedere domo iubet. Verũ cùm nõ obtẽperarẽ ſtatim,ſtricto accurrit gladio, vt occiſurus, periculo ſeſe exponẽs,ne publicè,quę iſtorum lex erat,vel ipſe de ſe ſuppliciũ ſumeret,vel à Iudice cuius eſt animaduertere in ſontes,plecteretur. Verũ quia maximã ignominiæ notam incurrit, qui ob homicidiũ hic occiditur:honori ſuo conſulens,ſibimetipſi necem cõſciuit.Exiſtimate fratres,quo fuerim animo,cũ ſtrictus gladius iugulo immineret:ſanè aliud ſenſi eſſe mortem meditari,aliud ipſam ob oculos poſitã, iam quaſi perſentiſcere:ortum enim ſenſi ex periculo nõnihil timoris.Rẽ apud me dũ cõſidero attentius, viſum eſt,nõ inutile fore,ſi vita mea adhuc prorogaretur,ad legẽ Dei Meaci propagandã:Vnde vniuerſa Iapania,quòad religionẽ,pendet.Ergo ad Deũ conuerſus,cùm alium conſiliarium haberem neminem, diuinæ eius prouidentiæ omnia cõmittens,baptizatis in ea domo primitiis Iapanẽſium: ad tempus furori cedens Bonzorum, abij ad oppidulum quoddam nullis muris cinctum,frigoribus tum ob id admodum expoſitum,tum etiam quod iam Ianuarius agebatur, quo tempore frigus ſolet eſſe acrius & moleſtius,iamq; altiſſima nix ceciderat.Itaq; ad patientiæ arma confugiendũ fuit,tranſegimuſque tempus,etſi cum magna moleſtia,non tamen ſine fructu,Deo ſubitò ſolatium adferente, cùm ad verbum Dei non ſolùm conuenirent,verùm etiam fidem Chriſti amplecterentur,nũc 15. nunc viginti,nũc plures occultè tamen,eò quòd ab amicis & cognatis parũ habentur conſtãtes,qui peregrinam Chriſtianorum legem

Vix uiri modo habẽtur etiam apud nos, qui perfectius Chriſtum ſectẽtur.

legem, omissa patria, sectantur, sed vt viles & abiecti reijciuntur. A vicinis quoque villis, montibusque multi ad verbum Dei audiendum accurrerunt, nec pauci fidem amplexi sunt, cœpitque numerus electorum, & Dei Ecclesia non parum augeri: & quamuis ad omnes labores, imò & ad profundendam vitam pro CHRISTI gloria, semper me hactenus sentiam paratum, totumque me pro ipsius diuina maiestate omni iam propemodum timore expulso, libenter impendam, indies tamen DEI gratia crescit corporis robur, ac spes de Bonzorum conuersione, quorum furor quotidie magis magisque remittitur, tãetsi à minis, maledictis, murmurationibus, me absente, non se abstineant: imò verò id effecerunt, vt cõuocato concilio oppidi, statueretur, ne cui potum ab hospite meo emere, dum apud ipsum agerem, liceret. Quare mihi sæpè vt abirem, imperauit, alijs etiam ad id dicendum missis. Verùm is precibus meis delinitus, morari ad tres menses me est passus, interea labores, frigora, morbos patimur, sed non minores, imò multo maiores consolationes frequentia eorum, qui ad fidem amplectendam conuenerunt, nobis Dei fauore attulit. Sub æstatem Meacum repetij, inuisurus ciuitatis dominum, rogaturusque facultatem, vt in ea habitare mihi liceret, quod etiam post impedimenta varia, & multorum obloquia tandem concessit, & verbo & scripto, edicens, ne quis sub pœna capitis nos læderet, aut attentaret impedire. His literis habitis, remittere sese cœpêre persecutiones, & Christianorum numerus crescere adeo cœpit, vt templum exstruere necessum fuerit. Itaque emptæ magnæ ædes vertuntur in primum templum: accurrunt fidelium plurimi ad ver-

Princeps Meaci edicit, ne quis euãgelio sit impedimẽto.

Meaci primum templum.

ad verbum Dei audiendum: fidem amplectũtur multi. Quidam rem sanctam, & planè diuinam esse legem Euangelicam fatentur, verùm donec magis Meaci diffunderetur, non putarunt amplectendam. Rebus hoc modo ad annum prosperè succedentibus, insurgit iterum dæmon inuidus, nouam nobis, & magnam excitans pesecutionẽ. Congregatis enim suis Bonzis, plebeq; ijs magis addicta, Gubernatorem quendam vrbis cũ tribus Senatoribus in nos concitauit: qui vt vrbe maximo opprobrio exturbaremur statuerunt, idque clam domino vrbis, qui nobis de facultate tutò ac liberè prædicandi edicto cauerat. Subolfecit tamen hæc vir quidam nobilis, vrbis Principi rẽ omnẽ aperuit, visum est vtriq;, vt vrbe exiremus in quoddam munitum castrum, donec sese concitata rabies remitteret: Congregatis ergo Christianis cõsultauimus & nos quid facto opus esset, & in hanc sententiam itum est, vt obtemperãtes Principis consilio, exiremus, antequam vi pelleremur: expulsione enim famam non parum minui, & authoritatem legis Christianæ vilescere, & diuini verbi concionatoribus non minimum decedere: cessimus itaque eadem nocte cum non paucis, qui ad arcem dicti Principis nos comitati sunt: vbi ad dies 3. aut 4. delituissemus, Meacum occultè redimus, abdimurque in domum cuiusdam Christiani, vt intelligeremus, qui de nobis in vrbe rumores spargerẽtur. Varij erant: quibusdam asserentibus, nos iniuria, alij verò iure eiectos esse. Christiani interea ad me confluentes me solabantur, & cõsilio iuuabant. Visum est omnibus, vt peteremus quatuor mensium spacium, ad consultandum, relinquenda esset vrbs, nec ne. Conceditur. Prodimus itaque iterum in publicũ, cum

Alia persecutio.

cum magna fidelium lætitia: templum quoque non sine gentilium consensu restitutũ est, vt qui iam immeritò nos fuisse vexatos agnoscerent. Securitatis itaque fide ab ipsis persecutoribus habita, etsi iam triumphum canerēt, existimantes se assecutos, quod moliti essent: placuit Deo, cũ neque nos in re tanta essemus ociosi, vt itidem ibi quod intenderamus, nimirũ perpetuas sedes assequeremur. Nã cùm princeps intellexisset, quanta passi essemus, Senatorũ & Bonzorũ technis, quæque illi cōtra fidē publicam tentassent: tutos nos reddidit altero decreto, scriptisq; firmissimis, quibus ne quis nos iterũ turbaret, seuerissimè interdixit. Nonnulli præterea primarij viri nos suo fauore tutati sunt, vnde & persecutores nostri remissiores facti, partibus etiam nostris fauere cœpére: dæmon verò qui eos excitauerat, perpetuam ignominiam contraxit. Multa, fratres charissimi, hic in dęmonum cultu animaduerti, quæ ad imitationem diuini cultus cōmunis ille generis humani hostis effinxit. Spero vobis non ingratũ fore, si ex multis pauca retulero, vt animaduertētes tantam cœcitatē, quanta hic passim animę miserè deluduntur, eas suo redemptori commendetis.

Dæmonis cultus uarius ad similitudinē ueri. Ja.

Igitur ipsam sanctiss. Sacramenti sacrã solennitatē dęmon adumbrare voluisse videtur, festo quodã in Augusto celebri, Guinō, ab idolo quod tunc venerantur, nominato. Vnaqueque enim opificũ tribus suæ classis supplicationis pompam seorsum ornat. Arcus quidam triumphales à 40. hominibus ferũtur, sericis, & alijs preciosis pãnis, arboribúsq; pręaltis adornati, atq; in iis pueruli canētes tympanis, fistulísq; perstrepunt. Populus & vnusquisq; opificũ ordo suũ currũ belle distinct° vestiũ varietate & lãceis, hastis, quarũ cuspis ensis

est,

est, securibus, aliisq; id genus instructus, sequũtur picturę nõ adeo ab antiquitate abhorrentes, quęque nõ ingratũ intuentibus spectaculũ exhibent, sericis velatę. Hoc modo ad tẽplum idoli, cui hęc instituũtur, oẽstendunt: totumq; tẽpus matutinũ his terũt pompis & ceremoniis. A prandio verò iterũ egrediuntur, qui lecticã quãdam gestant sui Idoli: quã simulãt se nõ facile portare posse, quòd Deus quidã vt fingunt, in ea degat: Hanc magna plebs veneratione adorat. Fertur & alia, quã concubinę Idoli esse fabulãtur, eámque miserè miserũ Deũ deperiisse olim comitémq; itineris, quòd iuuẽcula esset, delegisse. His alia lectica occurrit, quã vxoris Idoli esse cõmentantur, cuius Baiuli vbi percipiũt Idolũ cum sua concubina adesse: in diuersa huc atq; illuc palantes feruntur, finguntq; vxorẽ stolidam esse, ac mœrore dementatã, quòd intelligat maritũ & pellicẽ aduentare. Hic gemitus audias & suspiria populi deæ suæ condolẽtis, quidã in genua procũbẽtes, miserã adorãt. Tãdẽ coniũctis lecticis, tẽplum ingrediũtur, finisq; imponitur supplicationi. Aliud quoddã festũ celebrãt, Bem nomine, quo veult simia, demõ imitari voluisse videtur celebritatẽ illã oĩum fideliũ defunctorum, qua Christiana pietas iusta suis facit. Eodem Augusto mense hæc sua parentalia barbari faciunt: nam 15. die lunæ, circa 14. horam ab orto sole in omnibus viculorũ partibus candelas accendunt, additis quàm possunt elegantissimis picturis, aliisq; ornamentis, totáq; nocte huc illuc per plateas obambulãt, quidam affectu pietatis, quo erga defunctos mouẽtur, alij spectatum accurrũt. Circa vesperã frequẽs popul⁹ exit, vt excceptur⁹ quodã in loco suorũ defunctorũ aĩas: quò vbi ventũ est, obuias sibi animas fieri persuasum

Idoli concubinę.

Aliud festũ animarum simile Bennella dictũ

habent

habēt. Itaq; alij orizā, alii vermiculos pastaceos, alij fructus, alij aliud: & qui nihil habent, aquā calidam animabus offerunt, ac venientes blandissimis verbis excipiunt: Venite faustæ, gratulamur fœlici aduentui vestro, multum elapsum est temporis, à quo inuicem non vidimus, defatigatæ estis ex itinere, sedete, quiescite, comedite buccellam aliquam: talique affabilitate erga animas vtuntur, cibos humi apponunt, hærentes ibi ad horam vnam non secus atque solent ij, qui fessis, & cibi aliquid sumentibus, veluti opperientes adstant. Deinde vt domum secum veniāt inuitāt, se præcedere, & ne quid desit curaturos: domum reuersi, mensam instruunt instar altaris, oriza, aliisque ad victū necessarijs, idque ad biduum donec videlicet finiatur festū: vltimo verò die ortis iam tenebris ingens hominum turba facibus accēsis ad montes & campos egrediuntur, vt lumē præbeant, sicuti asserunt, animabus ad sua remeantibus, ne fortè lumine destituta aberrent, vel offendant, vel aliqua inter redeundum mora detineantur: dein domum regressi, multa saxa in tectum torquent. Timent enim ne qua anima vagabunda fortè in tectis sederit, à qua sibi metuunt, ne quid inferat mali: non desunt tamen, qui tanquam misericordia moti ipsis condolēt. Paruulas tamē esse aiunt, alij & innoxias, nihilq; periculi esse, si in vrbe diutius maneant: quidam per pluuias in plateis suffocandas arbitrantur. Similia multa sibi de animarum immortali conditione persuadent, adeoq; mentibus per huiusmodi celebritatem fixa hærent, vt sit difficillimū ipsis aliud persuadere: tametsi eorum sectæ interitum animarum potissimum astruant. Et si quis quærat, cur cibum apponant animis, respondent

Animabus cibi offeruntur.

Colloquiū cum animabus.

Mensa animabus instruitur.

Facibus reducunt animas.

dent eas ad paradisum tendere, quā decies millies mille leucas distare fabulātur: quare tres annos in via hærere, fatigatasque ex itinere refici cibo debere, vt pergant cœpta via. Hoc tempore quoque sepulchra mundantur. ~~Bonzi verò genio largè indulgent, ac quicquid pro defunctis, pro quibus se orare dicunt, offertur, deuorant: nec est quispiam tā pauper, quin aliquid offerat animarum subleuandarū gratia, ne inhumanus habeatur: charissimi fratres, his lumē vt videant, vestris precibus impetrate.~~

Aliud in Martio festi genus instituunt, planè bellicum. A prandio enim in campum ingēs armatorum turma prodit, Idolorumq; effigies in dorso cuiusque depicta cernitur: Deinde in duas acies diuisa, altera alterā saxis primo petit, dein sagittis, & sclopis siue bombardis, tandem ad lāceas venitur, postremò gladijs pugnatur: multi vulnerantur, trucidantur semper aliqui, nemo tamen pœnas luit, quasi tale quid exigat festi ac ludorum lex. Nec mirum videri debet, bellicam hanc exercitationem institutam fuisse. Genus enim hoc hominum bellicosum admodum, bellis delectatur, nec minus honore, qui armis maximè paratur, pascūtur. Vnde miles qui pluribus capita præsciderit, redditus ampliores acquiret, qui etiam crescēt, si quos trucidauit, nobiles fuerint ac diuites. His spectaculis suos diabolus detinet, & falsa religione excæcat.

Festum bellicum.

Vt simia humanas actiones, ita catholicam religionem dæmon videtur suo more, & in alijs imitari voluisse. Multa enim monasteria tam virorum, quàm mulierū hic visuntur: verùm quēadmodum fide Christi destituuntur, ita quoque omni virtute & castitate. Quidam enim, quibus

f à Gippo

Gippini Bōzi cũ moniali b⁹ preces nocte recitant.

à Gippo nomen est, simul cum monialibus habitant, & de nocte preces simul cantant, tametsi in diuersas monasterij mansiones sese recipiant. Etiam festum quoddam celebrãt, in quo finitis diabolicis cantibus distinctis in locis, eodem tẽpore cantando prodeunt, & choreas simul ducunt. Peccata in hisce monasteriis nefanda, nec nō & homicidia cōmittuntur, vt omnino dæmō in hunc finem ista hic monasteria confinxisse videatur. Pluuias quoq; hi religiosi à suis Idolis supplicatione instituta, extorquent, reliquiasque circumferunt, ne nō & veram religionem in his quoque imitentur. Referunt enim ante octoginta annos memorabilem siccitatem fuisse, ita vt ad multos dies non plueri. Institutum proinde, vt Bonzi in supplicationem prodirent, circunferrentque Xaquæ legislatoris Iapaniæ dentẽ: prodibat itaque in agros turba, codices manibus tenens, locculisque, & ob æstũ, galeris induta. Trãsibant tum fortè & aliud monasterium, vnde etiã monachos ad supplicationem euocabant, vt cōmunibus votis pluuias obtinerent. Respondebãt illi, non esse iam tempus pluuiarum: Instare hi, vt properarent, se enim Xaquæ dentem adferre, eiusque freti virtute de pluuia non diffidere: tantaque erat turbæ fides, vt etiam ad certamẽ tergiuersantes, vocaret, hac lege, vt si non obtinerent pluuias, adstringeretur quotidie ad monasterium illorum verrendum: sin verò plueret, illi contrà, sibi obstringerentur in perpetuum ad idem ministerium. Quid fit? Pactum acceptatur, pergit supplicatio ad agros, & (siue ita permisit Deus, siue iam alioqui pluuiarum tempus instabat) decidit magna vis imbrium: obligatiq; in hoc vsque tempus illius monasterij religiosi

Choreas ducunt.

Bonzorum supplicatio ad pluuias obtinẽdas.

Veneratio dentis Xaquæ.

giosi, horum monasterium verrunt.

Falsis quoque miraculis dæmon hunc populũ ludit, curatq; sibi extrui pro sua superbia magnifica templa, electo ad id non humili situ, sed colle prærupto, vbi eis apparens, certa non solum figura se adorandum præbet, sed & proprio vult compellari nomine, potissimum verò & frequentius apparet in monte quodam admodum alto, qui ciuitati imminet, vbi olim 7000. dicũtur fuisse monasteria, modò verò 5. duntaxat visuntur (quorum vnum sumptuosum est admodum) vbi maximè ipsum populus veneratur, atque eò turmatim cũ eleemosynis accurrit. Principes bellum suscepturi, huic suam commendãt salutem, promittẽtes magnam pecuniarum vim, sacella, & eiusmodi alia se exstructuros, si res succedet. Finito bello magni honoris loco ducunt, si votis satisfaciant. Vulgò cùm periclitãtur, aut grauius laborant, hunc in primis inclamant, huc peregrinationes suscipiunt: ipsus verò ne ingratus videatur, sibi deuotis sæpè in somnis apparet, persuadetque se ipsos liberaturum, si feruidi fuerint: sin verò tepide sibi deseruiant, nullum successum habituros: vnde fit vt dæmoni si quid succedat, planè attribuant, hinc sedulo ei seruiunt, persuasi, remuneratorem esse eorum qui studiosius ipsum colunt, vindicem verò negligentium, ac ipsum offendentium.

Falsa miracula.

Dæmonis apparitiones.

Dæmonis deceptiones.

Miseri isti quoque miserè olim fuere, decepti à Bonzo quodam Combondaxo, qui, vt ex ijs quæ narrant, conijcere licet, fuit dęmon humana specie cum ipsis versatus, peccata enim enormia, quæ adinuenit & docuit, nefanda adeo sunt, vt humana mens ijs inueniendis, & excogitandis non sufficiat. Alium quoque scribendi modum

Deceptio dæmonis Conbondax.

dedit,quo simul cum Sinensibus vtuntur. Curauit præterea sibi extrui multa immensis sumptibus templa,& senio confectus,monumentũ subterraneum,instar cryptæ, in quod se abdens hominibus persuasit,nolle se amplius inter eos versari,nec mori tamen,sed quiescere se posthac velle,addens post decem millia annorum oriturum quendam admodum literatum,seseque cum eodem rediturum in orbem. His dictis curauit se includi cryptæ:iamque 800.anni sunt,à quo hæc accidêre.Hunc populus summè veneratur, persuasus ipsum adhuc viuere: multisque apparêre: dicitur autem in vita magnarum rerum patrator fuisse, futura prædixisse, vt res quædam cœlitus demitterentur instar stellarum effecisse, & alia eiusmodi falsa miracula. Ille verò dies quo sese recondidit,tanta solennitate,tantoque populi celebratur concursu, vt nihil supra.

Enoch & Heliæ,aut S. Ioannis imitatur in cœlum abitum dæmō.

Alij quoque tres viri Bonzi, doctrinæ opinione magni,diuersis temporibus extitêre,quos etiã diuinis dignatur honoribus demẽtatus populus: quorum vnus ante annos 370. magnæ cuiusdam sectæ author extitit,Ycoxom vocãt, quam maior populi pars sectatur:quæ secta aliquem velut religionis principem semper habet, quo mortuo alius succedit, fitque primi commentatoris sectæ vicarius:multas hic habet vxores,& peccatis aliis fœdissimis scatet,quæ tamen peccata non habẽtur. Adeo hunc venerantur,vt eo viso lachrymas emittant, rogentque vt se à periculis liberet: tãtisque abundat pecuniarum thesauris, quæ ipsi offeruntur, vt maior totius Iapaniæ gazæ pars in huius sit potestate. Singulis annis quoque huic festus celebratur dies, tantaque vis confluit populi,vt plurimi dum valuæ aperiuntur, certatim,

Patres.

Papa

Benedictio papæ. Dimissio

Iubilaeus

acer-

aceruatimque intrare contendentes, conculcentur: verùm beatus habetur, qui sic perit, vsqueadeo vt quidam sponte sua ante portam cadant, pedibusque conterantur. Hic de nocte ad populum concionem habet, tanta solennitate ac religione, vt lachrymas profundant: vt dies ille, si cũ nostris conferatur, in quo Christus sua morte genus redemit humanum, videri possit. Ante lucẽ pulsu quodam significatur, quando populus in templum admittendus sit.

Fuit & alius Bonzus Hiquirenus, ante annos trecentos, author sectæ Ioquexanæ, multos & ille habens sectatores: hunc vt sanctum venerantur, fabulanturque, cùm suam populo proponeret doctrinam, & aduersarij caput ipsius vellent amputare, cœcitate percussos fuisse, lumine quodam quod ex ipsius corpore resplendescebat: aliaque huiusmodi indigna, quæ hic referuntur, falsa commemorant miracula. Hinc fit, vt ij, quos ad CHRISTI fidem perducere nitimur, miracula quoque à nobis exigant: quæ sanè (si Deo ita visum esset) necessaria viderentur. Rogate, Patres, Dominum, dum sacrosanctum illud sacrificium offertis, vt seruis id concedat, quod his tot animabus, quæ erroribus iamdudum miserè inuolutæ pereũt, optimum sit & præsentissimum.

Hæc sunt charissimi, quæ in hisce regionibus vidimus, quæque Deus in plebis conuersione per nos egit Meaci. Modò Saquaiæ dego, Meaco literis magistri Cosmæ Torres euocatus, quòd hic magna oportunitas est ad fidem Chrsti propagandam.

Ciuitas hæc magna est, populus diues, & boni ingenii: statim ad legem audiendam multi confluxère, eamque nonnulli quoque sunt am- *Saquaiæ descriptio.*

plexi, nec deest spes magni fructus, si successum dederit Deus, ingentia hinc in vniuersam Iapaniam diffundentur commoda, quòd ciuitas pacata sit, & ob loci situm, populique multitudinem, & amplas opes inexpugnabilis. Quare belli tẽpore omnibus rebus perturbatis, huc quoque nos recipere licebit, & rebus nos seruare secundis in communem vtilitatem. Inter multa quæ in hac vrbe vidi, vnum tantum, prolixitatis vitandæ gratia, narrabo.

Sanctity cult

Vigesima nona Lunæ Iulij festum quoddam celebrant in honorem Daijmiorgini, cuiusdam Imperatoris olim serui, quem ante annos sexcentos floruisse asserunt, sanctitatis nomine celebrem: vnde fit, vt pro sancto quoque colatur, & non pauca templa eidem erecta sint. Festum celebrant hoc modo. Plateæ cuiusdam oblongæ vtrumque caput trabibus transuersis sepiunt, ne quis transeat, sed videat tantum. Deinde huc à miliari, hominum multitudo ad hanc pompam instructa procedit, à fronte cuius Idolum quoddam equo vehitur, strictum habens gladium: sequitur pedissequus, arcum cum pharetra gerens, deinde equus accipitrem vehens, postremò equites multi, & ipsi cum pedissequis, insignibus picturati, & armis, instrumentisque instructi bellicis: pedites verò choreas ducendo procedunt, cantantes hunc versiculum, Xenzaytaquin Mansaytaquin, hoc est: Mille anni delectationum, & mille millia annorum lætitiæ, cum tanto gestu & iubilo, vt mirum sit: Is verò ordo obseruatur, vt inter equites & equites interstitium viginti aut triginta peditum capax relinquatur: verùm ob magnum populi concursum, centum plerumque deprehenduntur: multi enim

ti enim vouent se adfuturos supplicationi. Post equites Bonzi cantantes sequuntur, albis induti vestibus: hos nobiles equis vecti, & mitris capite redimiti. Plateam hi ingrediuntur cum quatuor aut quinque veneficis, equis quoque insidentibus, quæ ornatæ admodum sunt, canentes etiam: inter quos multæ aliæ mulieres: sequuntur deinde decem viri armati, vt lecticam inauratam accipiant ad agros portandam, Idolum cui festum instituitur, in ea recepturi, quam trecenti alij viri sequuntur: Cantant omnes, finisque cantionum est is, quem iam diximus versus. Vniuersus populus lecticam adorat, nummulos, aliaque spargentes. Postremo ad templum idolo relato, suam quisque repetit domum. Adoratio [illegible]

Similes insaniæ plurimæ hic passim visuntur: Placeat semel diuinæ bonitati tantæ animarum internecioni obuiam ire. Hærebo hic ad menses quatuor: pòst Meacum me conferam, Christi Natiuitatem celebraturus cum Neochristianis: dein circa Martium Saquaiam reuertar, hoc enim modo vicissim visendæ sunt nouellæ vineç Christi, donec alij veniant, qui has colendi labores suscipiant. Hortor vos fratres charissimi, vt præparetis vos tantæ messi, si vnquam enim regio ad Christum suscipiendum apta visa est, hęc vel maximè videtur: lingua non adeo est difficilis, quin etiam rudior quis, vt ego, eam facilè addiscat, imò magna ex parte iam didici, vtcunque certè eam intelligo: si verò difficilis esset, satis iam librorũ habemus, qui hoc idiomate cõ scripti sunt, ijque de diuinis rebus: quos dum legimus, auditoribus satisfit. Tantum quæ necessariæ sunt virtutes, humilitas est & patientia, ad

tolerandum quicquid Dominus noster IESVS pemiserit. Has dabit Dominus ijs qui ex animo ad ipsius seruitium se accingunt. Venite itaque fratres, Deus per vos magna operabitur. Hæc scribenda occurrere, superest vestris præcibus & sacrificijs Deo Optimo Maximo tot pereuntes animas, meque inter eas versantem, & à vestro sancto consortio procul dissitum, commendetis. Deus animas nostras inhabitet, ac largiatur, quò sanctæ ipsius voluntati quàm promptissimè obsequamur.

Saquaiæ 17. Augusti 1561.
Seruus inutilis Societatis Iesu
Gaspar Vilella.

EX LITERIS R. P. LVDOuici *Froisij.*
Anni 1564.

SVperiori anno initium ad vos scribendi feceram, verum cùm incommoda valetudo non nisi partem epistolæ, quam longiorem scribere decreueram, exarare permitteret: Pater Cosmas Torres, Michaeli Vazio, quem in Sinam miserat absoluendam commisit. Erat enim ipsi oculato, vt aiunt, testi haud difficile, omnia quæ attigeram enarrare. Bellorum molestias non paucas sumus experti, & conflagrationes, illustriora vasa, pretiosioraque templi ornamenta, elegantiorē supellectilem, altaris frontispicium, vt vocāt, auro contextum, & alia quæ ex India attuleramus, item reliquiæ D. Thomæ, quas tanta diligentia asser-

asseruaueramus, cum D. Antonij domo, & templo, & maxima parte oppidi, in cineres penitus redacta. Non mediocris nobis hac ex re oblata est occasio patientiam exercēdi, cum frigoribus, & rerum omnium inopia conflictantibus: delictis meis imputandum opinor, quod ex his singularibus Dei Optimi Maxi. tribulationum beneficijs non maiorem fructum decerpserim. Cœpimus inde excubare, ne quid nobis aut domestici latrones, aut hostes quibuscum Regulus iste bellum gerebat, incursionibus detrimenti adferrent: obseruareque si qua cymba res quæ supererant, transmittere possemus: & si quod obsidionis aut belli periculum immineret, in montes cū Christianis nōnullis cōfugere. Absumpto flāmis oppido Icoxiura, ac templo nostro cū ædibus incēso, P. Cosmas nauē Chinēsem Taquaxem, quod oppidum est sub ditione Regis Bongani, profecturus cōscendit. Ego verò in insulam Tanguccimam tertiana febri quarto iam mense laborās profectus sum: oppidanis aduentus meus & iucundissimus & expectatissimus fuit, alij enim lintribus mihi obuiam venerunt, alij ad littus expectauêre. Ausim affirmare fratres mei, nullam me hac maiorem vnquam sensisse consolationem. Quis enim cùm in his tyronibus tantum Christi amorem videat, studium & beneuolentiam, qua nos prosequuntur, non exultet ac gestiat? Certè ea erat omnium alacritas & gaudium, atque si cœlitus delapsi essemus. Erat eo tempore D. Antonius in castris, & Elizabeth eius vxor Firandi: quæ vbi primum certior facta est de meo aduētu, expeditos, qui me inuiserent, nuncios misit. Conuenerunt etiam nonnulli è suburbijs Christiani, qui dari sibi sacras corollas & imagines, si quas

Totum pene oppidū conflagratum.

Taquaxes insula.

Cōgratulatio Taguximanorū ob aduentum Froisij.

quas ex Indiis conferremus, multis precibus postulabant. Quanti faciant pietatis incitamenta, non facile dixero. Dicam tamen vobis eorum neutiquam satisfieri, nisi mensem vnum, duos aut tres lachrymis & meditationibus continuò efflagitent apud Deum pietatis augmentum & conseruationē. Templum quod erat angustius, quàm vt festis diebus caperet omnes, qui Firando, & ex aliis insulis, ad audiendum sacra, concionesque conueniebant, capacius illud effecimus, & constituimus omnia quæ ad hyemandum necessaria videbantur: verū Deo (cuius cōsilia neq; scimus inuestigare, nec certè sufficimus) sic disponēte, ne quam fortè laxationē nobis polliceremur, cùm maxima niuis copia de cœlo caderet, & laborarē morbo infestissimo, dum incuria Christiani cereos facientis, adhærescere stipulis, è quibus domus structa erat, ignis cœpit atque vniuersa cū tēplo & sacrario, & 15. pauperrimorū Christianorū casis, quæ tēplo proximiores erant, penitus cōflagrâuit. Quod eo nobis miserius visum est, quia libri Ioannis Fez, in quibus ille Iapanicè dominicarum totius anni sermones & orationis dominicæ, articulorūq; fidei, & Angelicæ salutationis singulares interpretationes, luculenter & copiosè, multoq; labore, descripserat, eodē incendio cōsumpti sint: vt omittā alia id genus nobis admodū necessaria: è medio tamen igni Dei Opt. Max. beneficio ereptæ sunt sacræ vestes, & altaris frontispicia. Verum hoc loco mirū videre erat, quāta cū animi trāquillitate & magnitudine calamitatē eā, pauperrimi Christiani omni re familiari, tectisque destituti tulerint, nostrāq; potius q̄ suam vicē deplorârint. Nos in domū amici cōfugimus, vbi ego substrata sto

Domus & tēpli Societat. cōflagratio.

Patientia insulanorum.

rea,

rea,& ligno capiti ſuppoſito pro ceruicali, quo-
uſq; febris receſſiſſet,decubui. Conuenerunt eò
multi & viri,& fœminæ,qui fortunā meā acerbè
ferre videbantur,& commiſeratione affecti exu-
tis veſtibus ſuis,ne frigore læderer,me fouerunt:
& pro victus tenuitate,reiq; familiaris,qua maxi
mè laborant penuria,quidam mihi duas, aut tres
cochleas ad comedendū porrexêre, quidā cępas
virides,quidā allia:quæ ob id refero, vt intelliga
tis, quā exquiſitis dapibus ægrotorū ſolentur hic
moleſtias:nec enim Europeę hæc ſunt delitiæ &
cōmoda, nonnulli tamē Chriſtiani qui eo tēpore
Firādo,Facata & Iocoxima cōuenerant, vberio-
ribus nos cibariis 7.aut 8.diebus aluêre.Quę ve-
rò ex ipſis incendij faucibus abſtulim⁹,pauca ad-
modū fuêre,orizę aliquid,culcitrę,pallia,induſia,
quæ omnia ad veſtitū,& victū Chriſtianorū,libe
rorumq; ipſorū ſuppeditauimus,vt his rebus prę-
teritā iacturam,moleſtiaſq; quocūque modo le-
niremus.Firandini & proximarū Inſularū incolę
de noſtro certiores facti infortunio, alij ſtramen,
alij arundines,alij funes,ad nouū domiciliū ex-
truendū obtulerūt:res extēplò agi cœpta eſt, tem
plum erectū,& domus,cōparatum ad id opus pa
leariū quod aliquātum diſtabat: pauperibus inſu
per in ſuis ædificandis caſulis adminiculū præſti-
timus.Denique ex hac tāta calamitate omnium
nil niſi lætitiā & inauditæ omniū erga nos bene-
uolentiæ teſtimonium cōperimus. Poſtquā 20.
dies hic eſſem cōmoratus,Dei Opti.Maxi.ope in
priſtinā valetudinē reſtitutus ſum,cœpique ſacra
facere,fratre noſtro Ioanne Fezo , vt antea ſole-
bat , concionante : ex qua re maximos in Chri-
ſtiana diſciplina progreſſus Taguximani fece-
runt , quadrageſimali præſertim tempore cum
de ſacramento pœnitentiæ , deque cruciatibus,
Chri-

Taguximanorum uirtutes.

Christi sermonem instituisset. Cuius quidē progressus eam causam esse existimamus, quòd hi integritatem peculiariter ament, quod pietati dediti sint, ad sinceritatem propensi, ad sacramēta confessionis, & Eucharistiæ prompti, ad corporis macerationes sustinendas infracti, semper immensum aliquid desiderent, quò naturæ vitia ex- extirpantes in supremum virtutis gradum ferantur, nec satis esse putent, vt virtutem assequantur, verùm etiam quod rarius est, & prope inauditum, res cognitione dignissimas eo studio & constantia contemplātur, vt præter communem exercitationem, quo ad diuinæ crucis mysteria meditanda singulis noctibus consurgunt quamplurimi, à prima nocte ad intempestam vsque ferè eadem exercitatione perseuerent. Quamdiu hic morati sumus, eos dies, qui Christo domino & præcipuis sanctis solennes sunt, summa cum reuerētia celebrauimus. Cōueniebant eò tū eius loci, tū ex Firando, & alijs insulis Christiani, vt aliquod oblectamentum in domino reportarent. Vnum est autem, quod acerbè molestéque, nec sine lachrymis ferunt, esse nos Iapanici, & se Lusitani idiomatis ignaros, quò fit vt confiteri peccata multi nequeant, & sacrosancto Eucharistiæ Sacramento, cui summoperè sunt addicti, non vtantur, & si quando vsu venit, vt quempiam ad hæc salutaria sacramenta accedentem conspiciant, inuidere sese frequenter affirmant.

Festorū celebritas.

Natali die Christi Iesu seruatoris nostri elaboratum est, vt templum quàm splendidissimè ornaretur. Misit D. Elizabeth filios, vt diem festum celebrarent; amplificatumque bona ex parte tēplum est, quod tam ingentem eorum, qui vndique conuenerant multitudinem, nequaquam ca

perect

peret, tanta eſt omnium erga hunc diem animi propenſio, nec minor, qua diem dominicæ paſſionis proſequuntur: nam eo die veſperi impartito tenui victu, quantum ieiunia patiuntur, ſeſe diuiſerunt, hinc viri, inde fœminæ, ac veteris teſtamenti geſta, vniuerſitatis creationem, lapſum Adæ, aquarum inundationem, diuinorum vatũ oracula huic myſterio accommodatiſſima recitauerũt, donec primum ſacrum fecimus, & exinde duo alia, quibus totidem conciones adiunctæ ſunt. Illi autem vt ſunt omnes melioris viuendi rationis auidi, ita omnia quæ pietatem excitant, importunè à nobis ſæpè dari ſibi poſtulant, roſaria, ſcilicet, imagines, ſanctorum oſſa ac reliquias petunt. Nonnullas tradidi, vt & partes typi ex cera ſacra Agni Dei: quod cùm innotuiſſet (quia is mos inoleuit, vt quod vni tribuitur, reliquis non negetur) vndique nauiculis conuenerunt, reliquias quas ſuo idiomate, Amoris, appellant, efflagitantes. Oratio de earum vſu habita eſt, quò pluris eas facerent, & eo loco quo oportet, ſine errore haberent. Atque eo modo diſtributę ſunt, vt vel paruas partes in 500. vel mille interdum iuxta Chriſtianorum numerum, diuidere cogeremur. Quibus thecas quiſque conſtruebat, quidã ex cupro, alius ex aurichalco, alius ex argento, altera ex parte nomen Ieſu cum ſpinea corona circumpoſita, ex altera crucem tribus clauis ſuppoſitis inſculpi curârunt. Ineunte iam quadrageſimæ tempore, tãtum in eis pœnitentiæ ſtudium, tantum, vt in ſe animaduertant, curæ eſt, vt in ſummam me admirationem traxerint: nam cũ ferè omnes victum multo labore comparent, præter ſpontanea ieiunia, & ſacrorum, concionumque frequentiam, bis in ſeptimana à die cine-

Summũ inſulanorum in ſe peccatum vindicandi ſtudium.

cinerum,ad festum vsque Paschę, finitis litaniis, quas singulis noctibus recitare consueuerunt,ver beribus se excipiebant: idque, ea animi contentione factitare solent,vt fletum cum singultibus, & lachrymas cum sanguine videre potuisses,pręsertim diebus veneris,quibus, vt mos erat, frater noster concionabatur:contingebátque plerunque vt dato ter quaterque signo,non modò non cessarent,sed & acrius & acerbius se cæderent. Sed quoniam quamplurimi huius insulæ sacris septimanæ sanctę nunquam interfuerant,dedimus operam vt quemadmodum occasio,resque postularet,solenniter peragerentur. Dominica passionis supplicatio circa templum habita est, & quo tempore Christi Domini verbera, mortemq; recitabamus,ingens cum lachrymis clamor audiebatur Nec minore fructu tenebrarum, quæ vocant,sacra,celebrauimus,sacrosanctumque Christi Domini nostri corpus constructo sepulchro, intulimus,viris 4. armatis, qui sepulchrum obseruarent, additis. Quibus omnibus peractis, habitoque sermone de sacra Domini cœna,duodecim pauperrimorum hominum pedes abluimus,quod quantos eis ad virtutem stimulos addiderit, non ignoramus. Eodem die Iouis à prandio (quoniam omnes insulæ huius ciues se Christo totos tradiderunt)quamplurimi Christiani è priuatis domibus vestes & flagella secum afferentes,conuenére ad supplicationē, & licet ea die vehemēs ventus,imberq; maximus immoderatā tempestatē concitauerint,ab instituto tamen nō desciuère. Quæ res fœminis studiū ingessit,vt rē eādem nō minus sanctè quàm honestè postea instituerent: Eodē die tres ferè horas in concione consumpsit noster Ioānes, quam illi propter ardentem

Sacra hebdomadæ officia celebrata.

Omnes Insulani Christum sunt amplexi.

dentẽ eius animi affectum & lachrymas in quas facilè prorumpit adierunt.

Die sabbati constitutis omnibus, quæ tempus & ratio postulare videbatur, parato Paschali cereo, aquam sacrauimus, quam omnes, admirabili affectu, certatim vasis abstulerũt: asportata deinde est Firandum, Facatam, & viciniores insulas, diligenter obseruata.

Die Paschatis preciosioribus vestibus adornati, & sertis rosaceis redimiti viri, & fœminæ, ad solennem supplicationem, & rem sacram, cõuenerunt. Demum omnia, Dei Opt. Max. (in cuius gloriam totum id quantumcunq; fuit redundet) auxilio, ea lætitia, & consolatione peregimus, vt maiori forte vbi res eadem solemnius fieri solet, peracta non fuerit: externo enim caruimus apparatu, solo peripetasmate vsi, sub quo sacrosanctũ Domini nostri corpus in calice circuntulimus.
Frater noster alba veste indutus, sertisq; redimitus, macie licet confectus, & adeo debilis, vt vix se pedibus contineret, præibat, iucũdè decantans: Dic nobis Maria, quid vidisti in via: cui alternis vicissitudinibus senex ligno peluim pulsans (neq; enim alia sunt hic musices instrumẽta) respondebat. Ea die Christiani omnes domi nostræ prandium sumpsere, quod identidem ex more celebrioribus quibusque festis, præsertim die Visitationis B. Mariæ, in singulis templis à viris religiosis, qui quòd opera pietatis exercent, eleemosynisque distribuendis præsint, de sodalitio Misericordiæ dicuntur, fieri consueuit. Silentio prætereundum non censeo, quod sancta septimana Firandi contigit, quo Dei iudicium, ac singularis planè prouidentia patefacta est.

Christiani in domo Societatis epulo excepti.

Erat inter præcipuos Firandinos vnus omniũ ferè nobi-

nobilissimus,Bonzus qui apud suos eum obtinebat locum,quem apud nos Præsul quiuis,aut Archipræsul consueuit: hostis veræ religionis infestissimus:ad cuius imperiũ cruces auulsæ, & impudentissimè confractę,P.Gaspar Vilella aliique Patres nostri explosi sunt, & eiecti.

Bonzi potentissimi summa impietas in Christianos.

Quam rem Dominus Antonius molestè ferens, ob magnam nefarij hominis familiam, perditũ eius conatum, & seditionem cohibere non poterat. Cùm itaque D. Antonius vnà cum Firandi Rege in castris esset, obnixè petiuit Bonzus iste per literas aliquantam agri partem, vt templum suum quod vicinum erat, maius redderet. Negat D. Antonius. Ille, vt erat animo elato & superbo,iniquè ferens responsum, prædia illius, ruraque omnia iubet concremari: & quoniam non impunè hec liceant, D. Antonius certior de re factus,tantundem prædiorum insani hominis comburi iubet. Ille,vt in re pessima nemine inferior, quinque aut sex domos Christianorum, qui domino Antonio famulabantur, incendit.

Cùm significaretur & id domino Antonio, extemplò Regem adiit. Non sunt, inquit,o Rex, huius fraudulenti, & perditissimi hominis facinora toleranda, & nisi tu, quæ tua est integritas, in eum animaduertas, occidam ego eum. Rex (cui D. Antonii opera & consilium pernecessariũ erat,præsertim in rebus bellicis, in quibus secundus à Rege vniuerso exercitui dux præerat) vehementi animi dolore perculsus,quo supplicio illata iniuria possit vindicari, rogat. Ille verò, quia omnes, inquit, Patres è Firando istius hominis potestas expulit,& alia indigna perpetrârit: Ipse quoque domo vrbeque pellatur, prædia verò & redditus alijs distribuantur, ne vllam aliquando

spem

ſpem redeundi habeat, quæ omnia breui effecta ſunt. Quanto dolore primates exilium Bonzi, tantò Chriſtianos è crudeliſſimi tyranni manibus ereptos gaudio affecit. Verũtamen nec Firãdi Regẽ huiuſce rei fautorem fuiſſe arbitremini, neceſſitas eò compulit etiã inuitum, vt permiſerit. Nã licet proprij tantũ cõmodi ratione motus, cui ſe ille perpetuũ ſeruum mãcipauit, Luſitanis placere diligenter ſtudeat: eſt tamen Chriſtiani nominis hoſtis teterrimus, qui noſtris hîc nec degere, nec tẽplum ædificare concederet, niſi inde & ſibi gloriã, & vtilitatẽ, regnoq; ſuo conſecuturum ſe ſperaret. Per duos mẽſes, quibus Taguximæ commoratus ſum, ad propinquiores inſulas 6. ſolum miliaribus diſtãtes, ob bellorũ frequentes tumultus, accedére nõ licuit, quòd non ſine D. Antonij iudicio obſeruaui. Verùm Chriſtianorũ ſummũ deſideriũ ad cõciones & res ſacras audiẽdas effecit, vt fratrem ad eos ſemel atque iterũ miſerim, qui & ob ſingularẽ omniũ erga ipſum beneuolentiam humaniſſimè exceptus eſt, & in recitandis Chriſtianæ diſciplinæ rudimẽtis incredibiles penè progreſſus fecit, ſpiritualibus colloquijs gentiles quamplurimos ad religionẽ adduxit, multos inſtituit, quibus quia famuli erãt gentilium dominorũ, ad tẽpus baptiſmũ differẽdum exiſtimauit. Inter eos qui Chriſtianã diſciplinã amplexi ſunt, vetula extitit nobilis & ampliſſimæ familiæ, quæ delubra omnia, Idolis cõſecrata, ex voto inuiſere ſolebat. Huic Bonzi dederant papyraceam veſtem, in qua geſta & facta Amedæ Dei Iapanũ viſebantur, quã è viuis excedens recta in beatiſſimas ſuperũm ſedes euolaret. Has & id genus alias cõmentitias eacodemonis prærogatiuas effingunt, vt huic genti veræ

Lucro Idolo ſeruiunt multi.

Bonzorum priuilegia quæ ſuis deuotis dant. Indulgentia Christiana.

relig-

religionis experti illudant. His in rebus,quas magno ſibi precio cōparârat,omnem ſpē ſuam collocârat ſtulta vetula. Cùm verò hic noſter Chriſtianum ægrotum,vetulæ conſanguineum & cōtubernalē inuiſeret, eam accerſi iubet:rogat nū de ſempiternis beatorum bonis,& vita fœliciſſima, deq; mundi cōditore,& generis humani ſeruatore,pauca vellet audire? Volo,inquit illa,ſed oleū & operam perdes:negās ſe vllis rationibus, vt Chriſtiana fiat, adducendā. Tunc frater cacodæmonis fraudes,Amedæ dolos, & præſtigias aperit & confutat:deinde noſtræ religionis leges, & inſtituta quàm vera ſint, & conſona rationi oſtēdit. Illa vt erat laudabili quodā affectu animi,qui in his Iapanibus maximè elucet,Chriſtianam ſe protinus fieri velle dicit: fidei rudimētis ſtatim imbuitur,atque vbi diuino lumine cœpit illuſtrari, veſtem illam ex papyro factā,& diplomata à dæmone ficta vulcano tradidit, nihil ſe aliud velle affirmans,præter Chriſtū Ieſum. Eo poſtea ſtudio ad religionis amorē inflammabatur,vt conſolationem omnibus Chriſtianis afferret non mediocrem. Illud mirandum ſanè, quòd cùm antea ſenio confecta vix ſe mouere poſſet, nunc ſingulis diebus in templum conueniat, tercenties ſalutationem Angelicā recitet quotidie, bis etiam térue ſingulis noctibus, ad meditandū ſurgat frequēter ſacrū audit. Multa alia relatu dígna huic fratri noſtro euenerūt. Cùm Firandēſes Chriſtiani deſiderio res diuinas audiendi flagrarēt,eò licet infirm⁹ cōceſſit: cui quòd domus cū tēplo exuſta eſſet, ſtatī Chriſtiani domiciliū, quò cōmodè reciperetur,ędificārūt:gratiſſimus enim oībus fuit: 15. igitur diebus quib⁹ apud eos hęſit primo mane,de articulis fidei ſermonē plurimis cōuenietibus habuit,cohortationibus firmatiores effecit:

Vetula cū baptiſmate uires recipit.

efficit: ignaros verò disciplinę Christianę, ad sta diū cognoscēdæ, & amplectendæ veritatis cōcitauit. Eò tēpore duo Lusitanorū nauigia, quæ propè littus erant, etsi ab ipso Firandi Rege, inuitarentur, vt appellerent non nisi me consulto voluerunt. Quapropter Firandi primarius, statim ad me misit virū non infimæ conditionis, qui me suo nomine salutaret, feræque salutationis causam, bellicos tumultus fuisse nunciaret, meque vt curarem naues Lusitanorum Firandum applicare deprecaretur: affirmās se quamprimū effecturum, vt res meę Firandi stabilirentur, & se de ea ~~re cum~~ nauigiorū ducibus aucturū. Quod quia vtilissimum videbatur, votis eius non potui non satisfacere. Octo post dieb' à Lusitanorū ingressu cùm maxima vrbis pars, templumq; ac fratris domicilium cōcremata essent: Lusitani à Rege summis precib' postulârūt, vt nouū proprijs sumptibus templū extrui permittat. Cùm ille rē fictis occasionibus prorogaret, interea nauis alia cū patribus, quos iā diu ab Indis expectabam', aduētare visa est: ego Iembū expeditissimū cōscēdo, nauē peto, vt ducē & mercatores, ne ad hūc portū applicarēt, cōmonefacerē: idq; periucūdū nō modò P. Cosmę, sed Regi etiā Bongensi nobis amicissimo fore: nauis præfectus D. P. Dalmeida me audiēs, licet nauis plenis velis ferretur, statim eam retroagere cū mercib' & onere voluit. Verū mercatores, ne acerba nauigatione molestiā quā antea tēpestatū procellis fuerant experti, renouarēt, maluerūt in portū pergere, nec meis nec ducis cōsilijs acquieuerūt: cōscij interim se Regis Firandensis vires, quibus Bartholomæū Christianū Regē bello vinceret aucturos. Cùm igitur nobis inuitis portū ingressi essent, Deus Op. Ma, cui aperta sunt oīa, parē delicto animaduersionē retulit. *Excusatio.*

Non obtēperātes bene moniti iacturam faciunt.

Nam paucis post diebus latrones ignem domibus, vbi Lusitani mercatores merces congesserāt, iniecerunt. Atque ita ventorum impetu correpto stramine partem ignis absumpsit, partem latrones surripuerunt, miserrimique Lusitani iacturam mille centum aureorum fecerunt.

Vix dici potest, quàm nos refecerit patrū aduētus, quòd per tot maris procellas insperati, & salui accessissent: profecti sunt quamprimum in Insulam, sacra facturi Christianis, quibus æquè grati fuerūt. Vnā rem valdè molestè tuli, quod eos non commodius excipere, nostris domicilijs iam secundò concrematis, potuerim. Illi verò nō minus inopia nostra contenti fuerunt, quàm si abūdassent delitijs. His ita cōstitutis, præfectū nauis cōueniens, impensè ab eo petiui, vt Firandēsem Regem meo nomine iuberet salutari, moneretque, nequaquā se merces suas Firandi expositurū, nisi prius patres in vrbem restitueret. Rex tamē nullam in ea re diligentiā adhibuit, imò negotium distulit. Verùm tandē certior factus de periculo, quod regno (si nostrū ingressum impediret) iā imminebat, copiā mihi quasi coactus fecit, vt vrbē ingredi, templumq; extruere possem. Lusitani, quibus quanto cum dedecore è Firādo fueramus eiecti, cōpertum erat, Christianiq; omnes consentaneum rationi iudicauerunt, si tanto cum honore, iterū restitueremur. Præparatur igitur ad negotium Lusitana nauis, cū alio nauigio: eriguntur vexilla, nauiū duces mirificè adornati choreas ducentes nos adeūt, reliqui in litore, elegantissimis vestibus culti nos opperiuntur. Firādum igitur cū fratre Ioāne Fezano, ipso Bartholomæi ingredior. Tū temporis multa tormēta emissa sunt: Christiani viri atq; fœminæ eleuatis

Tandē rex Firādinus ut templū Christo denuo cōstruatur inuitus admittit.

Pompa qua Societ. Iesu Fratres reducūtur

[illegible] in cœ-

in cœlū manibus tantū Dei Opti.Max. beneficiū & tam insperatū agnoscentes, præ gaudio exultabāt & flebant: nos verò cū ducibus & Lusitanis omnibus, ad Regem gratias acturi perreximus. Ille nos grato animo excepit, vicitq; nostrā quam de eo cōceperamus opinionē. Reuersi deinde D. Antoniū eiusq; matrē salutauimus, opor tunū tēplo locū inquisiuimus, suā quisq; pecuniæ partē nobis obtulit: collectisque 500. aureis plus minus operæ mercenariæ multitudinē conduximus, breuiq; adeò accreuit ædificium, vt in festo Natiuit. Virginis Mariæ summo cū omnium applausu & cōcursu P. Baltazar Acosta ibi & sacrū fecerit, & concionē habuerit. Per id tempus, ante nostrū aduentū Ioānes Firādi, nonnullos ad verā Dei fidē induxit, & salutari aqua lustrauit: in quibus fœmina nobilis, cū liberis famulisque omnibus: sunt & alij, quibus in animo est baptizari, vbi primū per hos bellicos tumultus licebit: diebus octo post Patrū aduentū, P. Melchior Figuredus, profectus est Cochinocū in Rimēsi regno: vbi P. Cosmas Torres, Bungensis Regis consilio eo tēpore cōmorabatur. P. Ioānes Cabral in Tagoximā insulā sacra Christianis facturus, & aliqua Iapaniæ Idiomatis transscripturus discessit. Ego verò & P. Baltazar Costa, & Ioānes Fernandes, Firādi manemus. Pater naui vna qua deuectus est, pro domicilio vtitur, ego verò alia, vt facilius & confessiones audire, & sacra facere, & conciones ad Lusitanos habere festis, dominicisque diebus possimus. Fernandes apud virum singularis in nos beneuolentiæ, commoratur. Nā cùm extruendi templi curam habeat, multusque ad eum Christianorum concursus fiat: non potuit non in oppidò hærere, quoad aliquod nobis

Cochinocū oppidum. Rimēsis Insula.

t iij recepta-

receptaculum, iuxta templum ædificetur, idem Iapanici idiomatis Grammaticam qua hactenus caruimus, sine vlla concionum intermissione, cõscripsit, adiecit & indicem duplicem, alterũ Lusitanas voces Iapanicè, alterum Iapanicas Lusitanicè declarantem: quæ res multum laboris nobis ademit. Iam verò cur tantũ, vt restitueremur Firando, elaborauimus, multæ causæ extiterunt. Primum, quoniã à P. Prouinciali Antonio Quadro summè nobis fuerat cõmendatum: tum quia licet Rex iste Firãdensis homo sit perditissimus, fictus & simulatus, & occultus latro: non tamen rem Christianam. quæ multis iam annis hic fuerat inchoata, fas erat negligere, præsertim cùm in ea quàm plurimi sint, quos tanquam veræ religionis, sanctitatisque exemplaria proponere liceat. Accedit eo, quod persæpe maximam tum in pueris, Christianæ disciplinæ pietatisque accessionem recordabamur, quam preceptore Ioãne Fezo fecerant: Nam præstant indole, ingenij acumine, animi motu incredibili: ad rerũ maximarum notitiam solertes, facundi præsertim qui ex ea insula, vbi nos toto hoc anno commorati sumus, sunt oriundi. Recitant diebus singulis Christianam doctrinam summa cum modestia & mansuetudine, quorum plerique sacris ministrant, litanias, psalmum 50. Canticum Zacharię & virginis Marię, hymnos quoque spiritus sancti, & sacrosanctæ Eucharistiæ, passionisque mysteria memoriter pronunciant, & per multum tẽporis flexo genu, orant: Qui prouectiores sunt (quod dominicis dieb⁹ à prandio fieri cõsueuit) matutinã concionem auditã ita habent in promptu, propter fœlicem memoriã, vt studuisse dicas nõ audiuisse tantum. Est & alia in hanc insulã reditus

Firandini Regis impietas.

Firandini acerrimi ingenij sunt.

tus nostri causa, quòd in hoc Firandino portu Sinarũ merces quàm optimè vendũtur, cõmodiúsq; Lusitani huc applicãt: adeoq; grati modò sunt, vt iã loco aut portu nullo prohibeãtur, imò benignè excipiãtur. Aliquot diebus postquã P. Melchior Figuredus Cochinocũ peruenit, Regis Bõgẽsis opera & industria, Rimẽsis Rex, atq; adeo oĩs res Christiana restituta est, & indies magis ac magis religio Christiana florescere cepit. Meacũ nisi aliũde impedimẽtũ oriatur, profecturus sum, vt meũ laborẽ, cũ maximo licet vitæ discrimine P. Gasparo Vilellæ subleuãdo inpertiar. Est enim ille iã corporis doloribus penè cõfectus, nec tamẽ cessat vnquam. Experientia quoque iam cõperimus, quãtos ex diuturna perseuerãtia fructus perceperit. Nã cùm eũ ante oẽs odissent, & iniurijs affecissent, sæpius etiam lapidassent, adeoq; vrbe ignomiosè eiecissent: nũc nõ modò apud primates ciuitatis, verũ etiã apud ipsum Regẽ in honore est, eumq; & in priuatis colloquijs extollunt, & summis laudibus publicè prosequuntur, vehementerq; lętãtur, si quãdo cũ eo sermonẽ cõferre contingat. Quamplurimi etiam non vulgares viri ac fœminæ Christianam fidẽ amplexi sunt. Quapropter Pater ipse 7. templa in suburbijs extrui curauit. Quare Christiani omnes aliũ Patri comitem, qui eũ tot, tantisque laboribus subleuet, optant. Nam cùm vrbs magna sit, fieri non potest, vt Christiani eò se conferãt, vbi & sacrum fieri, & conciones haberi cõsuetum est. Hi non modò temporis iacturam non facere se putant, dum sacris cohortationibus concionibusque intersunt: verum etiam id seruis suis suadere conantur: nulloque in negotio magis necessario tempus omne vtilius collocari arbitrantur.

Cochinocũ.

Rimensis Rex restitutus.

Septem tẽpla in Meaci suburbijs extructa.

Iterum atque iterum vos deprecor fratres charissimi, vt nos, & me imprimis omnium miserrimum, vestris & orationibus, & sacrificijs commendatos habeatis. Faxit Deus Optimus Maximus, vt omnes, & quid ipse velit intelligamus, & exequamur. Valete Firandi, 3. Nonas Octob. Anno 1564. *Luis Frois.*

Epistola Asiatica.

PLVRIMVM REVERENDO IN *Christo Domino, D. Ioanni Entailerio Aquicinctino, uigilantissimo, Religiosissimoque Abbati.*

Pax Christi, &c.

REM Christianam, admodum R. in Christo D. Abbas, in hoc nostro orbe extremè penè laborare, non solùm res ipsa multis à vera religione ad errores, superstitionesque deficientibus, verum etiam remedia quæ adhibentur, docent.

Remedia uaria hæreticis obiecta. Nam ad eam tuendam, & validissimis opus esse exercitibus videmus, & propter infinitos errores, quibus se certatim homines inuoluunt, rerumque diuinarum ignorationem, à fundamentis (vt ita dicã) religionis sumpto initio instituẽdi sunt. *Synodus.* Ob hãc etiã causam patrũ totius orbis integerrimorũ, doctissimorumq;, Patrũ Pa. summ' Pont. ad profligandos errores Conciliũ Tridenti coëgit, in quo res nostro tempore controuersæ, cùm prudẽtissimè, doctissimeq;, tum non minus sanctè definitæ sunt: quanquam ea est intractabilis hulceris nostri immanitas, vt longè sit diffi-

cillimum saluberrima malagmata applicare. Præterea passim videmus, in hanc rem insigni pietate præditos Episcopos & Principes, imò Reges & Imperatores, tum nouas instituere Academias, tum veteres restaurare, tum insignia Collegia, Scholas & Prælectiones in plurimis Europæ locis instituere, aliaque remedia malis ingruentibus obiicere, quę non vulgarem Reip. Christianę vtilitatē, cùm ad plurimos se diffundunt, adferũt. *Academiæ Collegia. Scholæ. Prælectiones.*

In quorum numęrum tu vnus es, R.D. Abbas, minimè postremus asscribendus, cùm ex thesauris diuitiisque, quæ multos perdere solent, æterna palatia tibi, tuoque sacro cœtui in cœlo comparas, nec solùm magnificum & egregium, verum Regium opus, tria inquam, continētia Collegia, in summam Reipub. & nouę Duacensis Academię vtilitatē exstruis. Faxit Deus, vt reliqui Abbates tuum imitentur exemplum: atque vtinam iam olim maturè ingruētibus malis, tot tamque valida remedia quæsita fuissent, credo enim non tantas lugeremus ruinas, quas nō parum semper deprauati mores iuuāt, & rerum diuinarum neglectus. Deprauati siquidem mores, dum quisq; suis affectibus agitur, & cupiditati seruit, scripturas secundum animi libidinem, non ex communi omnium temporum, locorum, sanctorum Patrum, totiusque catholicæ Ecclesię sensu interpretatur, hæreses pariunt. Hereses verò omnem inobedientiam, impietatem, ferociā, seditiones contra Principes, bella, famem, omnium rerum caritatem, pestē, breuiter Reipublicæ dissolutionem, vt modò videmus, inducunt. In orbem quid non malorũ inuexit Arrius? Dum enim in mille factiones eius sectatores abeũt, peperit Sarracenorum imperium, quod totam penè Asiam afflixit, Chri- *Collegia Aquæcinctina Duaci. Hæresum causæ. Fructus hæresum. Pœnæ hæreseos.*

Christi fidem deleuit,ipsius aliorúmque hæreses Africā infecerunt,& Hispaniā: hanc ob id Gothis cū reliquā Europa,illā perturbandam Vandalis, Deus dedisse olim videtur.Hos secuti sunt Saraceni,& hactenus obtinēt.Sequutus est ferus Turca,qui Græcorum euertit imperium.Sequut⁹ est Tartarus,qui vniuersam Asiā perturbauit,ac tandem etiam subegit penè vniuersam , cum non parua Europæ parte,dum ad Austriam & Samoginam penetrauit. Imperium Præteiannis siue Vm Chami Orientis monarchę,homines Nestorianę factionis deleuit. Quoniam verò hæresim semper portentosa flagella subsecuta esse videmus,& à iusto Deo Domino nostro in pęnas immitti,de ista tantorum malorū parente,antequā de Tartaris & Asiaticæ Ecclesiæ ruinis agamus, pauca explicemus. Illæ certè de quibus agemus, & alię plures quātumuis inter se dissentiētes, ab impio Ario , velut primo fonte ortum habuisse videntur.Raro enim hæresis oritur , ex qua vna non multa statim pullulent.Docent id nostra tēpora:nec mirum,quilibet enim etiā sectarū auctor quotānis nō semel à seipso dissentit,vt & ipsorum libri & symbola toties recocta testātur, & in oppositas sentētias mutata : docet id primipilus Lutheranorū Melanchtō,qui Caluinianus interiit,vt ab iis mihi relatum est,qui morienti adfuerunt.

Sarraceni. *Turcæ.* *Tartari.*

Anno circiter 450.Imperij Theodosij 23. Nestorius Germanicensis Patriarcha Constantinopoli electus,statim venenū quod mente diu pro perpetuo hereticorū more cōdiderat,simulator prodit.Cælestinus summus Pont. & Cyrillus Alexandriæ episcopus effecère , vt Synodus conuocaretur Ephesi: cui Cyrill⁹ loco Celestini prę-sedit.

Gregorius Cedrinus in sua histor. Socrates, li.7.ca.32. Nestorij hæresis & interitus.

ſedit. Dānatur impius Neſtorius, & Oaſin relegatur, vbi eū diuina vindicta arripuit: nam putrefactio in omnia eius membra inuaſit, maximè in linguā illam ſceleſtam, qua Arij exēplo punitus, quantum potuit, clamauit: Hactenus nobis perſuaſum non eſt, Mariā eſſe Dei genitricem. Hæc peſtis etiam nunc Patribus Societatis noſtræ in India nō paruā adfert in propagāda Catholica fide moleſtiā, ſiquidem vſq; ad Indos ipſorum Patriarcha, & vbicunq; in Aſia ſunt Chriſtiani, Epiſcopos & ſacerdotes etiam hac noſtra tempeſtate mittit. Nec ſolùm hæc ſecta, ſed etiam præter Græcorum ſchiſma, Iacobitarū & Agophtorum hæreſis Aſiæ Eccleſias vſq; ad hęc noſtra tempora miſerè diuulſit. Eutychetis enim & Dioſcori nolentium ſtare decreto Synodi Chalcedonenſis ſectatores, in 12. ſectas diuiſi, multa alia hęreſium mōſtra peperere: inter quos nō infima fuit Iacobitarū, qui à Iacobo Syro homine obſcuriſſimo pauperrimoq;, vnde Zantulus dictus eſt, nomē habent. Hic dū apud Syros hæreſim ſuam, vt appareret, tēpore Zenonis & Anaſtaſij Imperatorū, diſſeminaret, magna diſſidia, variaſq; hæreſes, ex quibus rurſum ſectarū agmina exorta, vt fieri ſolet, excitauit. Hi per Orientē ſuas habēt Eccleſias. Modò tamē magna ex parte, qui ſuperſunt Iacobitę, errores magiſtri abdicaſſe putantur: tametſi mordicus vnam in Chriſto naturam retineant.

Iacobitæ.

Iacobus Zantulus.

Nicepho lib.8.c.45.

Certè hi quo tempore de vnione Grecorū cum Latinis ageretur, Eugenij 4. ſedulitate an. 1440. de Romano Pontifice planè catholicę ſenſerunt. Cùm enim Eugenius ad Orientis & Aethiopum Patriarchas ſcripſiſſet, illi in ſuis Epiſtolis de Latina Eccleſia, & Pontificis authoritate honorificè, catholicè ac diſertè ſcripſerunt.

Iaco-

Iacobita enim Ioannes(qui ſe B. Marci ſedis Alexandrinę,& totius Ægypti,Lybię,Pentapoleos,& occidentalis Africæ patriarcham nominat) Pontificem Romanum ſacerdotij perfectionē,& omnium eccleſiarum apoſtolicum paſtorem vocat, ſacerdotum principem,peregrinantium, qui cæteris viam ſalutis oſtendat,ducem,& languētium medicum:ipſius verò vicarius Hieroſolymitanus Andreas Abbas Syrus,caput & vniuerſalis eccleſię doctorē eū appellat.Latinā. verò Eccleſiā retinere doctrinam quam ab initio Petrus & Paulus tradiderunt:quam aliæ Eccleſiæ deſerētes, & ſe(vt ait)à Romana eccleſia matre & magiſtra omnium ſeparautes,gentibus in opprobrium & ruinam traditæ ſunt,vt euidenter,ait,in Armenis & Græcis,& nobis Iacobitis cernitur. Poſtremo, Deum trinum & vnum cōfitetur, & ipſius nomē (vt habet tranſlatio epiſtolæ)ex immaculata matre carne ſuſcepta mediatorem factum eſſe.

Eandem ferè ſententiam Nicodemus Abbas Æthiops & Hieroſolymis vicarius Patriarchę de ſede Romana tenet.Palam,inquit,eſt eos,qui à Romana eccleſia defecēre,corruiſſe,& dum quiſque ſuam fidē veriorē prędicat,(quòd à dæmone eſt) relicta Apoſtolorum ſententia, in vias ſui ſenſus abiiſſe omnes: Æthiopicam tamen integram & liberā perduraſſe,quia nequaquā perfidia & voluntaria defectione,vt aliæ eccleſiæ peccaſſet: ac propterea in ſeruitutem & exterminiū non incidiſſet,ſed locorum diſtantia & itinerum periculis ſeiunctam fuiſſe,nec non pontificū negligentia accidiſſe,vt nulla viſitationis memoria aut literarum ratio à quingentis annis apud eos extaret.Nihilominus Æthyopes tanta veneratione ſedem Romanam colere , vt pedes eorum oſculentur,

primatus papæ nitatur.

lentur,qui Roma veniũt in Æthiopiam, vestiũq; eorum partes rapere,& reliquiarũ loco seruare: nec mirum,si enim regina Saba abiit Hierusalē vt audiret sapientiam Salomonis:plus quã Salomon(inquit)summus Pontifex est. Regem item Æthiopum tanti facere Romanum nomē,& Latinorum fidem,vt nihil eque in votis habeat,atq; vt cum Romanis iungantur Aethiopes,& se Pōtificis subdat pedibus,auidissimeq; amplexurum esse quę de concordia ineunda statuentur in Synodo.Pontificem autem omnium ecclesiarũ caput fatetur, suoque splendore orbem illustrare, cui oēs patriarchæ,Episcopi,Imperatores,& Reges inclinantur. Nec se legatos disputandi gratia mittere,sed vt Summi Pontificis sententiam de fidei rebus sequantur:quis enim,ait,soli lumē inferat:ingens est, inquit,& vetusta latinorũ scientia,& orbi nota , nec oportet discipulum esse supra magistrum:hęc ille in suis literis anni 1441. 18.Octob.ad Eugeniũ missus:addit his omnibus se adfuturum pontifici insciis Iacobitarum patriarcha & Saracenis,ne vi impediatur vel ambitione aliqua.

Philetus verò Alexandriæ & Aegypti patriarcha Petram fidei summum Pōtif. vocat,& luporum repulsorem,omnium ecclesiarum caput.cæterorumq; patriarcharum protectorem : addit se executurum pontificis sanctiones,scripsisseq; Imperatori Ioanni Palæologo, tanquã tyrannos exterminandos esse,qui ea quæ in S. synodo statuta essent , non reciperent. 1.Septem. 1440.

Anno verò 1523. Rex Aethiopum Dauid legatum ad Clementem septimum,a piis Lusitanorum regibus edoctus,cum aurea vnius pondo cruce misit,seque more aliorum regum sedi apostolo-

apostolicæ subiecit, remisitq; libellũ Eugenij olim ad suũ proauũ missum, cuius benedictionẽ per manus ad se venisse gaudet, optatq; familiaritatem sedis Romanæ, vt cæteris regibus (quibus ait se non esse potentia inferiorem, nec eorum egere auxilio) sibi communem esse, & missis literis, augeri summoperè desiderat. Multa se audiuisse addẽs ab Aethiopibus qui Roma reuertuntur, de summo Pontifice, quem vocat gentium benedictorem, regni cœlestis clauigerum, caput omnium Pontificum, cui post Deum omnes obedientiam debeant: quare, ait, flexis genibus syncerè te Patrem agnosco, & me tuum filium, rogoque vt mihi benedicas, & mei perpetuò memineris.

Anno igitur 1554. postquam iam multi Lusitani Aethiopiam non solum frequentarent, sed etiam Regis concessione ibi vxores ducerent, & more Romanæ Ecclesiæ viuerent, & vxores suas catholicos ritus docerent: Cœpit Lusitanorum Rex de Patriarcha eò mittendo cogitare: visus est ipsi Idoneus Pater Ioannes Nunezius Societatis Iesu vir, qui in Africa inter Saracenos & Christianos summo cum fructu & pietate versabatur. Ad summum igitur Pontificem eum misit, Pontifex Patriarchatus onere ei imposito, in Indiam cum Episcopo Andrea Oniedo alio de eadem Societate Iesu viro integerrimo amandauit, vbi anno 1556. appulere.

Andream verò, ex India Patriarcha, & Indiæ primores in Æthiopiam, anno 1557. præmittendum esse concludũt iuit, humanissiméque exceptus est: verum cum defuncto pio Rege qui hos auidè expectarat, Claudium quendam regnantem inuenisset, à Catholica religione adeo

ali-

alienum,vt diceret se nec Romano Pontifici pariturum, nec Consilio Ephesino quicquam tributurum,ab eo, anno 1559. sine fructu decesserunt:ille verò in Turcas cùm mouisset, qui regionem ipsius vastabant, à suis desertus occubuit. Victoria hæc adeo insperata fuit Turcis,vt eorum Dux soli Deo eam acceptam referret, & asello insidens victoriam celebrare voluerit: hic fuit finis illius, qui Romanæ Ecclesiæ subesse noluit. Cepta est deinceps Æthiopia post repulsam veritatem, miro modo ab infidelibus bello vexari,nam Claudij frater homo apostata opera Maurorum successit, qui in Arabia hactenus exularat.Sed ad alias sectas reuertamur.

Maronitæ Romani Pontificis doctrinam planè seruant, nec latius ferè quàm se mons Libani porrigit,habitant,extra quos fines vix pauci reperiuntur.

Ecclesiæ Asiæ omnes Syriaca,ut nostræ latina utuntur.

Hæ omnes Ecclesiæ Syriaca lingua, vt nostræ Latina vtuntur, Arabica verò vniuersa penè Asia & Africa.

Mozal Sedes Patriarchæ Nestorianorum.

Nestoriani & latè & magno numero præmemoratos superãt, ac per vniuersum Orientẽ suos cœtus habent vsque eo,vt in Mozal,vbi ipsorum Patriacha sedere solet, quæ Parthorum Seleucia putatur,quindecim templa celebrent,tribus tantum Iacobitarum religioni dicatis.Est autem ea vrbs amplissima, & mercaturis frequentissima, nec procul intra Mesopotamiam à Niniue olim celeberrima sita.Cæterum an à famosissimo Nestorij veneno modò prorsus sint alieni, non satis constat, certè in multarum orationum solennium volumine nusquam Diuam Virginem Θεοτόκον, sed parentẽ vitæ lucisq; appellant.

In Si-

In Syriaci tamen noui testamenti ex antiquissimis, adeo vt Apostolorum tempora referre videntur, exemplaribus, Viennæ Austriæ anno 1556. impressis, capitum titulis festorum Dei genitricis subinde mentio fit.

Nestoriani summo se subdūt Pontifici 1368.

Patriarcham, non nisi quatuor adhibitis Metropolitanis, suæ sectæ initiari posse credunt, vsq; adeò vt si numerus hic desit, à solo Pontifice Romano, quem Apostolorum Principis successorem appellant, illum consecrari debere statuant. Hinc factum est, vt anno circiter 1368. Romam venerit Nestorianus quidam, Maraus nominē, quē initiatum summus Pontifex ad suos remisit. Hoc in tabulariis populi scriptum extare inter recentissima erga Pontificem Romanum obligationis & obsequij exempla, retulit alius Nestorianus Siud: qui annô 1552. Romā similiter à suis missus est, vt in Patriarcham vngeretur. Vsi autem sunt in eo designando hac ratione: Defuncto patriarcha, cùm deessent Metropolitani, frequentes ex Syria, Assyria & Persia, Nestoriani Mozal conuenêre, veriti ne quis malis artibus eam dignitatem adipisceretur: inter ipsos aderant tres qui adhuc superérant Episcopi ciuitatum Persidis, Arbelę, Salmasti, Adnobergam, quæ octo dierum fortè itinere à Niniue celebri olim vrbe versus Oriētem distat: & ex Assyriæ ciuitatib' Babilonia, & Carcha, haud procul à Niniue, ex insula Tygris 12. millibus passuum supra Mozal posita, & decem ferè passuum millia suo ambitu continet, muris vndique cincta, & à paucis aliis, quàm Christianis hominib' habitata. Ecbatanis siue Taurisio, Nisibi, Morde, Ammea, Halacepha supra eā, quam diximus, insulam sita, aliisq; locis in quibus Nestoriani degunt, confluxêre sacerdotes & Cenobitæ,

Ratio Nestorianorū in designādo Patriarchā.

Variæ Nestorianorū Ecclesiæ.

Insula Tigris à Christianis tota pene habitata.

bitę,item tres quatuórue viri Primarij, qui publicis literis voluntatem ciuium, quorum nomine venerant,testarentur.

Ibi porrò cùm illorum Episcoporum vnus sacris esset operatus, atque Euangeliorum librum, sanctę crucis imaginē(quo solo per Turcas Chrístianis vti licet in tēplis simulachro)ob omnium oculos proposuisset, ac deinde paucis ad populum concionatus esset,& post eum cæteri Antistites,ordineque omnes alij voce,alij literis,suas, ciuiumque suorum sentētias edisseruissent:compertum est maxima suffragiorum Siud, huius historiæ authorem fuisse Patriarcham designatum, virum annorum circiter 40. in ciuitate Mozal optimatibus natum,qui iam tum annos duodecim 12. Cenobitis plus minus quadraginta præfuerat. Abest monasterium hoc à Niniue millibus passuum ferè octo, ab Alcus patria Nahum prophetę(etiamnum huius monumento tam Iudęis quàm Christianis celeberrima) non amplius duobus passuum millibus. Aduocant itaque populi totius nomine Siud,licet reluctantem, atq; in medium statuunt: facta solenni more re diuina,sententias denuo ex ordine rogati,cum maiore etiam quàm antè consensione, de illo suffragia tulerunt. E vestigio pro veteri consuetudine & decreto,cui repugnarē nulli fas est, ad Romanum Pontificem cum literis mittitur:& à septuaginta viris Hierusalem vsque deductus est, inde Romam tribus tantum comitatus venit, & à summo Pōtifice Patriarcha creatus, ad suos rediit. In epistola populi Nestoriani, quàm Siud anno 1552. ad Pontificem tulit, ipsum summum pontificem patrem Patrum, & pastorem maximum nomināt.Petrum tēporis nostri,& Paulum

Turcæ unā crucifixi imaginem rmittūt.

Monasterium Nestorianorum.

Sententia Nestorianorum de papa.

dierum nostrorum, cinguloque comprehendentem vniuersum Christianorum cœtū, loco Christi esse, habereque claues regni cœlestis. Vocant & murum fortis ciuitatis, & matris ciuitatū Romæ magnæ, quam piscatus est princeps Apostolorum Petrus, & prudens architectus Paulus. Postremò caput omnium patrum Pontificē Romanum vocant. Addebant se mittere magistrum nostrum Siud, virum doctum, temperantem, cœlibem, charitate præditum, excellentem insigni vitę probitate: causam addunt, quia sacerdotium nostrum (inquiunt) à priscis temporibus ex Roma est, quæ est sedes Petri: dolentque iam 300. annis viam interseptam esse: quo minus Romam venire tuto liceat.

De urbe Roma.

De confessione.

Ipse verò Siud in sua fidei professione, quam Romæ professus est ore & scripto anno 1553. de Trinitate rectè sentit: doletque cuiusdam tyrannide confessionem criminum apud suos sublatam esse, rogatq; Pontificem, vt illos excommunicet, qui eam obseruare nolunt.

De S. Trinitate.

In sacrificio Missæ credit Christi corpus & sanguinem esse, Romanam Ecclesiam sedem Petri, qui est caput Apostolorum, quod donum, inquit, dedit ipsi Christus per illa verba quæ dixit ad Petrum plantatorē illius: Tu es petra, & super istam petram ædificabo ipsam Ecclesiam meam, ita enim illi legunt. Admittit etiam Consiliū Ephesinum, quod ait propter Nestorium fuisse conuocatum, dicentem duas personas esse in Christo. Summa, recipit omnia consilia quæ Romana Ecclesia: excommunicat quos illa excommunicat: vocat beatam Virginem Dei matrem: aitque in suorum libris reperiri sacerdotium ipsorum esse à Romana Ecclesia: quare petit sibi impartiri à Romanæ Ecclesię Patribus spiritū sanctum, &c.

De Sacrificio missæ.

Tu es petra, & super istā petrā ædificabo ipsam Ecclesiam meam.

Ex

Ex his videtur Neſtorianos & Iacobitas lōga vexatione fortè dante intellectum, in multis ad Romanā Eccleſiā rediiſſe: habere tamē quaſdam ſuperſtitiones illos qui in India degunt, P. Melchior Nuneſius in ſua epiſtola ad fratres noſtros Europeos anno 1561. ſcripta, his verbis docet.

Viſitaui nuper vnà cum Epiſcopo aliquot caſtella, quorum incolæ ab illis Chriſtianis originem ducunt, quos D. Thomas ad fidem conuertit. Miratus ſanè ſum & hic immenſam Dei bonitatem, qui hos hactenus ſine concionibus, & ſacramentorum frequentatione, aliiſq; rationibus, quibus noſtra continetur religio, in ea fide conſeruārit. Magis tamen mirandum, quòd aſſiduè à vicinis Idololatris Mauris, Iudæis impetiti, acerbè vexati, omnium iniuriis expoſiti, & irriſi, traditam hanc à D. Thoma doctrinam non deſeruerit. Vt enim nō per omnia vera hic ſit religio aut ſana doctrina, quam neceſſum erat cū tēpore collabi: retinēt tamē qualiacunq; priſcæ religionis veſtigia. Mirū ſanè inter tot Chriſti hoſtes venerandæ crucis myſteria conſeruari potuiſſe. In dies ſingulos ſub occaſum ſolis ad tēpla ſua conueniunt, pſalmos & lectiones quaſdam Chaldæo ſermone decantant. Idem ipſorum patres ſeu ſeniores quos Laccenares vocant, ante ſolis exortum faciunt, ad ſuas aras matutinas preces recitantes. Quod dum fit, omnis aſtās populus acclamat: Alleluya, & alias ſimiles voces tanto impetu ſpiritus intonās, vt tametſi nō intelligeremus, excitabat tamē neſcio quo pacto mentes noſtras ad pietatem. Cùm inquirerem quid fidei noſtræ tenerent, aut quid repudiarent, deprehendi eos quicquid nobis de Trinitate, de incarnatione verbi, de Euchariſtiæ ſacramento traditum & deſcriptum eſſet, ſolidè credere.

A D. Thomæ facti Chriſtiani.

Eorum cōſtantia.

Iudæi Indi.

Religionis veſtigia.

Indies in tēplo canunt Pſalmos Chaldaice.

Altaria.

Trinitatē credūt, incarnationē

In Euchariſtia Chriſti præſentiā.

Id eo magis mirandum, quòd nullam aliũde habeāt fidei instructionem, quàm ab Episcopis qui ad hos nonnunquam ex Syria veniunt: quorum tamen plerique aut Theologiæ ignari sunt, aut Nestoriani. Dum itaque ad hunc modum cum illis sermones conferrem: primum experientia didici, quàm nobis sit necessaria linguæ Chaldaicę cognitio, iis præsertim qui hos à D. Thomę tempore Christianos & Zocotoranos, ac qui Aethiopum Regi subiecti sunt, velit conuertere, rectéq; in fide catholica instituere. Quicquid enim habent sacrarum literarum, quicquid precum horariarum, quicquid traditionum, sola Chaldaica lingua scriptum habent: nec fidem vllam adhibent scripturis, nisi eo idiomate citentur. Quæ certè opinio non parum hactenus veræ religionis fructum impediuit. Nam periculosis erroribus irretiti, nihil admittunt præter Chaldaicum, Latinè scripta, nihili faciunt. Quosdam errores modò subiiciam, Sacerdotes ipsorum panē fermentatum in sacrificio missæ consecrant, offeruntque nescio quo oleo mixtum, quo etiam Christum vsum adserunt: sacris initiati, vxores ducunt, vsuras quasdam licitas arbitrantur, Iudaicis cærimoniis vtuntur. Quę quidem corrigi possent, adeóque sperarem me correcturum, si diuturnior mihi cum illis esset vsus, & linguæ Chaldaicæ ignorantia fructum non impediret. Quare grammatica Chaldaica lingua conscripta iuniores instituendi erunt. Hæc ille.

Zocotorani. *Errores istorũ Christianorum.* *Oleum Eucharistiæ miscent.* *Sacris initiati, uxores ducunt* *Iudaizant.* *Chaldaicæ linguæ necessitas.* *Armeni Hæret.*

Nunc de Armenis pauca subiiciamus: habuêre & hi ab initio Iacobum Zātulum Ducem, sed pôst perpetua hæreticorum consuetudine, vt iam multa experientia discimus, in mille abiêre opinionum monstra: Arium, Apollinarem, & alios

viros

viros famoſos ſecuti, abſurdiſſimas tandem (nam proficiunt & hæ ſcholæ) cærimonias commenti ſunt. Cœnam Domini Iudaico more agno immolato, & ſanguine poſtibus ædium illito, celebrant: oblationem oleo ſubigunt & vngunt, cum vino aquã non miſcent, naturæ Chriſti vnitatem figurantes, & ſecũdum errorum principia eodem die annunciationis natiuitatis Chriſti & Baptiſmatis feſtiuitatẽ celebrant. Euangelij dicta tollunt non pauca. Denique abſurdiſſimis fabulis fidem adhibent. Niceph. lib. 18. cap. 52. & 53. Damnat ſexta Synodus nonnullas Armeniorum conſuetudines. Horum tamen patriarcha Georgius in ſua ad Eugenium 4. Epiſtola, anno 1440. miſſa, S. Trinitatem confitetur, ſummũ Pontificẽ vocat principalem veritatis paſtorem, literas eius auro & radiantibus ſtellis comparat, ſeque amplexurum ait, quicquid ſummus Pontifex ſtatuerit: videntur igitur & Armenij in multis ad cor rediiſſe, quamuis Aſiæ plebes in ſua obſtinatione permanſerint. Hæreſes igitur iſtę tot flagellorum in Aſia fuiſſe origines putandæ ſunt. Hę enim ex ſeptentrione (vnde tot mala) Barbaros euocârunt. Vt enim terriculamenta de cœlo, fulmina, incendia, typhones, telluris item quaſſationes & hiatus, ſępè à Deo hominibus incutiuntur, ita hi à Deo ſeruanti ſeptentrionales, & hyperborij terrores, pro pœna, quando & quibus viſum fuerit, immittũtur, & patriis ſedibus relictis, non ſecus atque magni maris ſinus per decliuia effuſus omnia, ad quæ pertingit, inundat, atq; proſternit: plurimas enim gentes vaſtauerũt, plurimas iugo ſeruitutis ſubiecerunt: Et quod omnib⁹ malis peius eſt, plurimas in Aſia Eccleſias euerterunt.

Quare alibi Deus tam in Oriente, quàm Oc-

cidente modò ſibi ferociſſimis populis & humana carne veſcentibus nouas parat Eccleſias,& vocat non populum ſuum,populum ſuum, vaſtaſq; Eccleſiæ noſtrę ſolitudines ex iis reſtaurat. Negant nonnulli id nobis quid boni prçſagire, qui verentur ne item vt alij olim Chriſtiani , à Deo deſeramur, ac tandem alicuius ferocis tyranni ſeruituti ſubiiciamur.Siquidē eadē apud nos quę olim apud eos pullulant vitia:illi enim ex variis hereſibus ad ſummam barbariē,vel ad Mahumetiſmū defecerūt,vel ad Idololatriam relapſi ſunt. Certè ſi noſtras vires cum aduerſariorum potentia,tum Perſarum,Turcarum,Saracenorum, tum hæreticorum conferre volumus, inferiores nos eſſe negare non poſſumus , atque imbecilliores, paucioreſq;,quàm vt tot hoſtes færociſſimos poſſimus ſuſtinere : niſi Deus (cui nulla par eſt humana potentia)vt olim exiguam Paleſtinā conſeruauit,ita pro hac etiam aſſiduò propugnaret, ac veluti,quod ſupereſt, ex totius Eccleſię Caſtris prædæ crudeliſſimorum inimicorum faucibus eriperet.

Vt autem plenius & maiori cum fructu ac timore Domini clades noſtras agnoſcamus, & q̃ latè in omnem terram exiuerit ſonus Apoſtolorum , & in fines orbis terra verba eorum, videamus:ſtatui paucis prçter res Tartarorum oſtendere,quàm latè olim patuerit Eccleſia:eáq; videri impleta,quæ Dauid cecinit , A mari Orientis vſque ad mare Occidentis Deū Eccleſiā ſuā iam olim propagaſſe,& extremos terminos terrę poſſediſſe,intelligeturq; Chriſti fidem iam olim ibi fuiſſe,vbi modò renouatur: quāuis multis in locis nulla,in aliis verò perexigua relicta ſunt Chriſtiani nominis veſtigia.Apud Indos dico Tartaros,Cathaianos,Mangianos ſiue Cinas nec nō Ia-

panes

panes, eosq; qui Americã incolunt: vt hinc pateat q̃ latè olim sese, vt dixi, Ecclesia diffuderit: & modò è latissimis regnorũ cãpis in quãtas angustias & terrarũ angulos hęresibus pręcurrentibus addu cta sit. Rursumq; ex literis Indicis, aliorũq; scriptis, quàm latè, tam in America, quàm Asia & Africa, & variis Insulis denuo diffundatur.

Quoniã verò satis omnibus cõstat, qui in veterũ libris sunt versati, quàm grauiter Arriani, Gothi, Vandali, Saraceni, & Turcæ Dei afflixerint Ecclesiam: his omissis, Tartarorum ortum, potentiam, bella, mores, religionem, nõ solũ ipsorũ, non ita nota omnib⁹, sed totius Asiæ, reliquiasq; Christianorum per Asiam paucis explicabo, notando loca, in quibus olim Euãgelij semẽ sparsum fuit; idq; ex cõmentariis eorum potissimũ, qui Asiam peragrârũt, & Tartarorũ bellis & interfuere, & ex ipsorũ annalibus excerpsere: familiaresq; Magnis Chamis (sic Imperatorẽ suũ vocãt) & legati principum in has regiones fuerunt. Quoniã verò locorũ situs si ignoretur, & varia pręterea accesserit regionũ appellatio, inextricabilẽ ingerit obscuritatẽ: rudi admodum Minerua, & planè regiones quorum mentio sępè fit apud authores, nitar explicare.

Tartariã vocãt nonnulli, quicquid ab Oriẽtali Oceano, siue Mãgico, & vt modo nostri & etiam Iapanes olim vocãt Cinico siue Chinico terrarũ positũ est inter Septẽtriones & Meridionales regiones Indię, intra & extra Gangẽ, Sacos, Oxum amnem, mare Caspium, & Meotidis paludẽ, & ad Moscos siue Rossos Occidentem versus porrectum est, quia hæc omnia occupauerunt Tartari, & in iisdem locis locustarum instar resederunt. *Tartariæ lata acceptio.*

Vastum hunc terræ tractum alij nõ minus indistinctè Scythiam appellârunt, cùm tamen his *Scythiæ lata appellatio.*

terminis tres vastissimæ regiones contineantur: Sarmatia tam Europea quàm Asiatica : Scythia intra & extra Imaum montem posita : tertia in extremo Orientis Serica Ptolomeo dicta , quæ ad Septentrionē Cataiam,ad ortum Managiam siue Cinam habere videtur.

Sarmatia Europea. Sarmatia Europea inter amnem Vistulam & Tanaim;qui Europam ab Asia disterminat , sita, à Septentrionali Gotico mari meridiem versus, *Daci.* vsque ad Dacos,siue Dauos (quos modo Vala- *Valachi.* chos vocamus,& ad Istrum vergunt)se extendit, *Getæ.* & eodem penè tractu Getæ,sed versus mare Eu- *Strab.li.7* xinum magis degunt.Hos omnes & Samatas vel Sauromatas vocatos legimus,& Getas Daci nomine compellatos fuisse Plinius testatur.

Sarmatia Asiana. *Plin.li.4. cap.12.* *Appianus.* Asiana verò Sarmatia(semper ad ortum pergimus)interTanaim amnē & Rha fluuium,qua in Meotim influit,ad Septentrionem vsque se latè extendit. In hac Sarmatia est vasta Comania,quæ à Rossiá Ortum versus procul extenditur , inter magnam Bulgariam ex parte Septentrionis,& Circassos,Tauricam, Hiberos , Armenos & Turcos , ex meridie ád Volgam amnem vsque.Huic primùm occurrit Scythia, si diligen- *Scythia.* tissimo Ptolomeo credimus,& ortum versus Sericam habet,diuisaq; monte Imao ad Septētrionem decurrente , nomen intra extraque Imaum obtinet.

Scythia intra Imaum Scythia intra Imaū ab Occidente Sarmatia,ab Oriēte Imao,à Septentrione(vbi veteres Alanos habet)Oceano,à meridie Maris Caspij parte, qua Oxum admittit, Oxo amno (nisi mauis Iaxarte) Sacis , iuxta quos Massagetæ, clauditur. Extra Iaxartē Turcas consedisse putandū est, id nomina testātur locorum Turchestā, & Turchi:

huc

huc accedit, quòd tempore Marci Pauli, Magna Turcia hæc regio dicta sit.

Schythia extra Imaum.

Scythia extra Imaum à meridie Indie partem extra Gangem, à Septentrione vbi Hippophagos, Scythas, Tartaros, & Oceanum habet, ab ortu Sericam. Extrema hæc Septentrionis plaga propriè Tartaria dicitur, vbi Tartari sine ciuitatibus & vicis armenta agebant.

Serica.

Serica (à copioso serico, quod eo maximè abũdet, dicta) à Meridie aliquam partem Indiæ extra Gangẽ, & Sinas habere ait Ptolomeus. Sinas Siã regnum esse merito quis ex Ptolomeo suspicetur, qui Sinam vltra equinoctialem extendit, quo Sian regnum, non Cinam siue Chinam pertingere constat. A Septentrione Cathaiam, ad Ortũ terram incognitam, vt ait Ptolomeus, Cinã modò habere constat.

Tartariæ situs. Sedes Tartarorum. Mores & uitæ ratio.

Tartaria itaque in ea Septentrionis parte sita est, quæ Indiæ extra Gangem opponitur. Habitarunt autem Tartari primo circa Coracoram, vbi multa pascua, & loca irrigua, sine villis & oppidulis, inter pecudes & armenta, pecudum more, sine literarum vsu, ac notitia, sine Principe, procul à bellorum strepitu remoti: aurum, diuitiasque, vt res inutiles spernebant, victum, amictumque ex armentis parabant: ob quam vitæ simplicitatem, tanquam vilissimi hominum, contemptui fuerunt.

Præsbyter Ioannes.

Imperabat in hisce regionibus Asiæ, non procul à Tartaria Coir Cham, quo mortuo sacerdos quidam, & pastor Nestorianus Ioannes excitata (pro perpetuo hæreticorũ more) seditione, Naimanorum inuasit regionem, deinde totius Oriẽtis Imperium. Imperij sedem elegit Tenduci: quoniam verò præsbyter erat, Presbyter Ioannes

dictus

Vm, cham.

Alius est Jfsoyker Jones, alius Jg Prekiany

dictus est, quod nomen successoribus remansit. Eo defuncto, arripuit imperiū huius frater Vuth siue Vm, qui se Chamum, hoc est, Dominū vocauit. Hunc principē sedulò missis nuncijs optimus Lusitanorum Rex Ioannes 2. quærere curauit: qui cùm in Ægyptum, & mare rubrū venissent, intellexissentque in Æthiopia quendam potentissimum Christianum regnare Principē, Præteiannum esse rati, eo nomine non sine errore compellârunt, & etiam modò nomen apud nostros retinet.

Vm Chamus igitur cùm Tartaris etiam imperaret, videretq; succrescentem fortium virorū multitudinem periculo non carere, in varias regiones habito delectu fortissimos quosq; ablegauit, eorum opera ad sua negotia etiā abutens, & suæ militiæ inuitos adscribens. Tartari intellecto dolo Vm Chami, non esse diutius tolerandam hanc seruitutem, nec vt mutuæ societatis & cognationis iura vlterius violarentur, ferendum: cō spiratione facta, relictis antiquis sedibus, ad septentrionalem, & natura munitam regionē versus Ciorzan & Bargu, & Mecritas se contulerunt: negatoque tributo, se in libertatem vindicârunt: Qui verò in Mōgalia (quæ duplex est, Simulgal, hoc est Magna, & Necmongal, hoc est aquatica Mongalia, in qua labitur amnis tartar, quē accolunt populi qui propriè Tartari dicuntur) remāserunt, cum eo nomine malè audirent, & nihilominus tributa vrgerentur, excreuissetq; adeo barbarorum turba, vt iam in plures tribus, & regiones, Angur scilicet, Cunar, Calair, Sonith, Thebet, Mecrit, Mongal, Tartar, Cangij patriam distributi essent, de seditione mouenda in Vm Chamū, Duce Cangio, qui iam latrocinijs assueuerat, cogitatum

gitatum est. Iam enim tempus aderat, quo Deus
Asiam vniuersam graui flagello exercere vole-
bat, & degeneres hæreticos vna cùm Imperio
delere, Barbarorum furorē, anno 1162. excitat.
Cingi cuidam siue Cangio viro audaci fortuna
fabro, nocte quadam vir albo insidēs equo, appa-
ruisse dicitur: eumq; admonuisse Dei immorta-
lis nomine, vt arreptis armis dux esset gētis: fore
enim vt nō solùm ipsos à seruitutis iugo libera-
ret, verùm etiā alios populos Tartarorū subiuga-
ret imperio. Rē narrat ille iis qui primarij vide-
bātur: licet igitur ad seditionē iam sat exasperati
propēderēt animi, tamē res hęc excipitur vt fabu
la, donec idē eques ipsis in quietē visus, monet,
vt Cangio obtēperent, & ducē eum creent. Sta-
tim igitur feltro impositū (neq; enim alio vti cō
sueuerant aulæo, quàm quo imbrium iniurias ar
cere didicerant) Imperatorem in altū sublatū læ
ti salutant. Cùm esset vir acri ingenio pręditus,
nec pessimus, leges statim tulit, inter cæteras, vt
Deū immortalē, cuius beneficio eā erat adeptus
dignitatē, gens verò libertatē, vt gratos decet, ac
memores tāti beneficij, in principio actionū sua-
rū inuocarēt & honorarēt. Cœpit igitur suis
Sumungalis, qui ad amnē Tartar degūt, cū lau-
de & sapiēter pręesse, & qua præditus erat eloquē
tia, ad quod volebat eos flectere: adeoq; in hono
re habit' est, vt De' vix potuerit magis: quę fama
diffusa est per oēs quaqua versus regiones, cōcur-
susq; magnus ad ipsum fuit Tartarorū, qui in a-
liis regionib' dispersi vagabātur. Inter quos fuisse
eos admodū est verisimile, qb' ī suis ministeriis
vtebatur rex Vm Chamus: q iā variā rerū, belliq;
experiētiā adepti alios instruere poterāt. Videns
Cangius se multis fortibus viris stipatum, locis
illis

Tartarorum imperiū a Deo videtur fuisse.

Cingis siue Cangius Tartarorū Imperator primus

Immortalē Deum colēdum Cingis decernit.

Tartarorū ad Cangium confluxus.

illis incultis exeundum esse, ac meliores sedes quærendas iudicauit, cumque suos arcu sciret esse certissimos, vt qui in feris sagittandis à pueritia erant exercitati, monuit vt & alia arma bello oportuna tractare discerent. Decuriones, Centuriones & Chiliarchas constituit: instructoq; exercitu, subitò in vicinos imparatos, & nihil sibi à Tartaris metuentes mouit. Primo igitur volens, suorum periclitari fidem, certoque cognoscere, an ei quem sibi ducem delegerant, difficillimis in rebus obtemperarent, iubet quemque ducum proprium filium coram trucidare. Obtemperant illi, licet inuiti. Prospecta itaque ex tam immani facinore suorum fide, ad bellum se accingit. Et ne qua domestica seditio oriretur, ad Septentrionem primo contra Sumongalos, quorũ Dux, nescio quid moliri, visis rebus istis nouis, videbatur, mouit, & ipsum interemit. Inde ad Septentrionem pergẽs Mecritas domuit. Quæ res Naimannos, qui Mongales ad Occidentem degunt, malè habuit: ijs enim Tartari tributa soluere solebant. Congregato igitur exercitu, & in auxiliũ vocatis Carakitaianis, cum Tartaris cõgressi vincũtur, sed magna vtriusq; clade. Inde in Kithaos (Cataianos esse puto) bellum infeliciter transtulit: victus enim, occisisq; omnibus primarijs, septem exceptis, fuga elapsus diu quieuit. Tandem reparatis viribus, eosdem occiso Rege, subiugauit, & maximis opibus, quibus regio abundabat, ditatus est. Norat is vti victoria, & victos sibi deuincire, ita vt non grauatim ei subessent. Primates secum in belli societatem ascitos, honoribus auxit, magnificeque habuit.

Duces creat.

Rebus ita prosperè succedentibus, maiora ausus, in Vm Chamum, cui prius cum reliquis Tartaris

taris seruierat,& tributa dederat,belli occasiones quærit,filiam Regiam sibi vxorem dari petit.Ille iniuriam id interpretatus,legatos reiecit,mortem,si reuerterentur, minatus,quippe indignum iudicabat,vt regia proles à seruo Tartaro peteretur. Turbatus vehementer Regis cõtumelia Cãgius,magno exercitu ipsum aggreditur. Occurrit ille suis copijs, vincitur, occiditur: omnia sibi subiicit Cangius, Regiam filiam sibi vxorem capit, atq; hoc modo Nestorianum euersum est imperium. Vxor Nestoriana secum abduxit patris Secretarium, monachum eiusdem factionis, quem Taurisy in Media, siue maiori Armenia conuenit Ioannes Planocarpinus franciscanus, Summi Pontificis ad Tartaros legatus,& nõ solum hæreticum, sed mercatorem vsurarium, & veneficum esse deprehendit (ita enim proficitur hæresi) Tartarisque gratum fuisse, ob suas præstigias, & quòd futura prædicere crederetur.

Regẽ Vncanum vincit.

Victo Vm Chamo,& regno Tẽduch subacto, ipsum tunc demum in Cathaiam bellum transtulisse volunt:ob id & Regem diu obsessum,vrbe dolo capta,trucidasse. Gentem hanc sine baptismate, ea tempestate multa Christianæ religiõis capita seruasse & credidisse legimus,quod & in India deprehensum est.

Dum hoc modo Cangius longè lateque bella feliciter gerit,tãdem ad castrum Targin progressus,sagitta lætaliter vulneratus,Principes, & 12. filios conuocauit,hortarique cœpit,si res suas auctas vellent,concordiam animorũ, & coniunctionem colerent,allatumque in medium sagittarum fascem probè ligatum, singulos filios monuit,vt ipsum frangerent,cumq; frustra niterentur,minori iubet,vt dissoluto fasce vnã sagittarũ

Cingis morientis utilis admonitio.

tentet

tentet: cùm eam expeditè fregiſſet, rogat cur id primo non potuerit? Quia(inquit) colligatæ iū-ctæque erant. Tum ille: Ita nec veſtrū imperiū, quādiu cōcordiæ vinculo fueritis vniti, vllus diſſipare poterit: cùm verò diuidi cœperitis diſſidijs, collabetur. His dictis tradito ſapientiſſimo prudentiſſimoque filiorum Hocatæ imperio, & inſtitutis quæ ad bonam gubernationem pertinerent legibus, in viuis eſſe deſijt, & in montem Altay regum in poſterum ſepulturam illatus eſt.

De Hocotij Imperio.

HOcotius ſtatim animū adiecit ad vniuerſam Aſiam ſubiiciendam, imperiumque Oceano claudēdum. Iubet igitur de potentiſſimo Aſiæ Principe Duce Gebeſabada cum valido exercitu ad id miſſo quærere, monetq; ſi fortè ſe imparem agnoſceret, ne exercitum temerè periculo exponeret. Pergit ille ad extremum maris Caſpij, & mōtem Caucaſum, vbi Derbēth vrbs, ab anguſtijs loci ſic dictū, vbi ferreæ Alexandri Magni portæ eſſe finguntur. Alexādriam Armeni appellant, Alexandri opus exiſtimantes, vrbem ne reuertentibus obſtaculo eſſet, euertit. Yuanus Georgorū Rex valido exercitu occurrēs, edita vtrinq; magna hominum clade, vincitur. (Georgi populi.) Dein in Turciam delatus Tartarus, dum ad ciuitatem Ariſcor cum maximo, optimeq; inſtructo exercitu, Sultanum eſſe intelligeret, videretque ſuos laboribus, longiſſimo difficillimoque itinere defatigatos, pedem retulit, & ad Regem Hocotium Cambaluuium rediit. Is iam varios exercitus inſtruebat filiis, Iochum natu maximum cum valido exercitu in Turqueſtaniam, inde per

Par-

Parthiam,Mediam,& Perſidem,vſq; ad Euphratem,quem iuſſus erat non traiicere,Imperij terminos protulit.

Chogodaiam alterum filium, ad Meridiẽ & Indos. Verùm is,cùm non ſuccederet bellum,ad fratrem Iochum in Perſiam venit.Ipſe verò Hocotius regna Sagathaiæ & Caſſiæ bipartito exercitu inuaſit. Baidonem verò alterũ ſtrenuũ Ducẽ in Turciam miſit,qui Guiatadim Sultanũ vicit, & Turciam occupauit anno circiter 1244.

Tartari Turciã occupant, 1244.

Battum porrò alium filium in Comaniã cum validiſſimo exercitu, ſexcentorum nimirum equitum millium miſit. Is Comaniam, Colchos, Iberos,traiectoque Tanai,Tauricam, Roſſiã occupauit. Inde in Poloniam & Hungariam delatus,vtramque,infinitis hominibus captis & cęſis, fœdè vaſtauit,& vſque ad Auſtriam & Samogitiam infeſtis armis peruenit:ſed Sileſiorum virtute fractus,licet victor retro abijt, & ad Volgam ſedem fixit.

Tantum autem terrorem Tartarus Europę incuſſit,vt tota trepidaret: Summus igitur Pontifex Innocentius quartus de grege ſolicitus,anno 1212. aliquot Monachos præſtantes viros, inter quos Ioannes Planocarpinus Franciſcanus, ad Tartarum miſit: quibus iniunxit,vt inter cætera res Tartaricas perluſtrarent. Cùm in Roſſiam veniſſent, iuſſi ſunt equos mutare, & Tartaricos, qui ſub niuibus quibus hæ regiones plerunque abundant,pabulum quærere didicêre.Tandem ad Battum peruenerũt,qui ad Volgam caſtra habebat. Monentur per duos ignes, ſi fortè toxicum ferrent, tranſire,& limẽ nõ contingere, & ante Regẽ genua flectere.Rogant igitur eum Summi Pontificis nomine, vt à Chriſtianorum

cędibus

cædibus abſtineret,& regni æterni memor eſſet. Ille Pōtificis lectis literis, recepit ſe ad 5. annos quieturum. Videntes hominis humanitatē,tametſi bello ferus eſſet, auſi ſunt ei Chriſti legem annunciare: Nec ille inuitus audiuit, cùm eam ad ſalutem prorſus neceſſariam eſſe docerent. Verùm is eorum aliquos cum ſuis literis ad Pōtificem remiſit: Planocarpinum verò ad ſummū Chamum direxit. Ille in Mongaliam peruenit, & quæ vidit,literis commendauit.

Interea Saraceni verentes, ne Battus Chriſto nomen daret, ei perſuaſerunt,Chriſtianos homines eſſe Paganos,imaginū,hoc eſt, vt ipſi interpretabantur, Idolorū cultores, difficillimamq; legem ſequi: ſe verò & facilem,& voluptatibus plenam, & vnum Deum Creatorem omnium adorare: præterea ſe belli gloria claros eſſe, ſuperbos cogere, humilibus tributa imperare,& ad maxima rerum imperia aſpirare: Chriſtianos verò imbelles eſſe, & abiectioris animi, nec ſimiliter armis gloriam quærere. Placuit itaq; ab eo tempore Tartaris Mahumetiſmus, quo iam hactenus ſunt infecti.

Dum Tartari tot exercitibus Aſiam vaſtant, Coraſmios populos ſedibus ſuis ob interemptos legatos,magnis cladibus affectos,eiecerūt:cúmque eſſent bellis aſſueti, & Saraceni à Meledino Ægypti Sultano in Syriam vocati,Gazam,Aſcalon, Hieroſolymā à Frederico Imperatore anno Domini 1229.receptam, occupârūt:& ſepulchrū Domini hactenus intactum,fœdè violârūt, poſtquam in omnem ætatem & ſexum cædibus ſæuiiſſent: quæ res S. Ludouicum Gallorum Regem cum exercitu in Syriam anno (ni fallar) 1250. euocauit.

Dum

Dum hæc quæ commemorauimus, ab Hocotij filijs geruntur, ipse vitam cum morte cõmutauit. Successit Gino, qui cùm non diu in viuis esset, successorem habuit Mangu.

Imperium Mangij.

FVIT & Mangius insignis Imperator, multas regiones adiecit imperio, inter cæteras amplissimam Thebetiam, quā adeo vastauit, vt ob feris hominibus diu fuerit infesta. Sed ad nostra reuertamur. Cùm Rex Armeniæ omnia Tartaricis armis cedere animaduerteret, volens regno suo consultum optime, Imperatorem Mãgium, qui Cambalu agebat, adijt: cumq; esset primus magnorum Principum, qui ad Chamos supplex venisset: mirum dictu, quàm fuerit gratus, quantopereq; sibi placuerit hoc nomine Mangius, recepit se facturum quicquid peteret. Rex proponit Chamo Christianam religionem, docetque meritò obuijs vlnis ob summam vtilitatem amplectendam esse, ac persuasit. Secundò, vt perpetua pax firmaretur inter Christianos & Tartaros rogat, & Christianis restituatur, quicquid vrbium ereptum esset, Palestina cum S. ciuitate ipsis recuperetur: templa & clerus immunitate gaudeant. Tertiò, vt regnum Califæ, Ægypti, & Mahumetismũ, res summè impias euertat. Deinde quicquid Saraceni eripuerunt Armenis, id quoque eis restituatur. Omnibus annuit Chamus, & cum sua familia, multisque Principibus baptismatis fonti admotus est. Fama de hac Chami conuersione, & pacto cum Christianis de Saracenorum gẽte, Deo, hominibusq; inuisa funditus delenda, inito: itẽ de missa ad Regẽ Ludouicum legatione, & ei promissis auxilijs, & *Rex Armeniç adit Tartarum*

quod Tartarus Babylonium, Ludouicus Ægyptum infestis armis peteret, vt distractis viribus facilius domarentur Barbari, vagabatur per vniuersam Syriam. Quare Meledinus suo, & Legati Babylonici studio pacem cum Alexi Sultano fecit. Ludouicus Rex initiato cõgratulaturus Tartaro, inter cætera regia munera misisse dicitur tentorium coccineum, in quo Christi Domini ludibria & afflictiones, tam ad viuum expressa erant, vt spectatores ad lachrymas & pietatẽ excitarent. Ludouicus igitur Ægyptum inuasit, expugnataque Damiata, Cairum properans, in via magnam stragem edidit barbarorum. Quæ res Meledinẽ dolore cõfecit: successitq; Melixala filius, qui cõparato ingenti tam Turcorũ, quàm Saracenorum exercitu, Ludouicum, toto exercitu eius cum peste & morbis luctante, cepit, receptáque Damiata, humaniter habitũ demisit: verum à suis, necdũ Damiatã ingressus, trucidatus, Melexala Turquemenius à milite Rex appellatus est. Futurorũ malorum portenta tunc visa, nubes sanguinea, & panis incisus non aliter atque humanum vulneratum corpus, sanguinem fudit.

Califa Babiloniis sub actus.

Mangius interea, vt conuenerat, Halonem fratrem in Palestinam misit, qui Persiam transiens, quicquid reliqui erat, subiugauit. Baldach deinde, siue Babylonem nouam, quæ ad Euphratem iuxta veteris Babyloniæ ruinas ædificata, Califarũ sedem cum Califa in suam potestatẽ an 1258. redegit. Cumq; immẽsos thesauros apud hominẽ inuenisset (quantos vix vllibi terrarũ in vnũ congestos reperiri credas) Cur (inquit) auare, vt te tuosq; tuereris ab hostium iniuria, conscripto copiosiore milite, his opibus vti noluisti? Æquũ sanè est, vt ad extremũ vitæ fruaris iis, quę tãtopere adama-

Fame necatus.

adamastiq;,appetiuisti. Iubet igitur Califam sine cibo inter thesauros reclusum interire,& hoc modo qui tam crudeliter tot Christianos prius afflixerat, finem viuendi fecit. Hic enim cùm totus in hoc esset, vt Christianam fidem extingueret, magnis molestijs Christianos anno 1225. afficiēs, plurimos conuocârat,inter quos Armenij,Nestoriani,Iacobitæ,& similis sectæ homines. Quibus ille,cùm conuenissent,dixit: Quoniam Euangelium vestrum docet fide montes transferri posse,si religionis vestræ probi cultores estis,aut mōtem transferte,aut Mahumetismum amplectimini,aut certa mors omnes manet. Cùm hæc tyrānis grauiter omnium affligeret animos, ad Deū (quod vnum supererat)confugiunt, multisq; lachrymis ipsius auxilium implorant. Ille volēs sua immensa bonitate,& Mahumetanis,& hæreticis consultum,monet per quietē,Episcopū quēdam cæteris probiorē superesse,bonis operibus,& eleemosynis totū intentū,qui id diuina ope adiutus, posset. Accersitus ille, infirmitatis suæ cōscius rē tantā primo detrectat,tandē persuasus venit. Procedunt supplices magna fiducia, crucis vexillo prælato ad montē. Ille demisso animo ante crucē prostratus Deū orat: montiq; in nomine Sanctissimæ Trinit. præcipit,vt abeat: Orto terræ motu,& tanta terræ concussione,vt omnes terrerentur,quod petebatur effectū est: abijtque Califa cū multis,quos ad Christianos perdēdos,si nihil successisset,adduxerat,melius in Christum affectus. Multi hoc miraculo in fide non solùm confirmati,sed etiam eam amplexi sunt:& ipse Califa crucem collo appendit,quæ inuenta ad cadauer, in causa fuit,vt in eo loco, vbi Califæ sepulti erant, non humaretur.

Mons loco miraculo se motus.

Sed ad Halonem reuertamur: vxorē duxit Christianam, cuius consilio Saracenorum Moscheas euertit, Christianos Babilonicis vrbibus præfecit, Alexum regni Syriæ caput opulētam & munitissimam vrbem, anno 1260. Armeniacis armis adiutus expugnauit: quod audiēs Melecnasar Alexi Sultanus, qui Damasci tunc agebat, confisus de Tartari humanitate, se ei cōmisit: verū missus est Persiam captiuus, vt omnis rebellādi occasio tolleretur. Genero Regis Armeniç, Principi Antiochiæ multa oppida, quç ipsius fuerāt, restituta sunt. Hinc moturus in Hierusalē Halo, intelligit fratrē suū Mangium obiisse: quāre successorē se fore sperās, Taurisium cōtendit, inde Cambaluuium iturus, Duce Guirboca, nepote in Syria relicto: erat & hic Christianorum amicus. Verùm cùm quendā huius nepotē Germani milites in tumultu quodā contra Saracenos occidissent, & Guirboca ob id occupata Cæsarea, etiā nōnullos Christianos trucidasset, Germani facto cuneo per medios hostes partim Tyrū, partim Ptolomaidem Regem Angliæ, qui exercitū instruebat, expectaturi abierūt: nec sibi mutuo amplius cōfisi sunt Tartari & Christiani: quod diffidium in causa fuit, vt Sarraceni recuperatis viribus, Tartaros, Duce occiso, in Armeniam fugere compulerint, Christianique vix paucas vrbes retinuerint. Halo verò dum ad expeditionem redit, in via anno 1264. moritur.

Halo Christian⁹ 1256

Imperatoris Mangii mors.

Imperatori Māgu, Cublay siue Cobolus Haloni successit Abaga, sed non in hçreditatē Christi, pater enim Christianus erat, ipse Idololatra, sed tamē Christianorū amicus. Cumq; in ipsum bella insurgerēt, & Mediam suā tueri, cōtra vicinos Rossos, & Comanos, quos Bonliocdares Ægypti in cum

Imperium Cobeli & Halonis. Abaga Idololatra.

in eum excitauerat, cõpelleretur, Anthiochiam Saraceni recuperãt, Armeniã fœdè vastãt. et anno circiter 1268. ex Syria Tartaros pellũt. Rursus tamẽ anno 1282. Syriã cũ Turcia Abaga recuperauit, misitque legatos ad Papã, & Christianos Europæ principes, vt in recuperanda Palestina opẽ ferrẽt: ipse interea in Ægyptios, frater verò in Syriã mouit, sed sine successu, Bonhocdare veneno à suis sublato. Bondogabar post grauẽ cladẽ illatam Armeniis, ex vulnere perijt. Helpis mortẽ patris vlturus, Hamã Armenis eripuit, munitã ciuitatẽ, Tartaris auro à Saracenis corruptis: quare Ducem eorum Abaga securi percussit: militem verò vesti muliebri per totam vitam vestiri voluit: Abaga tandem veneno, quod ei miscuerat quidam Saracenus, perijt.

Successit Tongodor in baptismate Nicolaus dictus: qui cùm adoleuisset, ex cõmercio Saracenorũ, quos multũ amabat, pessim⁹ euasit, Saracenorumq; perfidiã secutus, Mahumetes appellari voluit. Rẽ Christianã grauiter afflixit, templa demoliri iussit, Ecbatanis maximè prohibuit ne quis Christiana dogmata populo publicè explicaret, proponerétue, Mahumetũ oẽs colerẽt. Tartaros quoq; ad Mahumetisinũ incitauit sedulò. Pacẽ cũ Ægypti Sultano inijt, promittẽs se, quotquot essent in suo regno Christiani, vel occisurũ, vel ad Mahumetismũ coacturũ. In summa grauissimã persecutionẽ instituit: Armenos & Georgos ad perfidiã amplectẽdam solicitauit. Verùm hi mortẽ impietati prçferendã duxère. Helpi igitur, qui Melechsaitem expulit, integrũ fuit, Marmeam munitissimam Syriæ in Phinicia vrbem anno 1282. post longam obsidionem, deditione obtinere: idem Carmelitas tota expulit Syria.

Tangodor Saracenus. Persecutio in Christianos.

Verùm Argon nō ferens fratris sui Tongodoris tantā impietatē, Cobelo significat, quo modo relicta Christiana religione, nō solùm Saracenus euaserit, verùm etiā oēs tam Tartaros q̃ Christianos ad eandē superstitionē amplectendā cogeret. Quod cùm summè displicere Cobelo intelligeret, Tōgodorē fratrē interemit, & regnū anno 1285. occupat. Hoc sublato mōstro rursum legati ex Proceribus Tartarorū delecti, & in religione Christiana catechesi instituti, Lugdunū, vbi Gregorius 10. cōciliū conuocārat, missi sunt, vt de recuperanda S. ciuitate agerēt. Vbi nō solùm sacro baptismate abluti sunt, verùm etiam Rodolphus Imperator cōfirmatus est, ea lege, vt Syris quàm maxima auxilia adferat: quæ res Pōtifice morte præuento, non successit. Argon interea cùm esset Christianorū amicus, nō defuit officio. Christianorū enim tēpla restaurari curauit, & ad expugnandā S. ciuitatē se parauit: verùm & eius cōsilium præmatura mors præuenit anno 1289.

Interea eodē anno Alphir Melecfactis successor, Tripolim munitissimā vrbē, licet Genuensiū præsidiū admisissent, tādem Christianis extorsit. Remansitque in Syria vnà Ptolomais in Christianorum potestate. Nec diu, cùm enim Ragaitus, qui Argoni successerat, homo vanus, & voluptatibus deditissimus ocium ageret, odioque ob id esset genti bellicosæ, & à suis necatus, Tyranni filius Emilech animosus iuuenis, Ptolemaidem diu obsessam, multis interemptis Christianis, vi cepit, & ita solo æquauit, vt sementi aptiorem, quàm habitationi eā redderet, anno 1291. Et hoc modo Christianorū nomen ex Syria sublatū est.

Ragaito iam successerat Baydo cōsanguineus, homo adeo probus, vt eo regnante, nemo ausus sit, Mahometanorum legem proponere. Cùm ob id Sara-

id Saraceni ei essent offensi, Casani Argonis filio regnum promittunt, si Christum neget. Insurgit igitur in Baydonem Casanes, & dum preliū committitur, Saracenis qui cum Baydone erant, ad Casanem deficientibus, Baydo occiditur.

Verum cùm Casanes regnum suum constabiliuisset, confirmasserque, filiam Regis Armeniæ duxit, & Christianos in honore habuit, Tartarosque qui eum hortabantur, vt Mahumetū coleret, persecutus est. Congregato igitur exercitu ducentorum millium armatorum, & in auxiliū vocatis Regibus Armeniæ, & Georgorum, Califæ Ægypti, Melec-nasar exercitum magna clade affecit: fugientemque quadraginta millibus equitum insecutus, ni Baldachiam euasisset, trucidasset. Alij Saraceni, qui Tripolim petebant, à Christianis montis Libani miserè trucidati sunt, anno 1298. Sunt qui tradunt ipsum totam Syriā tunc recuperasse, & S. ciuitatem Christianis habitandam à se restauratam tradidisse. Interea Persæ deficiunt, eò igitur contendens, Baydonem Ducem in Syria reliquit. Damascum cuidam Saraceno Calphaco commisit: & mitti legatos in Europam iubet, qui moneant de retinendo sacro regno. Pontifex ad Gallorum Regem Philippum, aliosque principes quidem misit, sed sine fructu. Interea Calphacus vocato Ægyptio, ad defectionem Syros incitauit, Hierosolyma occupat, & templariorū præsidia euertit. Quare Casanes cōpositis rebus Persicis anno circiter 1300. maximo cōparato exercitu statuit Saracenorū euertere regnū, & Christianis Palestinā cū S. vrbe restituere. Sed cū rursus Persæ seditionē mouerēt, Catalusa, duce 40. millib⁹ equitū cū Armenorū Rege in Syria relicto, Persiā petijt.

Casani regnum.

Verùm cùm Catalusa iuxta amnem hæret, Syri tantam inundationem procurârunt aquarum, vt magna exercitus pars perierit, compulsúsque fuerit re infecta recedere. Quare Armenorum Rex Liuonius Niniuem rursus tractaturus de recuperanda sancta ciuitate, ad Casanem abijt: is omnem operam suam est pollicitus: verùm morte præuētus, successorem reliquit fratrem Corbādā, qui & in baptismate Nicolai nomē sortitus, viuente matre Christiana fœmina probè se gessit, sed ea mortua, Saracenus efficitur, grauissiméque rursum afflicta est Armenia.

Cur summæ Tartarorum potentiæ tita Hierosolima nō cesserit.

Hic considerare lubet R. P. cur toties Tartaricis armis petita Hierosolyma, nunquā in ipsorū potestatem venerit, cùm in cęteris bellis superiores vsque ad prodigium semper euaserint, & totā penè Asiam, & magnā Europę partē inuicti domuerint. Hic verò solum magnis etiā Christianorū tā Asiæ, quàm Europę adiuti copijs, vincere nō potuerint. Sanè iram Dei in Asianos mores, hæreticosq; causam fuisse, quo minus & hic vincerēt, rectè licet existimare, qui tam Turcicū flagellū, quàm Sarracenicum sublatum noluit. Sed in perpetuam, vel certè longissimā durissimámque post tot vitia & errores, post tot celebratas Synodos, aliaque consueta Ecclesiæ remedia, hęreticā gentem pręcipitare voluit, seruitutē quam iam tot annis non minus quàm Iudæi perpetiuntur: vtinam nos illorū exemplo sapiamus.

Cœperat iam rursus (vt dixi) Syria sub Cassane caput attollere, Benedicto non parum collaborāte: copiosa enim hominum multitudo in Europa conuenerat anno 1320. Verùm tantum abfuit vt profuerint, vt Galliam turbârint.

Asambecus verò homo Turca, Armeniā ingres-

ſus magna Turcarum manu,oĩa vſq; ad Euphratem occupat,& in ſuam ditionem redegit: propter hoc vnum Chriſtianis æquior, quòd Ottomanidum potentiam ſuſpectam haberet: exutos enim imperio Chriſtianos,ſuis vti tantum legibus permittebant. Intellecto tanto Armenorum malo Ioannes 23. fruſtra rurſum Chriſtianos principes ad ſacrum bellum hortatur. Iam Turcæ qui Armeniam occupauerant,ad Mediæ quoque & Perſarum regnum aſpirabant, Leone Armeniorum Rege pulſo,& apud Anglorum Regem agente:vbi vſque ad annum 1391. hæſit,& principes Europæ iuuante Pōtifice fruſtrà ad ſacrum bellum inuitauit.

Circa hæc tempora Temyrlanes quoque à latrociniis orſus ad Imperium peruenit,anno enim 1397. Bayazetem Turcarum Principem cepit: verùm his relictis,& deplorata iam Syria,ad Tartatos reuertamur.

De *Cublai, ſiue Cobilæ, aut Cobeli Imperio.*

Vide M Paulum Venetum lib 2 de regionibus Orientalib: per totum

Cobelus annos natus 27. ob morum probitatem, & inſignẽ virtutem bellicam, qua facilè omnibus ſuis anteceſſoribus excelluit,legitimè anno 1256. ad Imperium eſt euectus. Potentia,& opulentia,& felicitate omnes,qui ipſum præceſſerunt, etiam ſuperauit. Chriſtianis impenſè fauit:& ſi Aitonio Armeno credimus, tandem etiam Chriſtianus eſt effectus. Hic Regem Ziambe Acambalem poſt difficile bellum,ſibi tributariũ fecit, anno 1268. Hic Farſurem potentiſſimum Mangiæ Regem, (quo non fuiſſe ante aliquot centenos annos in

ea

ea regione potentiorē traditur) regno exuit,munitissimū, amplissimumq; regnū obtinuit anno 1269.& in nouem pręfecturas diuisit. Habet autem vniuersum hoc regnū ciuitates colono frequentes & opulentas 1200. Inuiti porrò Tartaris seruiunt. Quoniā verò Iapaniam huic regno oppositā insulā millesimo quingētesimo miliari in mari ad Ortum,& auro opulentā sitam esse intellexisset,eam subigere frustra eodē anno tētauit.

Anno verò 1272. Cataię potentissimā vrbem Tudinfu,quæ hactenus libera cum suo potentissimo Rege remanserat,domuit:Imperabat ea 12. planè regiis & nobilissimis vrbibus.Hoc superato regno,in Vonam,& Carazam,quæ ad Indiam & meridiē vergūt,militem misit,vt ea conseruarent regna. Quod nō ferētes Reges Indi,Mien & Bengaliæ,qui potentissimi erant, eò cum exercitu maximo properantes,edita vtrinque maxima hominum cæde, vincuntur à Tartaris,& tam regnum Mien,quàm Bengaliæ Cobelo subiicitur. Multum tamen laboris insumptum, antequam magnum Bengaliæ regnum subiugaretur.

Deuicto quoq; Naia auunculo Tartaro,qui imperiū affectabat, homine, qui præter baptismum nihil Christiano dignum habebat: quatuor insignes prouincias,quas ille obtinebat,Ciorzā,Carli,& Barschol est adeptus. Præterea Insulas maris Oriētales,quas infinitas vltra,citraq; equinoctialē esse didicerat,subiicere statuit Cobel⁹,& inter eos Iaua vtranque, nec non vastam Lochac, regna vltra equinoctialem sita, nisi nauigationis difficultas & pericula, necnō distantia locorū ipsum terruissent. Tantus tamen Reges Insularum nominis huius terror inuasit, vt ei munera veluti tributum mitterent,& suum Regē & Dominum

vcibis

verbis saltem faterentur. Remotissima quoque loca peruestigari,& quid rari in eis esset,inquiri, & ad se more Romanorum deferri curauit, delectatus rebus remotissimè positis.Hinc in Zeilam (quod ibi Adami sepulchrum esse Saraceni persuaserant,vnde reliquias adferri curauit) & in Insulam Sancti Laurentij legatos misit,imò & Romã vnde paulò pòst patebit, quàm fauerit Christianæ religioni,& quàm fuerit ad ea , quæ religiosa putabat,propensus.

Cùm Naias homo malus & improbus , licet Christi sacris imbutus Cobeli regnum inuadere vellet,vexillis cruce signatis vsus est, vt hac religionis specie Christianorum ad suum exercitum accessio fieret:nec spe sua frustratus est , infinitos enim allexit,quorũ plurimi in prelio, quod cum Cobilo iniit,cecidẽre. Videntes autẽ Iudęi & Saraceni vexilla crucis proculcata,Chistianosq;,qui in iis fiduciam aliquã collocasse videbantur, oẽs cæsos esse,multis risibus , falsisq; scõmatibus, & crucis sacræ typum,& Christianos exceperunt,petulanter adeo,vt ad Cobelum ire quærelas depositum compulsi fuerint:qui grauiter sapienterque irrisores reprehendẽs , dixit mirum non esse,si in crucis signo nihil pręsidij inuenisset Naias, cùm proditor esset & impius,iustũ verò Christianorũ Deum,impiis,cùm sit summa bonitas & sapientia,non fauere. Cauerent igitur ne in posterum ipsum iniustũ iudicarẽt,ex eo quòd tales Christianos,qui impiũ secuti essent,non iuuisset,ne deinceps hoc noĩe Christianis ludificarẽtur, imperat.

Christianorũ cædes.

Infideles christianis insultant.

Cobila christianos & Christũ defendit.

Cùm igitur ipso Paschatis huius orbis Christianis celeberrimo die, parto triumpho Cambalunium reuertisset , quatuor Euangelij libris thymiamate sæpius, nec sine multis cærimoniis, summa-

Cobila Euãgelia ueneratur.

summaque reuerentia adoleuit,postremò etiam osculatus est:idem fieri à singulis principibus voluit,quem modũ in omnibus celebrioribus Christianorũ festis obseruare consueuit. Nec solum Christianorum festa,verùm etiam Iudæorum, Saracenorum,& Idolorum voluit.Rogatus aliquando à D.Nicolao,& Maffeo Venetis Paulinis,quos in honore habebat,cur tot diuersis & inter se pugnantibus ritibus numen coleret:respõdit:Quatuor in orbe Magnos prophetas adorari: à Christianis Christum:à Iudæis, Mosen : à Saracenis, Mahumetum : ab Idololatris Sagonombarem Chamum deorum primum. Quos omnes cùm etiam veneror, inquit , illum qui in cœlo Maximus & verior Deus est,hoc modo me honorare existimo : Fateor tamen Christianorum religionem,legemque,quantum assequor,optimã esse: nihil enim præcipit,quod non sit optimum sanctissimũq;: nec patior crucem in honore haberi, eò quòd vir tantus in ea ignominiosè fuit occisus.Rogatus rursus cur non amplecteretur,quod cæteris optimo iure præferendum iudicaret:Respondit se hoc prohiberi , quòd videret eos qui sub suo agerẽt imperio,Christianos esse ignorantissimos, nec posse quicquam : Idololatras verò quiduis & stupenda: efficiũt enim(inquit)vt nullius admotis manibus , vltro ad me scyphi vino pleni,& lances dapibus ex medio aulę per aërem veniant:maximas tempestates sistunt, & à nobis in alias regiones auertunt, efficiuntque cùm imbres decidunt,ne locum vbi dego attingant. Idola,vt cætera taceam , futura prædicunt : eadem hæc Principes , qui ad Christum accedere nollent,mihi obiicerent. Idololatrę præterea hęc prodigia non malorum dæmonum ope , vt vos asseri-

Cobilæ stulta religio.

Catholica Romana fides

Christi doctrinã et legẽ cæteris præfert Cobilas.

Christianorũ in Tartaria ignorantia.

Cur Cobilas non amplectatur Christum.

Præstigia Idololatrarum.

asseritis, sed virtute & sanctitate Idolorum fieri nobis persuadent. Et cùm his argumentis diluendis non sufficiam, grauiter me errare clamarent omnes, leuitatisq; notam mihi inurerent, si tam facilè Christum sequerer: adhæc non deessent Magi, qui me suis artibus prodigiosis pederent. Vnum igitur nobis superest consilium: Ibitis (inquit) vos ad summum Pontificem vestrum, rogabitisque meo nomine, vt mihi 100. viros sapientes mittat, peritos philosophos, in doctrina & religione Christiana probè instructos, qui doceant Christi doctrinam ab omnibus amplecti debere, nec sine ea salutem quempiam consequi posse, atq; cæteris præstare: Qui præterea Idololatrarum errores conuincant, reprobētque præstigias, seque eadem præstare posse doceant: verùm religione prohiberi, quod dæmonum auxilio & impia impurorum spirituum commercio fiant: postremò ita malignos spiritus constringant, vt hęc prodigia efficere non possint. Vbi hæc, inquit, videro, Magos, Idololatrasq; reprobabo, & in Christi baptisma cum meis proceribus concedam, eruntque in nostro orbe, quàm vestro longè plures Christi cultores.

Cobilas legatos Romam destinat, ut mittantur qui Christi legem explicent.

Cùm se paratissimos ad hoc iter arripiendum offerrent Paulini: addidit ipsis virum nobilem legatum Chogotalum nomine, monuitque vt de oleo quod Hierosolymis ad Christi sepulchrum accenditur, adferrent. Pergunt illi, & Venetias anno 1269. peruenerunt: verum cùm mortuus esset summus Pontifex, amplius biennio in Europa hæsere. Tandem electo nouo Pontifice, qui Gregorius decimus est appellatus, literas ab eo, & maximi precij munera ad Chamum acceperunt. Sed is viros duntaxat duos misit prædicatores,

1269.

1271.

Gregorius 10. ad Chamum duos Monachos mittit.

tores,Nicolaum Vincentinum , & Guilielmum Tripolitanum,quibus poteſtatem dedit ordinandi ſacerdotes & epiſcopos. Verùm cùm hi veniſſent in Armeniam, eamq́ue à Babylonio Çalifa Benhochdare ſiue Bendogobare vaſtari , belloq; feruere in his regionibus omnia intelligerent,ex Syria quoque Tartaros eiici:non fuère auſi boni iſti viri ſe periculis committere:Domũq; reuerſi rem tantam , in qua millies inſumenda fuiſſet vita , intercidere paſſi ſunt , traditis Pontificiis literis muneribuſq́ue Paulinis , qui iam tres erant (ſecum enim Nicolaus filium ſuum Marcum Paulum adoleſcentem amplius quàm 20. annos natum duxerat) quiq; contẽptis periculis & difficillimo itinere, per loca tutiora, prolixiora tamen,tèrtio anno demum,ob niues & aquarum inundationes & frigora ad Cobelum , qui tunc agebat Clemenfu peruenerunt:de horũ aduentu certior factus Cobelus, ſtatĩ obuios eis miſit,tametſi 40.dierũ itinere adhuc abeſſent,viros aliquot Primarios.Cũ itaq; aduenifſent Paulini, vehemẽter Imperator ipſis eſt cõgratulatus,dũq; in genua ſe venerationis gratia proſternerẽt, ille prohibuit,& aſſurgere iuſſit,attẽtéq; audiuit ꝑia, quę verbis retulère:lectiſq; literis oleũ quod Hierosolymis allatũ voluit,religioſa veneratione accepit:ipſos verò in tanto honore habuit, vt & in bellis ipſorum conſilio vſus fuerit,& vrbi Languĩ quę modò Cinarum eſt, D.Marcum præfecerit.

Cobilæ in Paulinos ciuilitas.

Gentilium,Saracenorum, imò & Tartarorum ritus,quos cum ratione pugnare iudicabat, ſuſtulit.Cùm enim Tartari pauperes ſpernere,& execrari,& vt Deo exoſos , cum ignominia reiicere ſolerent,vt omni auxilio indignos(quòd ſibi perſuaſum habebãt,donec aliter edocti , ſubuẽtionẽ

paupe-

pauperum Deo esse gratissimam didicissent) in egenos æquiores suo exemplo Cobelus reddidit: instituit enim certos viros, qui ex officio pauperum ædes frequentarent, & largas eleemosynas suo nomine erogarent:tantáque fuit hominis liberalitas,vt tantum non pro Deo ab omnib[9] haberetur. Sanè homo fuit minimè barbarus, multísq; claris enituit virtutibus,nec aliud ipsi quàm probus in Christiana doctrina instructor defuit: quanquam nec hoc Dei benignitate videtur defuisse: scribit enim Haytonius tandem sacro baptismate fuisse initiatum.

Sunt autem eius subditi, & imprimis qui in aula Imperatoris versantur, præclaris exornati virtutibus: gratiosi admodum & ciuiles,læto iucundóque vultu honestissimè se mutuo salutantes,polito vtentes sermone: & vt paucis dicam, ingenio optimo nati,& magna morum probitate præditi:parentes egregiè venerantur,qua in re si quis erret, ac necessitatibus ipsorum non occurrat, pœnas luit iis quibus eiusmodi obseruare ex officio incumbit. Finitimi Cinis sunt, similes iis & morib[9] & facie,vtpote oculis paruis, & imberbes:multáq; alia de ipsis referuntur,quę Cinis adeo conueniũt,vt de iis agi videatur,certè ipsis imperârunt Tartari. Sina enim est quam Marcus Venetus Mangiam vocat:spero vtramq; gentem breui Christi suaue iugum,pulsis procul erroribus,Patrum Societatis Iesu, aliorumq; religiosorum virorum opera Deo adiuuante admissurũ. Vxores 4. quę Imperatrices vocabantur, habebat Cobelus,concubinas plurimas:vnaquęq; etiã Imperatricũ trecentas puellas nobiles, plurimásq; alias fœminas alebat,nec nõ adolescentes nobiles,& Eunuchos nõ paucos,adeo vt vnaquęq; earum

Imperatricum potentia.

earum in suo palatio non minus decem millibus hominum habuerit. Mittebat enim Cobelo singulis bienniis certos viros in prouinciam Vngut, vbi homines sunt & candidissimi, & forma præstantes, qui inde precio iusto adducerēt 400. vel 500. virgines: in quarum delectu formam, membrorumque proportionem decentem exquirerent. Nec id satis, Principum etiam vxoribus tradebantur ad dies aliquot, donec per omnia essent perspectissimæ, attendereturque num aliquo defectu laborarent. Sumpto itaque quātum satis erat, in omnibus experimento, decem vicissim, donec res in orbem reuerteretur, Cobelo seruiebant. Si quæ ex adductis nō per omnia placerent, eas optimè institui, & vt acu pingere discerēt, curabat: deinde nobilibus maritis nō sine ampla dote locabat. Vngutani hanc filiarū suarum auectionem non malè ferebant, nec seruitutem, sed fœlicitatem iudicabant, & suas filias fausto sydere natas, nec sibi optatius quid obtingere posse putabant: nec enim infœlices isti fornicationem inter peccata numerant, ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.

Vngut.

Iob. 22.

Filiorū Camni potētia.

Imperatricum filij 22. erāt, quorum natu maximus in imperium succedit, reliqui in ampla regna & principatus. Et iam tūc 7. Reges erant, cùm illic ageret M. Paulus, & regna sua optimè prudentissimeque administrabant. Concubinarum verò filij 25. ad arma paratissimi instructissimique principes omnes.

Admirabile Cami palatium.

De admirabili ipsius magni Cami palatio pauca dicamus, rerum enim summa tantum tangimus capita. Vastum campum complexus est muro quadrato, qui suo ambitu continet triginta duo miliaria, fossa præterea circūacta est, vnumquodq;

quodque latus (quatuor enim sunt) vnam habet ianuam, qua quilibet admittitur: frequētes enim singulis momentis vndecunque confluunt homines. Ab hoc muro vno miliari abest alius similiter quadratus, inter hunc & priorem magni Chami milites degunt. Interior murus tres habet portas ad ortum, totidémque ad Septentrionem, mediæ inter vtrasque maiores sunt, nec patēt, nisi Chamo. In quatuor huius muri angulis insignia spaciosaq; visuntur palatia, similiter 4. alia ad cuiusque muri medium inter ista angularia: in his 8. palatiis reponebantur armamenta bellica, & quicquid ad instruendum exercitum ea ætate requirebatur. Intra hunc secūdum murum est & alius quadratus altitudine 10. passuum, qui ambitu suo 4. complectitur miliaria.

Sex similiter portas habet, nec non 8. palatia, rebus bellicis & armis probè instructa. Inter hunc & priorem murum sunt amenissimè virentia prata, insignes arbores, omne genus ferarum & animantium. Plateæ arcuatæ adeo altè attolluntur, vt nec lutum, nec aquam retineant, sed mundæ semper conspiciantur. Intra hunc intimū murū est Magni Chami altissimū palatium, quo nullum aliud extare maius in orbe existimatur Marcus oculatus testis. Pauimentum 10. palmis assurgit, foris ad parietes equè altè murus attollitur marmoreus, latus quantū ad cōmodam deābulationem satis est, in cuius extremo assurgunt colūnę & inter eas plutei ea altitudine, vt cōmodè iis inniti quis possit. Parietes palatij sculpturis pulcherrimísq; picturis & omni animantum pictorum genere sunt adornatæ: in iis item res fortiter gestas à belli ducib⁹ licet contēplari, cœlum quoq; depictum totum atq; inauratum.

Vastissimam habet aulam, in quam per quatuor marmoreas scalas ad quatuor palatij latera con stitutas ascenditur. Cubicula innumera adeò be ne constituta, tantaque arte, sicut etiam totum ædificium, vt nihil possit melius. Ipsum tectum quoque est variegatum rubris, ceruleis, viridibus, alijsq; coloribus: fenestræ ex limpidissimo vitro.

Huic palatio ex aduerso aliud omnino simile est, in quo agit filius imperij Princeps, qui in ma gnificentia status, & alijs per omnia, vt pater re giè se gerit. Sunt hic & Imperatricum vasta pa latia. Est & mons arte factus, qui suo ambitu mi liare continet, elegantissimarum plenus ex omni genere arborum semper virentium, quas varijs ex locis aduehi curauit Chamus. In medio mon tis totum viridibus ornatum coloribus, insigne exurgit palatium. Chamo duo sunt germani fratres, quos venatoribus, qui sunt viginti millia, præfecit: quorum decem millia rubris, reliqui ce ruleis vestibus induuntur. Alunt hi venaticorum canum quinque millia. Cùm Cobilus ibat vena- tum, medius inter vtrumq; agmen incedebat: & quāuis occuparet vastā regionis plagā, nō tamē erat fera quę effugere posset. Venatores isti tenē tur indies aulæ subministrare 10. millia animan- tiū, exceptis coturnicibus: cùm quid numero de- est, piscibus aliquot pro quoq; animāte supplent. Accipitrarios quoq; decies mille habet, qui fal- conibus, alijsq; rapacibus auibus sectantur volu- cres. Aues ad prædam edoctas habent infinitas, quæ argenteis tabellis insigniuntur cum nomine heri insculpto: qui si ignotus sit inuentori, ad vi- rum nobilem, qui rerum amissarum curam ha- bet, vt & aliæ res amissæ deferuntur: hunc qui amisere quippiam, accedūt, qui ob id cùm est in exerci-

Viginti venatorum millia.

Canes venatici quinquies mille

Accipitrarij decem millia.

exercitu, altiore loco, nō sine expanso vexillo agit. Si apud aliquē res amissa inuenitur, fur habetur. Furum aūt pœna est, vt si non possit nonies quantū abstulit, restituere, 7. vel 17. vel 27. vel 37. vel vsq; ad centum verbera pro delicti magnitudine ipsi infligantur, nec rarò mors consequitur. Dum Chamus versus mare it venatum, duobus (nec impedit viarum angustia) vel quatuor Elephantibus vehitur, in quorum dorsis, domus tapetis aureis, sericisq; aulæis egregiè adornata est. Adsunt ipsi 12. Principes, quibuscum tempus fallit, quiq; ipsum admonent, cùm auem aliquā volantem vident, in quam statim falconē mittit: mirum enim quantum his recreetur.

A venationibus se recipit Cazarnodin, vbi filiorum vnus agit cum non paucis nobilibus, apud quem in promptu decem tentoriorum millia, ipsius verò Chami tam est protensum, vt decies mille homines capiat. Cubicula ligneis colūnis affabrè factis fulciuntur, pellibus tecta sunt omnia, pluuijs arcendis accōmodis, intus verò preciosissimis quoque munita pellibus. In summa ita omnia instructa sunt, vt non in exercitu, sed in vrbe versari videantur. Adsunt ipsi & Medici & Astrologi plurimi. *Cazarnodin.* *Ingens tentorium.*

Vides in quæ versæ sunt Tartarorum casulæ, & feltris olim tectæ bigæ, & quomodo de stercore ad summam gloriā erecti sunt pauperes: beatum dixerunt populū cui hæc sunt: at verò beatum appellat Dauid, cuius Dominus Deus eius. Hi gentiles paradisum in hoc orbe recepisse videntur, sed pij saturabuntur, cùm apparuerit gloria Domini: quæ non voluptatibus, & auro, & mundano splendore, sed vitę puritate acquiritur, Christi sanguine nos repurgante. *Psal. 143.*

Addam aliud,quo facilè omnes Reges & Principes superat Chamus. In viis Regiis vigesimo quinto,aut trigesimo quoq; miliari,prout se offerunt oppida, palatia construxit planè Regia, & viris principibus excipiendis accommodatissima: in quibus perpetuò 400. aluntur equi, ad vsum legatorum nunciorum, nobiliumque Chami, vt defatigatis equis illic relictis, alios assumant,negociáque expeditè conficiant: in locis quoque incultis similia exstruxit,missis hominibus qui agros colãt. Sunt in iis vt minimũ equorum veredariorum ducenta millia:palatiorũ verò decem millia, in nullis quid deest,quod ad vsum requiras.Si quærat aliquis,vnde tantus populus qui tot rebus prficiatur,& vnde ali possint? Idololatris & Saracenis licet tot ducere fœminas quod lubet.Vnde fit vt vnus plerunque 30.filiorum efficiatur pater,qui omnes parentem in bello non raro sequuntur. Quod ad victum attinet,tenui & facilè paratu vtuntur, oriza, panico, milio, quæ terrę mandata plerumque reddunt centuplum.Horum farinam cum lacte & carne coquunt.Frumentum hîc rarum est, quod farciminibus miscent.Nulla est tellus quæ non colatur sedulò armentis & iumentis, quorum lacte, etsi necessitas vrget, etiam sanguine & carne vescuntur.

Equorum veredariorũ 2000. Palatia 2000.

Chamus intra palatium tum pro corporis sui custodia,tum pro magnificentia maximè,perpetuò habet 12. equitum millia,quibus præsunt 4. Duces,qui vicissim cum 3. millibus excubias agunt, reliquis interim minimè palatium relinquentibus,nisi fortè aliquem cum Ducis sui licentia res magni momenti euocent.

Sunt prçterea 24.viri Principes, qui vniuersis Imperij

Imperij negotiis præsunt. Ex his 12. toti exercitui de necessariis prouident, & inter alia castra, cùm videtur, moueri curant, nec vlli nisi Chamo subsunt. Hi abiecti animi milites pellunt, fortes animosósque substituunt. Duces qui strenuè se gesserint, euehunt ex decurionibus centuriones, ex his chiliarchas &c. & ita deinceps magis magísque honorãt, quibus dant & aureas argenteásue varias tubulas, pro rei in bello fortiter gestæ testimonio, & pro ea quã hinc assequũtur, dignitate, tabularũ hæc inscriptio: Per magni Dei potenriam, fortitudinẽ & prosperitatem nostro datam imperio, nomẽ Chami celebretur, ac fœlicitatem consequatur: omnes verò qui ipsi non obtemperent, pereant malè. Qui totius exercitus Duces fiunt, in sedibus argenteis sedere iubẽtur. & pro maiore dignitate apud plebem cõsequenda, conopœum expansum supra caput ipsorum, dũ in publicum prodeunt, geritur. Quidã verò eo euehũtur honoris, vt ipsis liceat pro sui custodia toto vti exercitu, & magni Chami, aliorũque magnorũ Principum equis. Alij verò 12. omnib⁹ quæ 34. sunt, prouinciis præsunt, & Cambalu in aula Regia degunt, vbi vnaquęq; prouincia suũ cum non paucis Scribis, habet Iudicem, qui omnia quæ ad bonam gubernationẽ prouinciarum pertinẽt, constituũt, & Chamo offerũt consignanda. Curant etiã hi 12. tributa Chami, & negotia.

Cinarũ hi quoque mores sunt.

Duodecim uiri omniũ prouinciarum Præfecti.

Festa quædam hi populi celebrare solent, maximè natalem Imperatoris: quo die omnes tam Christiani quàm Saraceni & Idololatræ pro salute ipsius preces fundere iubentur. Primo Ianuarij nobiscum annum auspicantur, & primum diem albis vestibus induti, quod id fœlix autumant, vt toto anno bene succedant omnia, celebrant.

Gẽtis festa

Ineuntis anni celebritas.

Sibi mutuò munera candida mittunt,tam Principes quàm plebej, inuicem amplectuntur, bene precantur, optantque vt annus fœlix faustusque sit omnibus. Hoc quoque die omnes Prouinciæ, & populi, principesque Camo maxima mittunt munera,aurea,argentea, pannos quoque albos, vt lætus degat & fœlix:id autem obseruant sedulo, vt nouenario numero omnia complectantur, nouies exempli causa nouem equos, aut aureas laminas, gemmásue toties nouem. Id autem iis quibus iam dicam, peragitur cærimoniis. Ad aulam Regiam Imperatoris filij & amici, Reges & Principes,Duces & Comites, Equestris ordinis viri,& nobiles,Astrologi & Medici, Venatores & Accipitrarij,& quicunque aliquo funguntur munere, ingrediuntur, pro dignitate locum accipientes, adest & Chamus ipse.Tum inter eos quidam velut Antistes surgens, monet omnes his verbis:Inclinate & adorate. Quo dicto,statim omnes capita in terram admittunt. Rursus ait:Saluet Deus Dominum nostrũ multo tempore in lętitia & iucunditate.Respondẽt omnes. Faxit Deus.Et rursus:Deus augeat ipsius imperium,omnemque populum in pace & trãquillitate conseruet, voluntatem ad bonum impellat.Regionibus quoque omnibus,quæ ipsius imperio parent,optimè sit.Respondent rursum omnes:Faxit Deus.Deinde ad altare sumptuosè admodum instructum accedit,in quo tabella quædam rubra collocata est, cum nominis Magni Chami inscriptione,in eoque thymiama summa cum veneratione incendit. His peractis, omnes tabellam summè venerantur: Deinde maximi precij munera Chamo (qui etiam præsens est) quisque offert. Hoc quoque hanc celebritatem non

Altare cũ inscriptione nominis Chami.

non parum auget, quòd Chami Elephantes, qui sunt quinquies mille, tecti omnes aulæis ex serico auroque contextis, rebus ad aulam necessarijs onusti, longo ordine cum multis Camelis similiter instructis adueniunt: res sanè quæ intuentium oculos mirè recreat, inquit harum rerum spectator Marcus Venetus. Postremò mensis accumbentes opiparè lætéque epulantur omnes, atque ita actui finem imponunt. Habent prætereà singulis lunis alia festa: Id aūt memorabile est, in certis festis non solùm Chamum, verum & Aulicos omnes vestes non semel mutare, quas singulis ipse suppeditat, preciosas admodum auro, gemmisque ornatas, non singulis vicibus nouas, (id enim immensi esset sumptus ob precium & multitudinem) sed easdem: nam reponi eas iubet, vt rursum festis recurrentibus iis vtantur. Ex dictis apparet tantas nullis vnquam Regum aut Imperatorum impensas ferre potuisse. Nec mirum, sunt enim vrbes Cataiæ & Mangi siue Cinç longè nostris & plures, & maiores, & potentiores: adhæc de omnibus rebus decimæ dantur.

Cùm in viuis esse desiit Imperator, in monte Altay sepeliri debet, & etiam si itinere 100. dierum absit, eo infertur. Dum verò effertur, omnes homines quos obuios habent, & equos, etiam si maximi sunt precii, trucidant: iubentque vt ad ministerium Magni Chami in alterum mundum abeant, ibi enim ipsi vsui fore arbitrantur. Homicidium inter peccata non numerāt: grauiter tamen in deos commissum putant, si fortè equum orea habenæ ore non exempta, herbas depascere siuerint.

De religione Tartarorum.

TArtarorum religio tam est varia, vt difficile sit cuncta perstringere: dicam tamen ea quæ sunt magis præcipua & natiua.

Immortalē colūt Deū

Vnum nôrunt Deum, summum, cœlestem, immortalem & perpetuum, idq́ue ex Cangij primi Imperatoris instructione habere videntur. Quisque domi suę tabellam ad parietem defixam habet, in qua nomen descriptum est, quod ipsis hunc vnum & æternum Deum significat, repræsentátque. Indies huic thymiama adolent, ac thuris suffitu venerantur, eleuatisq́ue manibus in altum, dentes ter feriunt, duo petentes duntaxat, sanitatem, & bonam atque integrā mentem, aliud nihil boni operis exercent. Præterea quisq; domi suæ habet Idolum quoddam Natigai dictum, rerum quę in hoc inferiore orbe proueniunt, vt volunt, Deum: quā ob causam statuam ipsius humi ponunt, feltro velóue alio ornatam: adfinguntq́ue ipsi vxorem & filios, quibus similiter adolent: hunc liberos, armenta, fruges, segetésque conseruare putāt, atque ob id summè venerantur, non solùm suffitu, sed quotiescunq; cibum sumunt, pinguiorem carnis portionem istorum labris affricant. In plateas verò carnium ius effundentes, id se spiritibus largiri dicunt: quo facto Deum cum tota familia partem suam habuisse dictitant, ac læti cibum sumunt.

Duo petūt à Deo.

Idolū prætereà uenerantur.

Cerimoniæ Deorū

Religionis Tartaricæ varietas.

Verùm auitas hi mutant consuetudines, nam & Idola aliarum gentium venerantur, mores legésque sequuntur: Saracenorum quoque ritus imitantur, vnde non potest non nasci summa varietas, Cobelo potissimum summo Chamo in vario cultu, vt diximus, præeunte.

Cùm

Animas in uaria corpora reuerti putant Tartari.

Cùm quis moritur, existimant animum in aliud corpus concedere: ita tamen vt si in hac vita probè se gesserit, felicior renascatur, primò forte nobilis, secundò etiam Dominus, aut Princeps: donec tandem varijs in melius semper succedentibus ortibus, quasi Deus quispiam euadat. Si verò mortem impia & turpis vita præcesserit, è diuite renascatur rusticus, pauperculus, dein etiam canis & vermis, semper hoc modo in peius vergendo.

Monasteria idololatrorum.

Sed apud istos & religiosorum quędam genera & monasteria adeo ampla & magnifica, vt duobus millibus religiosorum sufficiant. Idola isti sedulò solenni cantu, accensisque multis candelis venerātur: cæteris hominibus honestius vestiuntur, quidam etiā vxores ducunt. Est & aliud religiosorum genus rigidissimū, quod solis furfuribus, ijsque probè lotis sine vllo condimento victitat, storea lectus est, nec putatur in orbe aliud esse genus hominum, quod asperiorem trahat vitam, vxores hi nullo modo ducunt. Quoniam verò Idola spernunt, atque ignem venerantur, tanquam hęretici ab alijs habentur. Vestibus canabeis nigris cæruleisue vtuntur, nec à sericis eiusdem coloris abhorrent. Hi, vt & priores, caput barbamque radunt. Sunt & Magi plurimi, & Astrologi, qui velut magistri religionis habētur: quorum dictis etiam Imperatores, prudentissimique inter Tartaros Principes fidem adhibent, & obtemperant. Magi admirabilia operātur ac veluti prodigia: persuadentque hominibus huiusmodi opera sanctitatis meritò fieri: vtq; apud populum in maiore sanctitatis sint opinione, laceri sordidique incedunt.

Ignis colitur.

Magi Astrologi.

Dum pestem, aut malum aliquod ingruere suspi-

ſuſpicantur,ſuadent Imperatori,vt ſacrificia (quæ etiam præſcribunt,numerum exprimentes veruecum,quibus nigra capita,ligni item aloës ac thuris certum pondus, prout auaritia aut ſuperſtitio dictitat)inſtituat. Quæ ſtatim omnia expedni iubet,vt ſacrificium Dijs offeratur. Præfinito itaq; die thura adolent,ius carnium in aërem ſpargũt. Suadent etiam Chamo,vt vigeſima octaua lunæ Auguſti lac equarum albarum in aëre diſpergendo Dijs, ſpiritibuſue propinet, ad iumentorum, armentorum, auium, nec non ſegetum, & quicquid terra producit, conſeruationem. Alit enim Chamus equarũ candidiſſimarũ 10.millia, de quarum lacte nemo bibere poteſt, niſi qui de Cingis primi Imperatoris ſtirpe fuerit: quamuis Cingis ipſe alteri prӕterea familiæ id ob rem in bello optimè fortiſſimeq; geſtã,indulſerit. Populus equas iſtas in ſummo precio habet, adeoque veneratur,vt ſi in paſcuis aut ſyluis occurrãt, cedãt ipſis homines,ne gradiẽtibus recta impedimẽto ſint. Pluuias tempeſtateſq; iidẽ Magi norũnt dæmonũ arte auertere: cùm enim imbres denſi decidũt,tecta palatij Chami aſcendẽtes,vt in ambitu decidant,ipſum verò Palatium intactũ relinquatur,efficiũt. Horũ quidã eò feritatis peruenẽre,vt capite plexorum elixis carnibus veſcantur. Sũt enim Magorũ & præſtigiatorũ variæ ſectæ.

Equarum albarum veneratio.

Præſtigiæ Magorum.

Aſtrologi.

Aſtrologorum verò non paruus eſt numerus: Cobelus enim quinque millia eius generis homines alit:inter quos etiam Chriſtiani ſunt & Saraceni:futura, tempeſtateſque prædicunt, libellos prognoſticos conſcribunt,menſes animalium nominibus,draconis,leonis, canis, &c. diſtinguunt: hos mercatores, & qui longa inſtituunt itinera, reſque alicuius momenti,conſulunt.

Mores

Mores & uitæ ratio Tartarorum.

TArtari ob magnam armentorum iumẽtorumque copiam, pabulique defectũ sedes frequenter mutant, quod non est huic genti difficilè, cum ędibus careant. Casulas enim ex viminibus robustioribus conficiunt, ac feltris (pannus est arte sine textura mirè densatus, iam passim in vsu) tegunt. Cum verò loca mutant, bacillos & vimina in fascem colligunt, ac cum reliqua, quæ curta est supellectile, bigis aut quadrigis feltris optimè tectis, ita vt nihil damni sentiant, etiam si toto pluat die, imponunt: easque boues & cameli trahunt. Carne & lacte viuunt, feras enim sectantur, quanquam camelorum & equorum, asinorum & canum, si qui sunt pinguiores, carnes comedunt. Ex lacte potum parare norũnt, qui vt vinum limpidus est. Viri rem familiarem non curant, sed arma solum tractãt, & assiduò venantur. Vxores, quas habent plurimas, domum curant, emunt, venduntque: & inter se adeò concordes viuunt, vt mirum sit: & in exercẽdis mercimonijs mutuò sese iuuant. Hinc fit vt mariti vxorum grege non grauentur, cùm vtiles sint admodum: quare & à viris suis dotem recipiunt. Maritum summè amant, & reuerentur, fidem matrimonij tam ipsæ quàm viri religiosè seruant, grauissimumque scelus adulterium putant. Prima & charior, & magis legitima cum filijs habetur. Mortuo patre, filius omnes patris vxores, dempta matre, ducere potest. Item filias omnes demptis sororibus ex matre communi natis: frater quoque demortui vxorem ducit. Si cui apud Tartaros mortua sit ante nuptias filia, & alteri filius, mortuos etiam matrimonio iun-

Tartari uagi.

Ipsorum uitæ ratio.

Canibus et asinis uescũtur.

Virorum officiũ Mulierum officium.

Filij priuignas, ipsorumque filias ducũt.

Mortuorũ coniugia.

iungunt,quod hoc modo fit. In charta depingũt mortuis iumenta,armenta,ſupellectilem,& quibuſcunque opus putant in alenda familia: dos quoque conſtituitur, literis confirmatur, ne quis putet rem non ſeriò fieri. Dein charta illa picta flammis mandatur:& hoc modo coniunctos ſimul viuere in alio orbe putant, neſcientes miſeri illud Euangelij, quod in futuro ſeculo neque nubent,neque nubentur. His confectis,nuptię celebrantur,& affinitas vtrinque contrahitur.

De bello Tartarorum.

Exercitus Regis conſtat plerumque nõ minus cẽtum millibus equitum, quem Rex ducibus per denarios diſtribuit. Sũt enim vel decuriones, vel centuriones, vel chiliarchæ, vel myriarche. Cùm igitur Rex in expeditionem educere exercitum vult,tantum myriarchas accercit,quidque facto opus ſit,præſcribit:Illi porrò chiliarchis: hi deinde centurionibus: centuriones poſtremo ſuis, nec alio opus eſt conſilio. Omnes verò milites, quàm ſint dicto obediẽtes, non facilè credideris. Sunt prætera 12. alij viri nobiles,qui totius exercitus curam gerunt:duces militeſque, num ſtrenuè agant, obſeruant:& cũ Rege,cui ſolum ſubſunt, potiſſimum ſua conſilia communicant. Cùm mouet, ad miliaria decem ſunt qui exercitum,velut pericula exploran tes,præcedunt. Alij qui à tergo ſequũtur: alij qui exercitus latera protegunt, ne quis ex inopinato copias turbare poſſit. Hinc collige quantum indigenis incommodi inferant, dum ita latè ſparguntur. Plerique militum 16. aut 18. equas ſecũ abducunt, defatigatas cum alijs quæ occurrunt, commutant. Harum lacte cùm vrget neceſſitas, ad dies

Duces & ordo exercitus.

ad dies decem sine alio cibo vescuntur, imò & sanguine, quem secta vena hauriunt. Lactis exempto butyro sole densati libras decem secū ferunt: mane mediam libram lagenæ imponūt, cū quanta volunt aqua, vt conquassatione itineris dissoluatur, ac prandium ipsis præbeat. Si procul abeūdum sit, nihil quod ad stratum pertinet, secum ferunt: ferunt tātum casulas suas & feltra ad arcendam pluuiam, & vasa quibus cibos parent coquantque. Pugnandi ratio hæc est: semper circa hostilem versantur exercitum, vix vnquam toti hostibus miscentur, vt fugam simulare, quod frequenter fit, liceat, non ociose tamen, sed sagittis semper hostem petendo: dein mira agilitate equos reflectentes, hostes acrius vrgent ac sternunt. Arma sunt, gladij, hastæ leuiores, clauę ferro munitæ: arcu tamē in primis vtūtur, quo sunt exercitatissimi. Statim enim primo congressu aërem sagittis replent, & veluti telorum imbre hostem percellūt, vt plurimi tum viri, tum equi statim cadant. Thoracibus ex bubali, aut alterius animantis denso corio, coctione quadam egregiè durato se muniunt: fortissimè ferocissimeque in hostes irruunt, crudelissimi enim sunt, vitamq; non aliter profundunt, atque si reparari facile posset. Laborum, inediæ, & maximorum incommodorum patientissimi, & minimi cibi, ita vt vno mense solo lacte contenti hilariter viuant: equi solo gramine sustentantur, nec hordeo aut auena indigent: biduoque interdum integro armati equis insident, dormiuntque, equi interim gramina carpunt. Summa, in tolerandis maximis incommodis sunt inuicti, & ob id mirū non est si vniuersam penè Asiam subiugauerint. Verùm cùm postea apud Indos & alias gentes versarentur,

ſarentur, effeminari cœperunt, & de priſtino robore vitæ delicijs irretiti, remittere, diuites aureis & Sericis veſtibus, precioſiſſimiſq; pellibus, & aliarum rerum luxu excedere.

De Imperio Thamaris.

Cobelo patri Thamar anno 1305. ſucceſſit potentiſſimus Imperator, trium nimirum magnorum & potentiſſimorū (niſi quatuor mauis) Regum Dominus: qui etiam ob id tum, quòd alijs magnis principibus, vaſtiſſimiſq; regionibus imperarent, Chami dicti ſunt: & poſt illam Aſiæ diuiſionem ab Hocotio factā, cùm eam filijs diſtribueret, initia dominatus acceperunt Hi negocia ſua, lites, & difficultates ad ſummum Imperatorem, veluti ſupremum omnium dominum & Iudicem decidēda deferebāt.

Imperante igitur Thamare à Thanai in Comania vltra, citraq; Rha amnem, Hochtaias tertius fortè Rex à Batto, quem Barcha, ſiue Barchines hoſtis Halonis proximè ſecutus eſt, regnabat, totaque Roſſia (modò Moſcouiam vocant) ei fuit tributaria: ſexcentorumque milium equitum exercitum Hochtaias ductabat.

Secundus Rex Chamus erat Chaxar Turcheſtaniæ dominus, cuius exercitus quadringentorū fortium & inſignium equitum conſtabat milliū. Hochtaiæ ditiones, ſiue Comaniam ad Occidentem, Iaxartem ad meridiem, & magni Chami regiones ad ortum, vt videtur, habebat: quam regionem magnam Turciam, quia ex ea Turcæ orti putantur, vocant, vel certè eam quæ huic ad Orientem vicina eſt.

Zagathaia verò ad meridiem magis poſita, Parthos & Perſas ad Occidentem relinquit.

Sogdia-

Sogdianam,Bactrianam, & Margianam cōtinet, necnon,vt putatur,Ariam,Drangianam,Arachosiam & Geldrosiam,Corosan modo nomine cōpellatas regiones ad Indum vsque amnem protensas. Zagathaia porrò dicta est,à Rege Zagathaia,summi cuiusdam Chami fratre,cuius regia Samarchanda fuit: quæ post Zagathaiæ frater Nugodares in Malauariam inuasisse legimus,cui Assidinus quidam imperabat, eripuitq; ei Delij, & nonnulla oppida.

Quartus Rex Chamus Carbanda Persis imperabat & Medis, vbi Regiam Tauriùm amplam vrbem,quam Ecbatana Medorum esse volunt,cōstituit.Hic trecentis milibus equitum in suis bellis vti consueuerat. Hi Reges non rarò inter se bellis contendentes,Tartarorum imperiū in Persia,& minore Asia,& Syria labefactârunt:potissimum verò Comaniæ Reges Persas,meliore cœlo fortè allecti, sæpè infestârunt,effeceréq;,vt nec Syria,nec Ægypto Persæ potirentur.

Ex his,& quam post subijciemus peregrinatione (in qua dum Christianorum reliquias quærimus,nō alias ferè enumerabimus ciuitates, quàm quę Tartaris subsunt)constabit quanta fuerit Tartarorum potentia.

Modò verò paucis dicamus quo modo contracta sit tanta imperij moles. Declinare certè cœpit, ex quo & Christiani & socij bellorum nobis esse desiêre. Videtur enim Deus voluisse ostēdere Christianis Asiæ affulsisse spem magnam euertendi & Saracenorum & Turcarum imperium, si modò relictis hæresibus & improba vita,se Ecclesiæ Catholicæ rursus,à qua resecti erant,cōiungere voluissent. Quare primos Tartarorū duces ad Christianismū vocasse putari possit, in quā rē

pontifi-

Pontifices etiam ſæpè incubuerunt, ſed fruſtra: erroribus enim excœcati homines bonum oblatū nec intelligere, nec eo vti voluêre. Cùm enim hæreſis malum ſit penè immedicabile, & vt cancer qui præter ferrum nullam admittit curationem, ſeipſum cum membro cui inhæret, perdit: ita & ipſa dum matris ſuæ ſacroſanctæ Eccleſiæ aliquam partem veluti brachium quoddam depaſcit, integraſque regiones inficit, tādem etiam perit, dum plures errores (vt fieri ſolet vno inducto) parit peſtilētiores (depaſcit enim modò Lutherum Caluinus, in hunc inuadet alius) donec tandem in Mahumetiſmum, aut etiam paganiſmum Chriſto pulſo planè deſciſcat. Hunc enim hæreſeon finem ſibi dęmon ſtatuit, etiam ſi id nō omnibus ſuis miniſtris reuelet ab initio, quia id tunc non caperent, & qui capiunt non omnibus reuelant ob eandem cauſam. Ita ſemper factum

Euſeb. lib. 3. cap. 1. Greg. To. 3. in Gen. Abdias cert. Apoſ. Socr. lib. 1 cap. 15.

eſſe multa docent exempla. Sic vniuerſa perijt Arabia, quæ Paulum & Simonem: ſic Perſia, quę Thomam, & Iudam: Sic Media, Parthia, Hircania, India, quæ etiam Thomā: ſic Sogdiana, Sacca, quæ Andream: ſic Schythia, quæ etiā Philppū, habuêre Doctores, vt ex grauibus haberi poteſt ſcriptoribus: harum enim Indigenæ penè omnes præter paucos qui adhuc ſuperſunt Neſtorianos, & Iacobitas, vel ad Idololatriam rediêre, vel Mahumetum colunt. Sic etiam eorum qui in Aſia reliqui, & in Africa: omitto quod indies in pleriſque Europę locis intuemur, poſt ſemel admiſſam hæreſim religionem Chriſtianam in barbariam verſam eſſe. Sacerdotes enim ſi tamen eo nomine digni ſunt, probè paſti, gladijs accincti, & pugionibus, imò non ſine bombardarum organis iurgiis ſeruientes, mane templa adeunt,

suo

ſuo munere ſacro, ſi Dijs placet, cum prolium grege functuri: adeoque barbaris moribus prædi ti ſunt, vt nihil accedere poſſe videatur amplius: immanes, truces, ebrioſi, auari, diſſoluti, ſuperbi, quid mirum ſi his Ducibus Chriſtiana, manſueta & humilis pereat doctrina: tantum abeſt vt aut perdurent, aut etiam gentiles, aut Mahumetanos conuertant, & non potius tandem illorum ritus amplectātur, quàm ſuos defendant. Nec mirum, ſoli enim Eccleſiæ Catholicæ, & potiſſimum omnium Eccleſiarum capiti Romanæ Deus reſeruauit, vt oues diſperſas quærat, & ad Chriſtū adducat: & hanc rei veritatem eſſe omnis hiſtoria tam prophana quàm Eccleſiaſtica clamat, & modò in America & India fieri videmus. Proprium autem hæretico eſt, quæ hæc acquiſiuit, perdere: quæ congregauit, diſſipare. Cùm igitur Tartarorum duces Chriſto repudiato totos ſe ad Mahumetiſmum conuertiſſent, & complures ſuis exēplis ad perfidiam impuliſſent: cœpit imperij moles & potentia labaſcere: Turcarum verò tunc penè attrita paulatim in veterem fortunam redire, quanquam illi nec, Ægyptios nec fortes Mamelucos, etiam Armenorum aliorumque Chriſtianorum copijs adiuti vnquam domare potuerint.

Anno igitur circiter 1280. duæ præcipuæ cœpēre ſe confirmare familiæ, Ottomannorum & Aſſambeorum. Ottomannus initium tyrannidis fecit, vicinos Turcarum Principes inuadens anno circiter 1300. licet eius filius Orchanes, dum cum Tartaris confligit, anno milleſimo trecenteſimo quadrageſimo nono interierit, & nepos Baiazetes an. milleſimo trecēteſimo ſeptuageſimo ſecūdo, à Temirlane Tartaro capt' fuerit, tamē Tartaros tādē è Turcia eiecerūt, vt & Saraceni ex tota Syria *Renouatio Turciciſm perij.*

z In

Turcici Imperij origo.

Corbanda Rex Persarum. In Persia verò post annum 1305. Carbādæ (qui Christum reiecerat) posteri non diu regnarunt: Parthus enim quidam homo Turca regnū inuasit. Hunc vel aliquē alium Carbādæ successorem *Temyres.* Temyres, siue Temyrlanes Tartarus, quē Massagetarū siue Zagathaię Rex suis exercitibus pręfecerat, in Babilone obsedit: Taurium in Media deinde occupat: defunctoq; domino suo viduam regiam ducit vxorem, & sic Zagathaiæ regnum quoque obtinuit, peruenitq; ad maximā potentiam, qui à latrociniis initium fecerat, homo pauper, & iumentorum præfect⁹ & opilio. Turciam capto Baiazete, anno 1390. & Syriā subegit, nec non Comaniā, & ad Moscos vsque ad Arabiam terror nominis huius peruenit, fulguris instar omnia celerrimè peruadens.

Scharoch⁹ Paiāgures. Successit filius Scharochus, qui cùm non diu præfuisset, Paiamgurem fratrem successorem habuit. Hic Tzochien filium, cui nepos erat Tzanises, de quo pòst, Tzochij huic primo successit *Tzochies.* Tzochies 2. quem Tzanises regno deturbauit.

Ad Temyrem potentissimum Persarū, & Zacataiæ Regem pulsus à Paiazete Armenia confugit Casanes longus, siue *Vsumcasanes.* Vssumcasanes, magni spiritus vir, nepos Scenderis siue Alexandri Asambei, & cum patre Casane Temyris castra secutus est: & pòst patre in dominatum suum restituto, apud hæredes Temyris, & nepotes vtrumque Tzochien, magnis fidei, gratitudinis, & virtutis argumētis editis, eorundem auxilio, defuncto patre, Armenię partē obtinuit, modicisq; copiis, vt erat magni animi, sæpè fudit hostes innumeros, & ad regnū Persarū aspirauit. Tzanises autē, qui Persas pulso Temyris nepote Tzochio filio Tzochiis, regebat, hominis incrementa suspecta habens,

bens, per legatos ipsum monet, ambitioni tandem vt finem ponat, contẽtusq́ue tranquillè viuere, quàm aliorum tentare vires malit, ni hostis Persarum declarari velit. Hac legatione irritatus Vssumcasanes, legatos prouincia excedere iubet. Tzanises in Casanem ingentem exercitum ducit, Casanes opibus longè inferior, sed animo maior Tzanisem occidit, & hoc modo ad Turcas Persarum, pulsis Tartaris, venit imperium: nec paruas pòst victorias de Sagataianis, quibus præerat Busechus, anno 1470. retulit Casanes.

Iosephus Barbarus Venetorum ad Casanem legatus scribit Geunsam quendam anno 1470. quo ferè tempore ad Casanem venit, à Casane prælio victum, occisum fuisse: fortè is alius fuit Princeps in Persia, aut Parthia, qui cum Tzanise, aut ipsius filiis eodem tempore contendebat. Vsumcasanes igitur, nec regia stirpe, nec valde clara familia ortus, nobilis tamen, ad summam potẽtiam non vera virtute peruenit, sed vt præcedentes Reges, latrocinio, & regnandi libidine, nisi belli iure ma uis dicere: & vt illi non diu præfuère Persis, ita nec Assambea familia, vsa ad res alienas occupandas, iisdem artibus. *Geunsa.*

Dissipatum est autem Tartarorũ in Persia imperiũ, filiorũ, tam Temyris quàm Paianguris, Tzochiis & Tzanisis, item & Assambei cõtinuis dissidiis, ita enim solent malè parta malè perire.

Cœpit etiam non multum ante hæc tempora Regulus quidam Sofi nomine, diuersæ à Turcis factionis, suam de religione liberius, cum Turcarum vires adhuc à Tartaris premerentur, sententiam huic populo proponere. Cúmque suum genus & doctrinam ad Mahumetis generum Halim referret, mirum dictu quantum ipsi populus *Ortus Sofianorum.*

Sophi origo

tribuerit: qui ab eo tempore quo Halo Babilonium Califam Mustacenum, inter thesauros famę necauerat, summo legis doctore caruerat.

Guines. Sofo successit Guines filius, qui tantam tamq; præclaram sibi in toto Oriente doctrinæ sanctitatisque opinionem conciliauit, vt Tamerlanes Schyta Persarum & Zacathaię Illustrissimus Dux ipsum inuiseret. Is Baiazetem per legatos rogauit, ne Turcas, suę religionis homines molestaret, belloque lacesseret, & dominijs exueret ipsum commendans plurimum, quod tanto studio, tantoque affectu Christianum nomen deprimeret, more Tartarico vestē muneris loco precibus addidit, quod cùm Turcæ iam victorijs & rerum successu turgido displicuisset, nō sine conuitiis in Tamerlanem legatos dimisit. Tamerlanes irritatus fulminis instar, magna celeritate in Baiazetis prouincias irruit, ipsum verò in suam potestatem redactum, in ferream caueam aurea cathena ligatum inclusit, ac per Asiam passim in triūphum duxit, in qua seruitute etiam perijt anno 1397. Cùm igitur Guinen Tamerlanes inuiseret, petenti triginta captiuorum millia dono dedit, quos ille in sua secta probè institutos, filio Sicaidaro tradidit, qui ipsorum opera in bello fœliciter vsus est, & grauiter vbicumque potuit, Christianos afflixit. Huic Vsūcasanes nos afflixit. Huic cùm esset obscuro genere ortus, filiam ex Trapezuntis Imperatoris filia natam vxorem dedit: veritus autem qui patri filius successerat, Sicaidaris sororij potentiam, qui iam non obscurè regnum affectabat, ipsum necari curauit: qua re animaduersa Ismahel filius Sicaidaris, fuga sibi consulendum putauit. Tandem vbi adoleuisset, cùm esset magni animi vir, & diffidiis fraternis flagraret

Tamerlanes. *Tartarus* *Baiazetes.* *Sicaidar.* *Ismael Sofus.*

Mamaluchoz origo

flagraret Persia, arrepta hac occasione, Regnum inuadit, & sectariorum auxilio, qui magno numero ad ipsum cōfluebāt, Persarū Regē, & Tartaros qui eius partes sequebantur, aliquot cōmissis prelijs fudit, Tartarosq́; multis deinde cladibus affecit, & ipsorū vrbes subiecit, & hoc modo rursum Perside potiti sunt Saraceni, qui secta tantū religione à Turcis, vt à nobis heretici differūt.

Mamaluchi quoque cùm essent in disciplina militari optimè instructi, Tartaros sepè vt latè ostendimus, repulère. Originem ij habuère talem. Solebant Califæ Egyptij luxui voluptatibúsque dediti regni negotia nihil curare, sed per Admirantes omnia agere, penes quos erat belli administratio. Saladinus quidam homo obscurus eam adeptus dignitatem, Califam Cayri obtruncat, & sic vtraque dignitate potitus, detestatus Ægyptiorum militum mollitiem, ad Circassios siue Zigas (populi sunt Christiani circa Meotim Græco ritu vtentes) manu promptos & robustos, & bello quod continuò cum Tartaris gerebāt, assuetos, misit. Ex his à Tartaris captiuos quotannis emit selectiores adolescentes non paucos, quos ad arma probè instruxit, et in Mahumetana perfidia, Christiana eiurata religione, sedulò instituit. Istorum opera in bello vsus Hierosolyma an. 1187. subiugauit, ac Tartaris fortissimè tota ipsius posteritas restitit. Hi anno 1300. extincto iam Saladini genere, cùm nec superesset legitimus hæres, Reges ex suo grege elegère, hunc deinceps morē seruantes, vt filius patri nōn succederet, aliquáue Regiæ stirpis ratio haberetur, sed Regis filij nō aliter atq; serui, qui quotānis aduehebantur, in armis instruerētur, neć aliquis plus quā ipse meruisset, commodi honorisue haberet,

Origo Mamaluchorū

Niceph. Greg. Lib. 4.

Mameluco rum regnū

 verum-

verum singulis omnia ex propria virtute essent petenda. Serui isti venalitij, quasi soli nobiles essent, nulla Ægyptios arma habere passi sunt. Hi quãuis Tartaris semper inuicti obstiterint, ac militari disciplina longè fuerint superiores, an. 1517. à Solymanno subacti sunt Et hoc modo in Asia, ea tempestate, Sultanus Ægypti, Ottomanus Turca & Persarum Rex, 3. potentes Principes euasere, qui Tartarorum potentiam ex hisce regionibus exegerunt. In Occidẽte verò, prope Moscouiã cepere quoq; Tartari, quibus diu Rossiæ siue Moscouiæ, vt modo vocantur, Duces seruierant, eisdẽ cõtra postquã in varias Satrapias & Hordas diuisi, intestinis bellis se mutuo diu confecissent: vel certis legibus subiecti esse; vel fœdere deuinci, & nonnunquã ex ipsorum iudicio Principẽ sibi prefecerũt. Tandẽ verò Regna Astracan, & Cassanum quæ vltra Volgã sita sunt, & ad mare Caspium pertingunt, anno 1551. sibi etiam subiecit Moscus, & sic nõ solũ in vtraque Sarmatia dominari desiere, verũ etiã pars Scythiæ intra Imaum ipsis adempta est, & Rossorum Regi subdita.

Mosci Tartaros domant.

Indi quoque plura sibi adempta recepere, Bengalani enim & alij suos iã diu habuere, similiter Cinæ. Atque hoc modo limites tanti imperij non parum contracti sunt.

Indi & Sinæ sua recuperant.

Peregrinatio.

Modò quibus in locis Marcus Paulus Christianorum Ecclesias sub Tartaris inuenerit, paucis dicamus, vt hinc etiã moles imperij, & nostræ ruinæ appareant. Ad Meotidẽ igitur Paludẽ delatus, tam ibi quã apud Iberos & Georgos hoĩes Christianos Tartaris subiectos, Iudæis, & Mauris mixtos an. circiter 1250. Græco viuẽtes ritu inuenit. In Armenia verò Nestorianos & Iacobitas, & ipsorũ Patriarchã, qui Abbates & sacerdotes ordinabat, quos ad vniuersa loca, vbi Christiani Ec-

Variæ in Asia maiore Christianorũ Ecclesiæ Christiani Georgi. Christiani Armeni.

clesias habebāt,in Babiloniā,Ægyptū & Indiam mitterent.Inde in Mediā profectus,Ecbatana(quæ Taures modò dicitur, & olim Regia Medorum fuisse putatur)celeberrimā vrbē venit,vbi quoque Christianos, Armenos, Iacobitas, Nestorianos, Georgos,Persas offendit: Saracenos itē pessimos, rapinas lege perfida edoctos exercētes, qua liceat astu fraudeq; aliena inuadere,modò suę sectę hominibus parcatur. Si cōtingat istos à Christianis trucidari,martyres(si diis placet)habentur,vocatóq; sacerdote,sola fides requiritur ad salutē,qua illi fatentur Mahumetē verū Dei nunciū fuisse, & hoc modo sceleribus latè aperitur ianua,quod & nostri nouatores optimè norunt.Hac tēpestate magnus Tartarorū numer⁹ Mahumetē professus erat,qui relicto naturali iudicij lumine, nihil nō quoque more Maurico sibi licere putabant, tanta inest vis malis opinionibus.

Patriarcha.

Christiani Medi.

Sola fides in morientibus Mauris ad salutem exigitur.

Romana catholica fides.

Peruenit & ad S. Barsami monasteriū vbi & Abbas & multi monachi,qui religionis,nec non vitādi ocij causa zonas laneas texebant,quas altari in Sancti huius memoriam erecto,dū missæ sacrificium offertur, & sacra officia peraguntur, positas precibus sacrant,amicis ad Colicos dolores arcendos donant,ac in precio & veneratione etiam apud viros nobiles habentur.

Monasterium S. Barsami in Media.

Zonæ sacræ Colicā sanant.

Hinc ad fretum Persicum,vbi est insula Ormutium,longo pergens itinere,solos Mahumetanos se vidisse meminit Marcus,Persas crudeles, inter quos multi sicarij degerent,appellans,nec eos vino vti scribit,nisi adeo cocto, vt dulcescens vini nomen amittat, tunc enim lege Mahumeti sibi non prohiberi dicunt.

Vinum coctum.

Verùm in hac regione alibi etiam Christianos esse literæ Indicæ testantur.Scribit enim P. Antonius Quadrus in Epistola anni 1555. Persas

Christiani Persicis.

Christianos ad se nunciū destinasse, quo sibi mitti cupiunt aliquos viros religiosos, à quibus in Christiana fide melius instituantur, addentes se Ioanni Euangelistæ institutionem Christianam acceptam ferre.

S. Ioannes euāgelista in Perside uidetur fuisse.

Addit in sua epistola Indica Michael Barulus, dicere eosdem se Romanæ Ecclesiæ subesse, atq; Romano more sacra cærimoniasque seruare, sed Episcopum se ab Armeniæ Patriarcha accipere. Saraceno cuidam parent, qui templa ipsis permittit, in quibus tremendum altaris sacrificium offerant: Turcas tamen interdum irruere, & templa solo adæquare: propterea vt sine molestia sacris operētur, ad montes & inaccessa Turcis loca confugiēdum esse: addit in Bassora quæ ad Eufratem nōprocul à sinu Persico sita est, ad quadraginta Christianorum millia habitare.

Persæ Romanæ Ecclesiæ subiecti.

Insulæ Ormutij æstus.

A Persia per Carmaniam Ormutium venitur. Memorabile est, æstate adeo hic seuire calores, vt ciuitate relicta certo tempore in continentem ad hortos suos iuxta flumen se recipere refrigerij causa cogantur. Supra aquam crates sternunt ligneas, ac veluti solarium componunt, in quod tugurium ex virentibus folijs, sub cuius vmbra delitescant, erigunt: nec id satis, sed etiam quotidie dum ante meridiem à locis arenosis ventus quidam adurens spirat, adeò vt impedita respiratione suffocet, se vsque ad mentum aquis mergunt. Carmaniæ Rex volens quodam tempore Ormutinos tributa detrectantes, dum his vacant refrigerijs, opprimere, exercitum misit. Qui delituit in vicina sylua nocte, mane verò cùm ad arenosa loca venisset, totus interijt, adeoque assa adustaq; corpora sunt, vt dum cessante vento, eò venissent Ormutini ad humanda cadauera, ne aerē infice-

Vetus adurens & suffocans.

Cadauera assa adustaque sole.

inficerent, brachia à corpore auellerētur. Dactilis vescūtur, nō pane, q̄ is morbū ipsis adferret. Mahumetani sunt vt & Carmani: & Tartaro parebant.

Qua hinc in Indiam pergunt mercatores, plerumque latrones Tartari grassantur, qui magicis artibus, tantas excitant tenebras, vt cùm se mutuò non videant viatores, facile opprimantur: his artibus student multi toto hoc vsque ad Indiam tractu, nec mirum, cùm nulla apud eos Christianæ fidei vestigia supersint. *Latrones præstigiatores.*

Qua à Carmania ad Septentrionem pergitur, tertio itineris die desertum occurrit, in quo nullū reperitur animantis genus, quòd nihil tellus quo alatur, producat: imò nec aquam quidem habet, nisi quodam loco viridem, de qua vel gutta sumpta decies aluum purgat, etiam iumentorum. Flumen tamen subterraneum quarto die occurrit, quod quibusdam in locis suo fluxu disrupta terra viatoribus aquam præbet. Confecto septē dierum per hoc desertum itinere, est Cobina Mahumetanorum ciuitas. *Carmania.* 3. *Stagna admiranda.* *Flumē subterraneum* *Cobina.* 7.

Octo alijs confectis, ad septentrionem est prouincia Timochaia ad Persidis fines, in ea est vasta planicies, atque in illa arbor solis, quam multi Christiani etiam hac tempestate siccam arborem vocant, de qua multa fabulantur. Fructum fert similem Castaneæ spinosum, sed nucleo cassum, folia habet ex altera parte virida, ex altera candida, lignum solidū colore buxeo: prodigiosum id sane, quòd sola in hac vasta planitie sit, adeo vt ex vno latere decimo, ex altero centesimo miliari nulla conspiciatur arbor. Incolæ qui Mahumetani sunt, narrant hic Darium cum Alexandro signa conferentem occubuisse: Regio temperata est. *Timochaia.*

Hic

Asa ßiner orig & indiritus.

Hic quoque alicubi arx sita fuit Asassinorum, siue Arsacidarum, qui latronum more quoscunq; vellent, interficiebant, & magnis Christianos cladibus occultè afficiebant, cuius sectæ origo sic traditur. Aloadinus quidam secta Saracenus in Persidis finibus, vt suis persuaderet, se illos vitæ beatæ participes facere posse, qui mãdata sua seruassent, in amenissima quadam valle, inter duos altissimos montes, hortos pulcherrimos, omni arborum suaues fructus ferentium, & florum genere adornârat, quos vndique splendidissimis ædificijs incluserat: quæ auro alijsque coloribus depicta, & speciosissima supellectile instructa erant, & varijs in partibus lactis, mellis, vini, & odoratatarum aquarum fontes riuosque habebant: intus erant formosissimæ puellæ, cantu musicisque instrumentis, choreis, omnibusque blãditijs eos qui ibi erant oblectantes: paucis, nihil quod ad summam voluptatem desiderari posset, deerat. Locus erat natura & arte munitissimus. Aloadinus persuasit montanis istis hominibus, se Mahumeti socium potestatemq; penes se paradisi, ac beatæ vitæ impertiendæ esse. Deligebat igitur adolescentes ad arma aptissimos, educabatque, & vt mandata sua exequerentur lubentius, potione quadam propinata altissimo somno consopitos, in eum locum transferebat, vbi excitati, per duos trésue dies omnibus voluptatibus fruebantur: & pòst iterum, eadem potione somno obruti efferebantur: & sic fiebat, vt illi pòst nulla pericula, nullos labores, quò eius mãdata perficere possent, subterfugerent: atque quoscunque ille siue principes, siue plebeos vellet, etiam in remotissimis partibus degentes, insidiis trucidarent. Horũ aũt ad 60. millia habebat. Instituit & in Syria simile

quid.

quid. Hi milites cędibus & latrocinijs totam Asiā Christianis infestā reddebāt: sed eos Tartari, intellecta nefaria arte, arce capta an. 1262. deleuerūt. Suberat enim Castrum Haloni vel Vlau Camo.

Octauo itineris die Balachia occurrit, magna, & olim nobilis, vt ex multis marmoreis ędificijs constat, ciuitas, & Alexandri aut Darij opus putatur. Sita est in Persiæ finibus ad Aquilonem Orientalem, Grecoleuantem vocant: Gens Mahometana est. 8. *Balachia.*

Nono hinc itineris die ad magnam Balaxiam venitur, auro gemmisque Balaxanis abūdantem, natura adeò munitam regionem, vt nullius potētiam timeat: montes altos habet adeò, vt vno die vix superentur, in vertice planos, & fontibus abūdantes campos, vbi aër adeo sanus est, vt quarto die à morbis liberet ægrotos, qui frequentes ob id eò ducuntur. 9. *Balaxia.*

Hinc ad Meridiem decimo die se offert prouincia Bascia, quæ regio calida est: gens Idola colit, magicis artibus maximè dedita, perfida, crudelis, colore fusca, gemmas, aurumque ex auriculis affabrè elaboratum pendūt, Idiomate proprio, vt & Balaxiani vtuntur. 10. *Bascia.*

Vlterius equitando diebus 7. Chesmur prouincia, caput & fons omnis Idololatriæ huius orbis occurrit. Hinc enim ad alios manat, & summi nefandæ artis magicæ magistri prodeunt, qui Idola ad colloquia cogunt. Regio natura adeo munita est, vt nullius potentiam metuat. Visuntur hîc multa Eremitarum monasteria, qui summè, ne sua Idola offendant, peccata vitant, parcissimè victitant, & maximis ieiunijs se affligunt, diutissimè tamen viuunt. Ob religiosam quam ducere videntur vitam, populus 7. *Chesmur caput Idololatriæ et magiæ.* Monasteria *Longa ieiunantium uita.*

populus maximè ipsos veneratur. Gens ista nullum animal non solùm non occidit, sed nec vulnerat, leditue: si opus sit carne vesci, Saracenorũ opera in animantibus mactandis vtuntur. Colore sunt fusco magis quàm nigro. Corallũ in summo habent precio.

Pergit inter Oriẽtẽ & Boreã. Verùm ne in Indiam tendamus, à Balaxia in Cataiam inter Orientem & Boream pergemus, notabimusq; gentium ad dexteram & sinistram occurrentium religionem & mores.

Vochia. A Balaxia in Vochiam tridui itinere venitur. Incolæ probi sunt, sed Mahumetani. Tres hic integros dies per altissima loca semper ascendẽdum est, adeo vt nihil in orbe putetur sublimius, deinde ad plana quædam venitur, vbi verueces esse incredibilis magnitudinis dicuntur, cornua sex palmarũ habẽtes, ex quibus pastores scutellas & vasa ad cibos excipiendos, imò & sepes conficiunt. Occurrunt deinde plani vastique campi, *Pawer.* Pamer nuncupati, omni habitatore vacui, adeo vt ne auis quidem ob loci altitudinem vsquam compareat. Ferunt hic frigus adeo asperum esse & vehemens, vt ignis vigorem penè opprimat, & splẽdorem immutet. Tum aliud 40. dierum desertum per montes & colles, vbi nihil, ac ne herba quidem nascitur, succedit: plaga hæc Beloro *Beloro.* dicitur, & habitatore caret: nisi quòd in summitate altissimorum montium syluestres quidam & feri Idololatræ degunt, qui ex venatione viuunt, & ferarum pellibus vestiuntur. Pergendo versus eandem cœli plagam, est ciuitas Cascar, Tartaro *Cascar.* subdita: ciues sunt Mahumetani & Nestoriani, qui hic aliquot templa habent: prouincia hæc Cascar ad 10. dierum iter in longum extenditur, & in magna Turcia sita est.

Sequi-

Sequitur Sammarchanda nobilis ciuitas: Christianos & Saracenos habet. Narrant hic ante aliquot annos tale accidisse miraculum. Cùm Zagathaias germanus frater Imperatoris Tartarorũ, Christi sacris esset initiatus, Christianos præ lætitia ad S. Ioannis Baptistæ memoriam templum extruxisse tali artificio, vt cùm esset rotundum, vniuersum tectum vna columna in medio fulciretur, quæ magni precij petræ quadratę, è Saracenorum ædificio sublatæ, veluti basi niteretur. Cùm mortuo Zagathaia successisset filius impius, qui Christum non coleret, ab eo Saraceni cupiẽtes templum Christianorum destrui, basim illam columnæ repetunt & obtinent. Christiani templum Deo & S. Ioanni per dies 20. summis præcibus & lachrymis magna humilitate, nec frustra commendant: eo enim die quo petra restitui debuit, colũna supra eam ita eleuata conspicitur, vt sine ædificij ruina tolli potuerit. Et etiam iam tunc, cùm Marcus Venetus hîc esset, sic eleuata, & super nulla re innitens visebatur. *Sammarchanda.* *Miraculũ.*

Hinc quinto die Carcham venitur: Mahumetanos & Christianos habet. *5.*

De *magna* Turcia. *8.*

COtta octidui abest à Carcha, producit vineas, vt & Pein prouincia, quæ 5. dierum spacio transitur. Incolę Mahumetani sunt, hanc impuram consuetudinem seruãtes: si 20. diebus abest alter coniugum (vt fit dum peregre itur) licet vxori alteri nubere, & viro aliam ducere. Prouinciæ istæ, Cascar, Cotta, Pein vsque Lop sub magna Turcia cõtinentur, vt & Ciarcian eodẽ tractu nobilis prouincia & ciuitas. Mahumetani hi sunt, sicuti & Lopenses, qui ab eas 5. dierum itinere absunt. *Carchæ. Christiani. Cotta.*

A ciui-

A ciuitate Lop venitur ad arenosum & sterile desertum, in quo tamen aqua singulis diebus, certis in locis inuenitur, quantū centum hominibus, & ipsorū iumentis sufficiat: cibi verò penitus nihil, quāobrem non solùm mercibus, sed etiam cō meatu, plurimos asinos, potissimum tamen camelos, quòd paucissimi sint cibi, onerāt, vt cùm non sufficit commeatus, ipsa iumenta absumant. Desertum hoc nec aues, nec alia animantia alit, quia nihil hic quod edant, prouenit. Mira hoc loci viatoribus asseuerant euenire dæmonum illusionibus. Cùm enim quis à Societate aut aberrauerit, aut remotius abfuerit, amici aut noti alicuius de societate vocem illi effingunt, proprioque compellant nomine, & hoc modo ignaros in deuia & præcipitia ducunt: quin & totum sodalitiū interdū fallunt, dum strepitum de nocte multorū simul ambulantium exprimūt, & ea ratione, procul extra viam abducunt. De die quoq; hæc spectra apparent, speciē figuramque sociorum mentientia, vt fallant. Interdū armorū strepitum excitant, tympana & musica instrumenta percutiunt, exercitusq; speciem atq; apparatū ostētāt, quibus viatorū agmē terrore perculsum diffugere ad deuia cōpellunt. His dæmonū ludificationibus subduntur isti, qui Christo relicto Mahumetū hæresesq; sequūtur. Similia fieri in quibusdā nostri orbis hęresi planè infectis locis accepi, vt qui fidei lumen refugiunt, tenebras & terriculamēta incurrant, omnemque barbariem & morum improbitatem. Hi enim sunt digni perfidiæ fructus.

Demonum præstigiæ.

De Prouincia magnæ Tangutiæ.

39. *Tanguthia prouincia.*

AB hoc deserto cui peragrādo 30. dies insumuntur, se offert vrbs Sanchiō in prouincia Tanguth in qua inter Idololatras

Turcas,

Turcas, & Saracenos nonnulli adhuc superſunt Chriſtiani Neſtoriani. Idololatræ proprio vtũtur idiomate. Multa habent monaſteria in quibus ſua Idola ſummè venerantur.

Inter cætera nato filio veruecem ſaginant, quẽ euoluto anno ipſo natalis die recurrente immolãt, coquunt, coctũ diis apponunt: multis interea pro filij ſalute, quem Idolo committunt, orãtes, donec Idolum, vt opinantur, omnem ſuccũ carniũ hauſerit: dein domum aſportant, & religiosè reuerenterq; & lætè cum amicis epulati, oſſa pulchris vaſis recõdunt. Sacerdotibus Idolorũ cedit caput, pellis, pedes, viſcera, & nonnihil carnium. *Variæ & lepidæ idololatrarũ ſuperſtitiones.*

Cùm vir honoratior moritur, Aſtrologos vocant, vt cognito die Natiuitatis, iudicent quando, & qua ædium parte cadauer debeat ſub propitio planetæ aſpectu efferri, & cremari. Ad menſem interdum cùm fauſtum diem præſtolantur, cadauer aromatibus conditum, impoſitumque arcæ ex denſis tabulis confectæ, & ſericis pannis repletæ, rimiſque probè obturatis, ne fetor quenquam offendat, aſſeruant. Indies tamen domi mẽſam ſternunt, vinum cibumque apponunt tanto tempore, quantum cibis qui apponuntur, abſumẽdis ſat eſſe ſolet, vt ſpiritus defuncti, quem adeſſe putant, ciborum nidore ſatietur. Interdum iubẽt Aſtrologi cadauer efferri per poſticũ, aut etiam effractum murum, pro ſtellarum felici aut infelici oppoſitione, ad ianuas, aut eum quẽ effringũt murum, perſuadentes niſi id fiat, animam defuncti ædibus damnum aliquod illaturam: & ſi quid fortè mali accidat alicui domeſtico, dicunt cadauer nõ fuiſſe elatum oportuno tempore, aut per eam domus partem qua debuit. Dum effertur, domunculæ quædam in via extruuntur, non *Aſtrologi.* *Animis cibus apponitur.*

ſine

ſine cibis & potu: vbi cadauer quieſcit, donec aní ma cibis illis vt ſomniant, reficiatur, & tantũ virium ſumat, quantũ ſatis ſit ad ferendũ cadaueris ſui exuſtionem. In charta, quæ ex arborum corticibus fit, depingunt viros, fœminas, equos, camelos, nummos, veſtes, & ſimilia, quibus opus eſſe in alia vita putant, quam ſimul cum cadauere exurunt, exiſtimantes omnia illic præſto fore, quæ depinxère. Dum hæc fiunt, adſunt qui varia pulſant Muſica inſtrumẽta: modò agamus de prouincijs, quæ ad extremum ſolitudinis ſitæ ſunt, verguntque Occidentem verſus & Septentrionem, Magiſtrum vocant Itali.

Ad Circiũ pergit & Occidentẽ Chamul Prouincia.

Primò ſequitur Chamul prouincia, & ciuitas multorum caput, incolæ Idololatræ, & natura faciles, & humani adeo, hoſpitaleſque, vt non ſolùm peregrinis ædes concedant, ſed & vxores & filias, ipſi rus interea ſe recipientes: vnde omnia neceſſaria hoſpiti mittant, monentq; dum abeũt, vt humaniſſimè hoſpitem tractent: nec domum reuertuntur, donec ille abierit. Cùm ignominioſum hoc probroſumque malum Chamus edicto publico ſuſtuliſſet, fortè eo anno terra non tam copioſe fructus produxit. Illi inhoſpitalitatis penam ab iratis Dijs immiſſam id interpretabãtur, quorum gratia in peregrinos fuiſſent adeò liberales. Itaque multis precibus apud Chamum contenderunt, vt ea conſuetudo reuocaretur, ne irati Dij ob inhumanitatem in ſe grauius animaduerterent in poſterum. Quibus Chamus: Si tanta (inquit) infamia gaudetis, fruimini. Illi læti ad ſummam illam humanitatem rediêre.

Succuir Prouincia.

Confecto 10. dierum itinere offert ſe Prouincia Succuir: Idololatræ ſunt, inter quos nonnulli Chriſtiani, eſtque magnę Prouinciæ Tanguthiæ

vt &

vt & Chamul. Metropolis Tanguth est Campion, in qua Christiani tria pulcherrima habent templa. Idololatræ verò magnum monasterioru Idolis dedicatorum numerum, in quibus multa Idola lignea & lapidea affabrè facta, & auro obducta visuntur, quædam etiam 10. passuum altitudinis, circu quæ stant multi parui Dij, & veluti discipuli. Religiosi Idololatræ, quia castitatē seruant, & ab inhonestis quibusdam abstinent, in precio sunt. Putant indigenæ nō esse peccatum, si quis cū muliere id ex amore petēti cōsuescat: peccatum tamen esse, si vir id primò proponat. Vxores ducunt 30. Prima cæteris maior habetur: repudiant eas quæ non benè se gerunt: à nullis dotem recipiunt, sed dant ipsi armenta quædam, & seruos, eò quòd quæstuosæ, nō ociosę sint vxores. Singulis mensibus ter aut quater à carne & sanguine ex religione abstinent. Degunt hic quoque Saraceni. *Campion.*

Si dierum 12. itinere pergas, occurrit in extremo deserti ad Septentrionem Ezina: Idololatræ sunt & hic. *Ezina.* 12

Modò relicta via qua Septentrionem inter & Ortum itum est, recta Septentrionem petamus. Confecto quadraginta dierum deserto, se offert Carachoran ciuitas, quæ suo ambitu tria milliaria complectitur, vallo, quia lapidibus carent, circūdata: habet & magnā arcē, in qua Præfectus habitat. Ad hunc locū, primò se contulēre Tartari, vnde egressi Vm Chamum sub iugârunt. *Septētrionem petit.* 40

Relicto Carchorā & monte Altay Septentrionem versus occurrit vasta planities Bargu, per quam 50. vel 40. dierū spacio itur ad Oceanum, multa habet loca paludosa, & lacus. Populi Mecriti dicuntur, veteres mores Tartarorum, quibus *Bargu.* 45 *Mecriti.*

ſubſunt, obſeruant, Syluestres ſunt, carne victitant cuiuſdam animantis ſimilis ceruo, quo etiã vehuntur. Veſcuntur & auium quodã genere, quod euulſis plumis, vt nouæ renaſcantur, æſtate circa aquas iſtas & paludes verſatur. Hinc fit vt plurimæ capiantur. Frumento, & vino carent, hyeme verò ob frigoris aſperitatem nec aues, nec alia animantia hic reperiuntur. Ad mare mons eſt, in quo Falcones & aliæ ſimiles aues: nemo tamen hominum degit. Eſt & inſula in mari, in qua Falcones & Accipitres, aliæque rapaces aues verſantur, tantumque hæc inſula ad Septentrionẽ accedit, vt ſtella polaris aliquando ad meridiem illis vergere videatur.

Ponunt autem recentiores, in hiſce locis polo ſubiectis quatuor inſulas, inter quas oceanus, quatuor oppoſitis Euripis ad Septentrionem in rotundum ſinum, qui aquas abſorbet, erumpit. In ſinus autem medio, altiſſima ſub polo rupes attollitur, cuius ambitus eſt 33. leucarum. In ea inſularũ, quæ Lappiæ opponitur, pigmei quatuor pedes longi degunt. Saluberrima porrò, ſeptentrionalium quæ ad occidentem ſequitur, interiectuſque inter vtramque Euripus, quia cæteris latior, quotannis, quod arctiori rapidiorique nõ accidit, congelatur. Circa hanc ſeptentrionalem plagam, & mare Scythicum, eſt regio à tenebris verè Cimmerica nuncupata, quod ibi tota hyeme ſol non compareat, ſed vel denſæ tenebræ ſunt perpetuo, vel quaſi diluculũ, ſole ad tropicum cancri redeunte. Populus eſt formoſus, pallido tamen colore præditus & ſtupidus.

Cimmeri.

Hos Tartari vicini incurſionib⁹ hyeme tenebrarum tempore infeſtant, pelles quas precioſiſſ. habent, Tartariciſque præſtantiores, & armenta rapientes

piētes,quā ad rem hac arte per obſcuram regionem vtuntur,vehuntur equabus, quarum pullos circa confinia iſtorum Cimmeriorum relinquūt: cùm predam obtinuère,equas,laxato freno, quo lubet tendere ſinunt,quæ cùm recta ad pullos feruntur,illi per tenebras celerrimè euadūt. Parant autem Cimmerij precioſas illas pelles æſtate,quę ipſis tota tranſit ſine nocte & tenebris, ſole circū ipſos ſemper conſpicuo,niſi nubes impediant:his Tartaris propinquus quidam Cobeli, Caidu de Cangij ſtirpe,liber Rex imperabat, id in primis curans,vt ſumma pace fruerentur. *Caidu nepotē quendam Cobeli uerſus magnā Turciā egiſſe legimus.*

Sūt autem iſti verè Tartari, morum veterum obſeruātiſſimi:degunt enim in latis campis,vallibus & ſyluis, quibus regio abundat maximè, ſine oppidis & ciuitatibus,ſine vſu frumenti,carne & lacte contenti. Hic iumentorum & armentorum copia, potiſſimum boum, item vrſorum alborum & maximorum,nec non nigrorum magnorumq; vulpium,& Rondelinorum, quorum pelles zibellinas vocant,& cū magni ſint precij, in Roſſiam (quæ regionem tenebroſam contingere,& verſus inſulas falconum ſe porrigere putatur)& alias regiones auehuntur. Ad Tartaros iſtos 14. dierum itinere peruenitur per ſolitudinem quandam plenā lacunis & fōtibus, quorum aquis ſæpius inundat, & ob id habitatore caret, lutoſiſſimaque eſt eo tempore anni,cùm glacies, qua plerunque conſtricta eſt,diſſoluitur. Quare vt mercatoribus pelliū acceſſus pateat, multæ ædes ligneæ conſtructæ ſunt,vno diei itinere ab inuicem diſtantes,in quibus alūtur animalia magna, canibus ſimilia aut robuſtis aſinis,quæ traham in curuam,vtroque extremo eleuatam cum auriga & mercatore toto die per mōtes & lubricas val-

Rondes. Roſsia.

14

les reptant, donec ad proximum hoſpitium veſpe ri ventum, vnde mutatis iſtis iumentis, ſimili induſtria pergunt.

Iter ad Ortũ inſtituit 5. Modo reuertamur Campionem, & Chami Regiam viſitemus. Rurſum 5. dierum itinere ad ortum locus incidit variis dæmonum ſpectris infeſtus, quorum voces audiuntur terribiles: quinto die in vrbem & regnum Erginul, quod ſub Tangutia eſt, venitur, vbi Idololatræ ſunt, Turcæ & Neſtoriani nonnulli. *Neſtoriani Tãgutiani*

25. Singui. Si Auſtrum inter & Ortum pergas, offert ſe Singui vrbs & Prouincia, quæ 25. dierum itinere peragrari poteſt: multa habet oppida: ſi ad eandem plagam tẽdas vlterius, tandem in Cataiam venies: Idololatrę hæc loca habitant, Mahumetani & Chriſtiani. Hic animal quoddam pulchrum inuenitur, quo & veſcuntur, vnde muſcus ille ſuauiſſimus habetur, magnitudinis capræ, pilis ceruinis, craſſioribus tamen præditum, cornubus caret, pedes caudamque felis habet, dentes infra ſupraque duos longos admodum. Huic circa vmbelicum, dum luna eſt plena, tumor oritur, abſceſſuſque ſanguineus, qui cum pelle abſciſſus, & in ſole ſiccatus, muſcus eſt. Habent & boues ſylueſtres, quorum pili ſunt ſubtiliores byſſo: viri ſunt imberbes adeo vt in mento vix 4. pilos conſpicias: Idololatræ ſunt, & multas ducunt vxores. *Muſcus odoriferus.*

Egrigaia prouincia Calatia Metropolis Octauo ab Erginul ortum verſus itineris die, eſt Egrigaia prouincia, cuius metropolis Calatia. Incolæ idololatræ ſunt, aliquot etiam viſuntur Chriſtianorum Neſtorianorum templa.

Tenduc prouincia tota pene Chriſtiana Præteiãnis regia. Agamus modò de alia ad Ortũ ſita regione. Tenduc multa habet oppida, Metropolis eiuſdẽ nominis Tenduc Regia eſt Præteiannis: Indigenarum maior pars cum ſuo Rege Chriſtum

Neſto-

Nestoriano ritu colit. Hic imperabat Vmchamus, quem Cingis primus Tartarum Imperator in suam potestatem redegit: qui vero anno circiter 1290. partem dominij Vmchami sub Cobila de Vmchami stirpe quartus regebat. Rex & sacerdos, Georgius vocabatur. Quamuis autem minor multo sit Præteiannis potestas, & sit ipse Camo subditus, tamen hanc familiã Tartarorum Imperatores in tanto semper habuêre honore, vt iis qui de Vmchami stirpe sunt, filias suas tradant vxores. Quamuis aũt huius Prouinciæ Rex Præteiannes sit Christianus, totique populo dominetur, multi tamen in ea degunt & Mahumetani & Idololatræ: vnde patet rursum tam horum Christianorum, quàm Regum & negligentia, & in cõuertendis gentilibus impotentia, qui ipsos quibus tot imperârunt annis, ad Christum adducere nõ potuerint, id est quod dico, erroribus inuolutis Deum non impartiri eam gratiam quam veris Ecclesiæ Catholicæ membris. Hic igitur Præteiannes Tartaris circumfusis regionibus & regnis imperabat, & iam vsque successère legitimi hæredes, estque hic Georgius inter ipsos Principum maximus. Sunt porro duæ regiones, in quibus regnarunt, *Vng* & *Mongul*, *nos* Gog & *Mo gog* appellamus. In *Vng* degunt populi *Gog*, in *Mongul* Tartari.

Præteiannes

Quibus imperat Præteiannes.

Vng.

Mongul.

8.

Ortum versus qua itur in Cataiam, toto octiduo, multæ sunt vrbes & oppida in quibus degunt Idololatræ. Mahumetani & Christiani Nestoriani. Est inter cæteras ciuitates Sindicin, in qua multum mechanicæ artes vigent, omne genus animorum conficitur, & quicquid in exercitu requiri possit.

Gog et Magog.

Sindicini.

Ciãganor. Cianganor tridui itinere sequitur. Inde alio tridui, quòd semper equis confici intelligo, Xandu *Xandu.* ortum versus & Boream: hanc Cobila extruxit, ædificauitque in ea sumptuosissimum palatium ex marmore aliisq; lapidibus summo artificio elaboratum, huic murum adiecit, qui ambitu suo sexdecim miliaria complectitur, in quo sunt amenissimi campi, fontes & flumina, & omne genus animalium & ferarum, falcones, accipitresq; hic plurimos alit, & leopardos ad feras capiendas expeditissimos Est hic & amœnissima sylua, in eáque domus, quæ elegantibus columnis inauratis innititur, cuique columnæ draco assculptus adfixusque est, qui caudæ voluminibus & spiris columnas amplectitur, capite verò laquearia, quibus tabulatum innititur, fulcit, alas vtrinq; ad extremum contignationis extendens, quæ domus tota dissolui, non aliter atque tentorium & alio transferri potest. Huius loci aër est saluberrimus, quare statis temporibus huc se recipiunt Chami, distat autem à Cambalu decem dierum itinere.

Ædificauit & aliam vrbem Cobilus è regione Cambalu vltra amnem, quadratam totam, quæ *Taidu.* Taidu dicitur, & suo ambitu 24. miliaria amplectitur, maior tamen ea est vrbs Cambalu.

Pulisanga flumen. Decimo à Cambalu miliari est flumen nobile Pulisanga, quod longo tramite in Oceanum se exonerat. Pontem habet pulcherrimum, 25. fornicibus confectum, longum 300. passibus, latum 8. adeo vt deni equites cõmodè ipsum transeant. Vtrinque insignes assurgunt colũnæ, inter se passu cum medio distantes, in summo cuiusque columnæ leo, res sanè visu pulcherrima: In extremo verò pontis assurgunt duæ maximè columnæ, simul pluteis inter mediis connexæ, atque in

earum

earum summo & ad bases marmorei leones:qui ad bases,ingentis sunt molis.

Hinc abest versus Occidentem trigesimo miliari Gonza, vrbs multis idolorum monasteriis clara. Si vlterius pergas Cataiam, si verò eam cœli partem,quæ inter Ortum & Meridiem ducit,Mangi Prouinciam ingredieris.Sed modò ad Occidentem nonnihil iter corripiamus, si quod fortè religionis Christianæ vestigium occurrat. *Gōza urbs Cataia.* *Mangi.* *Ad Occidentem modo pergit.*

Gonza igitur relicta 10. die offert se Regnum & vrbs maxima Tainfu,mercibus artificibusque variis & armis bellicis clara: quæ & vites habet, vnde vinum conficitur. 10 *Tainfu Regnum.*

Hinc alia & maxima ciuitas Pianfu septē dierum equitatione abest:in via multæ sunt ciuitates & oppida quę mercimoniis maximè florent: serici hic ingens copia. Nec procul abest Thargin castrum munitissimum,insigni veterum Regum palatio exornatum: in quo Regum famosorum,qui in his locis olim regnârunt, eleganter depictæ cernuntur imagines:inter quas erat Regis Dori,qui loco munito cōfisus ab Vm Chamo Præteianne olim defecerat:quē in potestatē suam redactum, Vm Chamus suis armentis vili indutum habitu, non sine custodibus, ne aufugeret, biennio præfecit,volēs hoc modo superbū animi morbum curare.Dein ad se adductum, post grauem reprehensionem,Regalibus indutum vestib⁹ ad sua remisit,qui deinceps submisse se gessit. 7 *Pianfu.* *Thargin castrum.*

Vigesimo, ab hoc castro miliari est insignis amnis Caramorā,latus adeo & profundus, vt nullum admittat pontem, ad cuius ripas zinziber passim nascitur, item arundines sesquipedalis crassitudinis. *Caramorā amnis uastissimus.* *Zinziber.*

Caciamfu. 2. Vltra hoc flumen bidui abest Caciamfu, Idololatras habet, hic copiosè galanga, spica, & alia nascuntur aromata. Prædicta loca omnia mercibus & diuitijs abundant.

7. Dum septem aliis diebus pergitur per multas ciuitates & oppida, in quibus Turcæ, Saraceni, & Christiani & Nestoriani degunt, est prouincia & Quenzãfu ciuitas Quenzamfu, olim multis claris Regibus nobilis: sunt & hic Christiani.

Cunchin. 3. Vlterius ad Occidentem pergendo per Prouinciam Cunchin ad tres dies, montosa sunt omnia, protenditurque hæc regio adeò, vt viginti dierũ itinere sit opus ad eám pertrãseundam: in fine dicti itineris ad Occidentẽ venitur in aliam Idololatrarum regionem Achalach Mangi, hoc est, alba ciuitas confinium Mangi, campos habet admodum cultos, qui biduo iter agentes 20. detinent. Post iter viginti dierum venitur ad Achaluch. Sindinfu. magnam planitiem amplamque & nobilem vrbem Sindinfu, ambitus enim eius est 20. miliarium, in finibus Mangi positam, multis abundat amnibus, quorũ vnus eam circunfluit, aliqui medio miliari patẽt. Insigni hic artificio & magnitudine pontes visuntur, in quibus vtrinq; egregiæ ex marmore assurgunt colũnę, quę tecta pōtium fulciunt, in pōtibus aduersę ex vtroq; latere mercatorũ officinę constructę sunt. Flumina hęc extra vrbem coniũcta amnem vastissimum Quian Quian amnis. appellatum conficiunt. Indigenæ Idololatrę sunt. Notandum profectò hoc loco Mangiam siue Cinam in Occidentem se tam procul extendere, & Cathaiam ad Septentrionem relinquere.

Thebeth. 5. Quinto hinc die magnæ Prouinciæ Thebeth limites se offerunt: gens hæc adeo demens est, vt turpe putet ducere virginem, Diisque ingratum.

Mercabantur

Mercatoribus igitur,qui hac iter faciūt,violandas offerunt. Crudelissimi sunt, Idololatræ & perfidi: hos cùm sibi subiiceret Magnus Chamus, grauiter afflixit.Corallo monetæ loco vtuntur.

Sequitur Prouincia & vrbs Caindu, sunt & hi Idololatræ, nihil præcedentibus castiores, vt qui domo relicta, vxores tradant hospitibus, signo etiam ianuæ id indicante appenso: quo non ablato,mariti domum non remeant.His impudicitiis Deos se placare putant,foreq́ue propitios, & frugum copiam largituros.Gariophili hîc nascūtur,arboris id genus est paruum,lauro non dissimile,floribus albis & paruis, quales gariophilus exprimit.Proueniunt & alia aromata.

Caindu.

Gariophili Arbustum

Si iter 15. dierum adiicias,ad finem Prouinciȩ venienti,amnis Brius aurifer occurrit, qui hanc à prouincia Caraian septem habēte regna diuidit: cuius incolæ Idololatræ sunt, vt & Iaci, ad quos quinto die peruenitur: habet tamen & Christianos Nestorianos & Turcas,& Saracenos.Nec hic reputatur iniuria alterius abuti cōiuge. His dementiores sunt Carazani Idololatræ,ad quos, 10. alijs diebus peruenitur: hi enim viros præstantes forma, elegantioribusq́; moribus & alijs naturæ donis pluribus præditos,hospitio exceptos,etiam si nobiles essent,occidere solebant, existimantes hoc modo omnia felicius domi successura,si pręstantium virorum animȩ in ȩdibus suis remanerent.Ferum hoc facinus,vt & Saracenorum quædam graui indicta pœna Cobelus prohibuit.

15

Amnis Brius aurifer.

Caraian, 7

Iaci regnū & urbs.

5

10

Caraxani.

Pergendo porrò ad occidentem quintiduo, sequitur Prouincia Cordandan, Metropolis Vocia.Indigenæ auri lamina dentes tegūt. Moneta est ipsis aurum certo pondere, quo adeo abundant,vt vnam auri vnciam cum quinque argēti, quo

Cordandan.

5.

Non tā ad ortum quā Africū tēdere uidetur.

quo carent, libenter commutent. Potum ex oriza & aromatibus optimum conficiunt. Idolis & templis carēt. Seniorem domus, quia ab eo orti sunt, & quicquid habent boni, eidem acceptum ferūt, adorant. Gēs est sine literis & libris, syluestris planè, quòd cum exteris nulla commercia exerceat.

Magica curandi ratio. Cùm ægrotant, Magis medicorum loco tam hi quàm Iacenses & Cainduenses, vti consueuerunt. Magi cùm vocantur, Musicos adducunt, qui varijs instrumentis ludant, tripudient, & canāt quędam ad honorem Idolorum, donec dæmon aliquem istorum corripiat. Tunc cessantibus omnibus quærit Magus ab arreptitio causam morbi, & quid sit adhibendum remedij. Respondet dęmō, offendisse talem Deum, nomine ipsius expresso. Orat igitur Deum illum Magus, vt placari velit: ægrum enim de proprio sanguine oblaturum sacrificium. Si dæmon putet non superesse spem salutis, ait Deum adeò offensum, vt nullis possit in gratiam redire sacrificijs: cùm verò spes est vitæ,

Sacrificia. exigit certa veruecum sacrificia, nigris capitibus præditorum, præterea conuenire debere Magos cum suis vxoribus, vt proprijs manibus sacrificia hæc immolent. Affines ægroti in omnibus quæ imperantur, religiosè obtemperantes, verueces mactant, sanguinem in cœlum iaciunt. Magi verò cum suis vxoribus faces accēdunt, totā domū suffiunt, aloës ligno, iure carnium victimæ, domū aspergunt, vt & potu ex aromatibus confecto, ridendo, cantando, tripudiando ad illius Idoli, cui celebritas hæc instituta est, honorem. Dein arreptitium interrogant, an Deo satisfactum sit. Si aiat, mensæ accumbentes de victimis lęti epulantur, & libaminibus potant. Si sanatur æger, Idolo asscribunt: si moritur, dicunt in sacrificio cōmissum

ſum eſſe errorem aliquem, quòd primò aliquis de ſacrificio, antequam ablatum eſſet, guſtârit. Sacrificia hęc cum ſuis cęrimonijs in morbis ditiorum repetuntur ſępius, & in Cataia & Mangi Prouincijs, vbi medicis deſtituuntur, ſunt admodum vſitata.

Modò meridiem verſus inſtituamus iter, & Indos inuiſamus.. *Pergit ad Meridiem.*

Relicto Cardandam, toto biduo deſcenditur, donec in vaſtam quandam planitiem venitur, ad quam ruſtici, & qui in vicinis montibus degunt ferè ſylueſtres homines, ſtatis diebus aurum venale adferunt.

Hinc decimoquinto die ad nobilem vrbem & regnum Mien venitur, cuius indigenę, vt & vicini Bengalę, Idololatrę ſunt: vtrũque regnum Chamus ad ſuum imperium anno circiter 1273. adiecit. Rex Mienę potens adeo fuit, vt moriēs monumentum eiuſmodi ſibi parari iuſſerit. Sepulchrum partim argenteis, partim aureis laminis obduci voluit, & ad caput Pyramidem aſſurgere marmoream, 70. pedes altã, craſſam verò ęqualiter, in cuius ſummo ſphera Pyramis laminis aureis, craſſitudinis vnius digiti, tota tegebatur, ita vt præter aurum nihil conſpiceretur. Sphera abũdabat nolulis aureis, quæ flante vento tinniebãt. Similis altera ad pedes argēteis laminis ſimiliter velata erat poſita, res ſanè ſpectatu digniſſima. Cùm Tartarorũ (qui graue ſacrilegiũ putãt, ſi ſepulchra violentur, aut mortuis aliquid indignè irrogetur) exercitus huc veniſſet, & ciuitatē occupaſſet, res hęc ad Chamũ defertur: qui quòd Rex monumentum hoc ad ęternam ſui memoriam fieri voluiſſet, violari non permiſit. *15. Mien.* *Sepulchrũ auro gemmiſque cõſpicuum.*

Bengala ſequitur Indię intra Gangem regnũ potęns *Bengala.*

potens, quod Cobelus etiam ſubegit,inſignes habens Magos, & Idololatriæ ſiue incantationum ſcholas,quibus operam dāt omnes nobiles ex veteri conſuetudine:30.dierum ſpacio tota pertrāſiri poteſt, ad ortum habet Prouinciam Cāgigu.

Brachmanes. Similiter in India magi non deſunt Brachmanes Idolorū ſacerdotes, qui omne genus animalium incantationibus cogunt ad lubitum:ingentes piſces ne piſcatores perdant,ſtupidos reddunt, nocte tamen liberant,ne furibus ſurripiendi quid occaſio detur, qui ſibi à piſcibus metuunt.

Gangi. Eſt in Malauar genus quoddam hominum, Ganos vocant,qui boues occidere non audent:ſi tamen mortuos inueniant,libenter eorum veſcū tur carne:ſtercoribuſque eorundem ædes ſuas tūc obliniunt.Terræ tapetis ſtratæ inſident, honorādi eam ex qua orti ſunt, & in quam reſoluentur, vt aiunt.gratia,nec ſatis eam honorari poſſe aſſerunt,quæ nos producit,tantaque ad vſum noſtrū neceſſaria. Hi originem ab ijs qui S. Thomam occiderunt,ducere dicuntur: nec fieri poſſe, ait Marcus, vt eorum quiſpiam, etiam ſi à 10. viris trahatur,in tēplum huius ciuitatis Malepur, quæ parua eſt, & in Harſinga ſita,vbi S. corpus iacet, inferatur. Confluunt eo multi Christiani & Saraceni deuotionis cauſa, ſancti opem implorantes: auferuntque ſecum puluerem loci qui rubricat, vbi fuit martyrio affectus:quem ægrotis cum aqua propinant,ad varios morbos pellendos.

Terræ veneratio.

S. Thomæ ſepulchrū.

Anno 1288. Princeps quidam, cùm non ſufficerent horrea,orizæ quam meſſis copioſa attulerat,recipiendæ iuſſit eam in Xenodochium templi, in qua peregrini, qui ſanctum locum viſitabant, recipi ſolebant, inferri. Rogatus à Chriſtianis ne id faceret, audire noluit. Apparuit homi-

homini in ſomnis Diuus Thomas, iaculum hominis gutturi adegit, dicens: Niſi Xenodochium veteri vſui reſtituas, peribis. Princeps totus perterritus non ſolum imperata facit, verùm etiam publicè omnibus quæ acciderant, narrat. Hæc & multa alia tunc facta eſſe miracula huius ſancti interceſſione, Marcus Venetus aſſeuerat, & qui locum hunc pòſt frequentârunt, recentiora memorant miracula. Non hic ſolùm, verum & in Cono, & extrema Meridionali parte Indiæ intra Gangem, per totum ſcilicet Caulaniæ regnum multi ſuperſunt veteres Chriſtiani, qui Societatis Ieſu, Dei fauore, opera, relicta hæreſi neſtoriano, alijſque erroribus, veram fidem amplectuntur. Inter hos quidam inueniuntur ſine baptiſmate Chriſtiani. Sexto enim quoque anno Neſtoriani ſacerdotes huc venire ex Armenia aut Meſopotamia etiam olim ſolebāt, non tam vt horum ſaluti conſulerent, quàm vt diuites ad ſuos redirēt, qui non parum etiam nunc negotij Societat. noſtræ hominibus adferunt.

Quoniam verò Thomæ ſancti memini, gratū fore puto, R.P. T. paucis conſiderandum proponere, quiſnam Apoſtolorum aut diſcipulorū Domini his tam multis populis Euāgelij doctrinam propoſuerit. Videor mihi non falli, ſi D.Thomę id magna ex parte aſcribam. Is enim in Æthiopiam delatus, Abeſinos docuiſſe legitur. Inde in Zocotoran inſulam ad Æthiopię Promontorium, quod modo Guardaſumi nominant, non adeo procul à freto maris rubri poſitum traiecit, vbi & templum in ipſius memoriam exſtructum etiam hodie viſitur: & inſulani narrant ſuos maiores doctrinā fidei ab hoc ſancto Apoſtolo accepiſſe: vt latè in epiſtola ſua anni 1555. Pater Gonſalus *S. Thomæ peregrinatio.*

Rodo-

Rodoricus, qui in Zocotora fuit, ſcribit. Hinc re-ćta in Perſidem nauigaſſe videtur: inde in vicinā Mediam & Parthiam: quibus in locis omnibus ipſum verbum Dei propoſuiſſe, graues authores, Origenes Tom. 3. explicat in Geneſ. & Euſebius Eccleſiaſt. hiſtor. lib. 3. cap. primo Nicep. libr. 2. cap. 40. teſtantur.

Viterb. Chron. part. 14.

Deinde per Hyrcaniam, Bactrianos, & Sacos in Indiam penetraſſe affirmant Hieron. in epiſto. ad Marcell. Metraphraſt. in vita Thom. Iſido. de Patribus noui teſtamenti, Itē Abdias: perueniſſeq́; vſque in Schytiam extra Imaum poſitam, & Cataiam, & regnum Mangię vſque ad Oceanū peruagatum eſſe, & ad vrbium maximā extremāque Quinſaiam pertigiſſe crediderim: nā & ibi Neſtorianos inuenit Marcus Paulus, ad cuius tempora hęc ferè omnia referuntur. Nec his contentus fuiſſe videtur S. Apoſtolus, verùm in Iapaniā inſulam, quæ ferè ex aduerſo eſt, vbi multa Chriſtianorum veſtigia, & ſi nihil religionis vſque ad noſtra tempora perduraſſe, ex Pauli Sāfidij Iapaniæ deſcriptione, & literis Iapanicis colligere licet. Certè Marcus Paulus (qui Inſulā vocat Ziapangu, modò Ziapā aut Giapan, & quod latino more dicimus Iapaniā) ait Chriſtianos à Ziapanibus, quā. do cū ipſis diſputabāt, rogaſſe cur tā diuerſas formarēt Deorum imagines & monſtroſas formas. Audiuêre ergo hoc teſte olim aliquid de Chriſto, nec potuêre non aliquando ad ipſos traieciſſe ſacerdotes Chriſtiani, qui Quinſai, & in prouincia Tenduc, & hiſce vicinis regionibus ante Prętеianni & Neſtorianorum tempora agebant, ſi fortè S. Thomam nolis.

S. Thomas in America fuiſſe uidetur.

Procedam vlterius, & dicam Sanctum hunc qui Æthiopes primo adeò refugiſſe legitur, etiā in Ameri-

Japania Ubi

in Americam traiecisse,vt ex epistola P. Emanuelis Nobregç ex Brasilia anno 1552. missa colligere licet. Norunt enim quoddam Zomæ (ita S. Thomam appellasse videntur indiginæ) referre miraculum. Et ne cui adeo noua referre videar, quasi America nostro orbi nunquam cognita fuisset,Plato certè vt & Ægyptij sacerdotes qui antiquitatum erant diligentes inuestigatores hic fuisse terram in principio sui Timæi docet, & Athlantidem eam vocat. Adhæc,tempore Senecæ,annis fortè abhinc 1500. mare Athlãticum frequentatum fuisse nauibus videtur:ac tunc studium quoque fuisse hominibus nouas regiones quærere:scribit enim hoc modo Seneca.

Venient annis
Secula seris,quibus Oceanus
Vincula rerum laxet,& ingens
Pateat tellus,Typhisque nouos
Detegat orbes,
Nec sit terris ultima Thyle.

Nisi fortè præsagium fuisse Poëtæ velis, quale & illud Sybillæ carmẽ,quod de Indis anno 1505. in calce Lunæ promontorij (Rochan de Sinna vulgò appellant)ad littus Oceani pilæ siue quadratæ columnæ, regnante magno Lusitanorum Rege Emanuele,qui in Indiam naues Lusitanas misit,sub terra inuentæ erutæque Romanis literis insculptum est. *Promontorium lunæ.*

Voluentur saxa literis & ordine rectis
Cum uideas Occidens,Orientis opes,
Ganges,Indus,Tagus,erit mirabile uisu,
Merces commutabit suas uterque sibi.

Sibil. uaticin. Occidijs decretum.

Huc accedit quod scribit Martinus Siculus libr. 19. historiæ Hispanorum, olim Romanos Athlantidem hanc siue Americam nouisse hoc argumento,

mento, quòd in aurifodinis nummus æneus inuentus ſit, agente ibi Epiſcopo Reuerendiſſimo D. Ioanne Queuedo de S. Franciſci familia: in qua effigies Auguſti Cæſaris conſpiciebatur: quē ob rei admirabilitatem miſſum fuiſſe ſcribit ad ſummum Pontificem per D. Ioannem Rufum Archiepiſcopum Conſentinum.

Quare & D. Thomas ſi non diuinitus, notitiā certè habere potuit Athlantidis ex hominum Iapanum aut mercatorum Prouinciæ Mangi relatu. Cùm Mahumetani non ita ab America remotas Moluccarum aliaſque inſulas iam multo tempore (vt ex literis Indicis liquet) occupârint, ac mare hoc in extremo Occidente vltra Americā poſitum maximè frequentarint, quos ſecuti ſunt noſtri Luſitani, & Hiſpani. Nec obſtat huic ſententiæ quod in Malauare D. Thomas occubuit: Id enim ſtudio fuit Apoſtolis, loca in quibus aliquando fuerant, viſitare, ad recenter conuerſos cō firmandos: ſiquidem non minor eſt virtus, quàm quærere parta tueri. Cur autem extinctum ſit lumen fidei, in promptu eſt. In Aſia enim præceſſere plurimæ & diuerſæ hæreſes, quæ ſemper omnem barbariem inuehere ſolent: ſecutus eſt Mahumetiſmus, præterea Idololatria vix fortè delata refloruit: in America, quia vix vlla superſunt veſtigia, paucis videtur Chriſtus innotuiſſe.

Ad Ortum tēdit in Cataia. *Cangigu.*

Sed ad Ortū vnde digreſſi ſumus, reuertamur, ſi fortè hic aliquot Chriſtianorum cœtus detur inuenire. A Bengala igitur Ortum verſus occurrit Cangigu prouincia, cuius Rex Chamo tributa pendet. Indigenæ Idola colunt. Hi colligatis acubus totum corpus eleganter & artificioſe pūgunt, pinguntque, in eo omne animātium genus exprimentes: puncturis adhuc recentibus atrum

liquorem

liquorem infundunt,vt sic perpetuum maneant: sunt artifices qui aliud nihil exercent operis.

Hinc 25. dierum itinere abest Amu ciuitas. Ab ea octidui spacio Tholomam: vtrobiq; sunt Idololatræ:& Christiani nonnulli. 25. *Amu* *Tholoman*

Duodecimo dein die secundum amnem occurrunt multæ ciuitates,postremò Cintigui. 12. 8. Ferocissimos hęc regio leones, & canes atrocissimos producit, adeo vt vix vnus solo arcu armatus cum duobus canibus sufficiat ad leonē superandū. Leo si arbor propè adsit, illi se admouet,vt aduersus pugnet:sin minus,cū sciat se canibus non posse aliter resistere, tanti est animi, vt non fugientis more recedat, sed pedetentim & grauiter,licet canes morsibus eūntem insequantur,& viri sagittis cū petendo,lædant,donec effuso sanguine concidat,aut locum pugnæ oportunum inueniat: ita enim fortiter perire mauult, quàm fuga sibi consulere. *Ad meridiē pergit.*

Sed ad iter nostrum reuertamur. Duodecimo itineris die, rursum Marco occurrit Sindifu, de quo ante, postquam alba confinia Mangi reliquisset. 12. *Sindinfu.* Sed quomodo Sindifu rediit,semper ad Ortum à Bēgala pergendo, cùm 17.dierum iter, quibus à Caadandan Bengalan descendebatur ad meridiem, à Bengala rursum Sindinfu vsque ascendendo fuisset insumendum. Quare de Orientali itinere,quod hic dierū 58.facit,deducendum est,& hoc modo ad septentrionem pergendo 17. dieb',vel certè obliquè ad boreā vel septētrionē inter & ortū à Bengala eundū fuisset totis illis 58.diebus. Sed ad institutū iter reuertamur. 20 *Ad meridiē pergit.*

Gingui à Sindinfu vigesimo die venitur boream versus fortè. Sed modo meridiem petamus,Pazinfu quarto ad meridiem die se ingerit, 4 *Pazinfu.*

quæ in Cataia sita est. Idololatras & Christianos alit, multis alijs imperat ciuitatibus: Hinc nauigio per amnem Cambaluuium itur. Cartaceis vtuntur nummis, vt & vniuersa penè Cataia, cuius ciuitates modò aliquas enumerauimus.

Confecto tridui itinere ad meridiem occurrit
5. 6. 7. Cianglu. Quinto post die Cigli, in Cataia. Sexto
Cianglu. Tundinsu, vrbs & prouincia, quæ imperat 17. ciui-
Cingli. tatibus magnis. Septimo verò (semper iter agen-
Tindinsu. do per multa oppida, quod & in itinere inter præcedentes vrbes accidit, maiores enim tãtum
Singuimatu. nominauimus) se offert Singuimatu: fluuiũ habet, qui partitus fertur versus Ortum, & Cataiam altera sui parte: reliqua verò versus Occidentem & Mangiam, infinita fert nauigia cum maximi precij mercibus. Hic enim passim sunt potentissimi mercatores. Idololatræ sunt omnes incolæ.

Sedecim præterea itineri insumptis diebus rur-
16. sus occurrit amnis Caramoran, qui in Vmcami
Caramorã amnis. siue Prætoriannis prouincijs & Septentrione oritur, nauibus celebris: ad quem vbi vnius diei itinere ab Oceano abest, nauale visitur, in quo continuò 1500. naues perpetuò ad manum sunt, & in vnaquaque 15. equi & 20. viri, si fortè eorũ opera ex insperato foret vtendum, prouincia aliqua aut insula deficiente. Hæc de Cataia, cuius minimàm partem attigimus.

De Mangia siue Cina opulentissimo regno.

Mangia. VLtra hunc amnem est Mangia & Coingazu vrbs pulcherrima in ipso Mangiæ ingressu, & amnis ripa ad plagam vnde Vulturnus spirat, constituta. Est autem Mangia potentissima nobilissimaq; totius Orientis prouincia:

uincia:quæ venit in Cobilæ poteſtatem anno circiter 1269. A Coiganzu pergendo Ortum verſus & meridiem,offert ſe poſt vnius diei iter Pãgin quæ tridui Tingui, & æquali ab Oceano ſpacio diſtat. Idololatræ ſunt omnes. *Pangin.* *Tingui.* *Iangui.*

Si ad eandem cœli plagam pergas, Iangui nobilis ciuitas occurrit: cui 27. aliæ ſubſunt. Huic præfuit Marcus Paulus, qui totum hoc iter confecit,& diligenter deſcripſit. Si ad Occidentem declines, occurrit nobis prouincia Nanghin, in qua magna & admodum nobilis vrbs Saiãfu,quę alijs duodecim imperat ciuitatibus.Si qua Vulturnus ſpirat pergas 15. miliari obijcit ſe Singui, ad amnem Quian,qui alibi miliaribus decem patet, alibi octo ac longo admodum tramite, qui vix centum dierum itinere conficitur,ſe in Oceanum exonerat,16. præterfluens prouincias, ciuitates verò 200. alluit. Totus hic tractus mercibus nauibuſque mirabiliter floret, adeo vt Cingui quinq; millia nauiũ ſe vidiſſe affirmet Marcus:in alijs verò locis plures. Nihil niſi Idololatrias in his plagis requiras:in Caingui,quæ ad dicti amnis ripam ſita eſt,monaſterium viſitur, in quo 200.Monachi Idololatræ degunt. In populoſa Cinguianfu opibus mercibuſque abundãte, duo ſunt Neſtorianorum tẽpla, quæ anno 1247. fuere à Præfecto quodam Neſtoriano, qui triennio vrbem gubernauit,fabricata. *Nanghin.* *Sainfu.* *Quian amnis.* *Cingui.*

Abeſt ab ea Tinguigui, quam Dux Chinſabaia Alanorum Chriſtianorum opera Camo ſubiugauit:Tridui equitatione, ad eã vnde Vulturnus ſpirat plagam, eſt Singui (quod terrenum ſonat) ciuitas, ſuo ambitu 20. miliaria continens, ſexdecim aliis magnis imperat ciuitatibus, doctoſque habet medicos. *Tinguigui* *Singui.*

Hinc quatriduo venitur ad vrbium maximam Quinsai, quam cœlestem vocãt, qua nullam maiorẽ in vniuerso orbe inueniri Marcus autumat, vt quæ 100. miliaria suo ambitu continet. Plateas habet latissimas ob magnam hominum frequentiam: numerantur in ea millies millia & sexcenta millia ædium. Sunt prætera in ea præsidiarij milites ter decies 1000. Et in tanta hominum multitudine, vnicum est Nestorianorũ templũ: plurima tamẽ Idolia & Nosocomia, & xenodochia in pauperũ gratiã constructa. Amnem habet Puluisangu, in multos riuulos diductum, qui in lacũ inter vrbẽ & Oceanum influit. Pontium verò 12. millia, inter quos nonnulli tantę sunt vastitatis, vt naues pansis velis transmittant, Ciuitatibus hæc vrbs mille ducentis imperat. Pópulus Idolis seruit, hospitalis est admodum. Pauperes filios suos diuitibus vẽdunt. Tanta verò est in hac vrbe omnium rerũ abũdantia, tanta delitiarũ & voluptatum omnium afluentia, vt nihil posse accedere putetur: paradisum dixeris terrenum 25. à Quesai miliari vbi fluuius iste in Oceanũ fertur, est ciuitas Gãpu, portu nobilissima, ad quẽ Indiæ naues appellũt, & omne gen⁹ præciosarũ merciũ adfertur. Qua hinc versus Vulturni flatũ 6. dierũ itinere Gingui vsque, quæ est amplaciuitas tẽditur, adeo habitãtur omnia, vt per cõtinentẽ vrbẽ transire videaris. Sexto & reliquo 7. dierũ itinere in cuius fine Gieza sita est vltima regni Quinsai. Totus iste tractus ab Idololatris habitatur, vt & cõtigua prouincia Cõcha, quæ ad eandẽ cœli plagã sequitur. Crudelissimi sunt Cunchani, adeo vt sanguinẽ hostium potẽt, & carne humana, quã omniũ suauissimã dicũt, lubentissimè vescantur. Metropolis Fugiu, mòdò nota Lusitanis in gradu 30.

Quinsai urbium maxima Gradu 46.

Quinsaie ædes 10006000.

Puluisangu amnis.

Gampu.

6.

7.

Gieza.

Concha.

du 30. sita. Si pergas versus eandem cœli plagam 9. die occurrit Vnguem saccaro abundātissima. Hinc abest versus mare 15. miliari nobilis vrbs Zaiton, portu quoq; & Indorū nauigiis mercibusq; celebris: neque hic aliud quā Idololatras inuenias, nec mirum: vbi enim magna mercatorū est frequentia, abūdare solet malitia, & refrigescere pietas: difficile enim est Deo sedulò seruire, & diuitijs affluere, multis negotijs humanis se intricare, & diuinis vacare: Illa enim ad se totum hominē trahunt, tempus & affectum rerum piarum adimunt.

9. Vnguē saccaro abundantissima Zaiton.

Zipangu distat à littoribus Mangi mille quingentis miliaribus, valde magna est insula, auri feracissima, quam idcircò an. 1264. magnus Chamus, sed frustra nisus est sibi subijcere. Indigenæ albi sunt, egregia forma, & singulari morū facilitate præditi: proprium Regē habent, idola monstrosa pingunt, Ianos, & multarū facierū Deos, vt & vicini insulani. Rogati olim Cobeli tempore à Christianis de tanta Deorū varietate, respondēt se eam à suis maioribus accepisse, eandemq; tradere posteris. Ex his Marci verbis cōstat Iapaniā ante hæc nostra tēpora Christianis non ignotam fuisse. Mare quod est inter Mangiā & Iapaniā, vt & ipsam Mangiā, quia ei adiacet, Iapanes Cin vocāt. Est aūt adeò vastū, vt Cobeli peritiores Naucleri insularū habitatarū 7. milia, quingentas & 40. quæ etiā auriferæ sunt, continere asseruerint: omnesque arbores, quæ in ijs proueniunt, aroma spirare. Nauigando à promontorio Himpo, quod in 30. grad. lat. situm est Zaitam Occidentē versus, ad Africum declinando, mille quingentis miliaribus per vastum sinum alium & insulis plenum Cheinam, à Cachuchina forte hic nuncupatum,

De insula Zipangu siue Iapania

Iapania

Papistae

Zaiton.

patum, extensumque latè ad Septentrionem & Euroaustrum in Zambam, vbi minores Indiæ initium esse volunt, venitur. Hinc vlterius 500. miliari ad Euronothum est Iaua maior posita, & bis totidem vlterius ad Vulturnum, Lohach, potentissimum regnum, maximumque vltra equinoctialem, quod continens esse putatur. Si pergas alia 130. miliaria offert se Iaua minor.

Zamba. *Iaua maior.* *Lohach.* *Iaua minor.*

Procul Occidentem versus, in locis australibus magis, quàm sancti Laurentij insula, sunt insulæ Gryphium, quos Ruch vocant, aues sunt, per omnia Aquilis similes, sed quæ tam vasti corporis, tantique roboris esse feruntur, vt elephãtum in aërem rapiant, casuque pòst collisum vorent. Volens huius rei certior fieri Cobelus, missis nuncijs, ad eum pennæ allatæ sunt 90. Spithamatum longæ, crassæ verò duas palmas. Dicunt hic etiam apros, magnitudinis bubali, aut bouis inueniri, quibus prominentiores dentes quatuordecim librarum.

Sed hinc ad Indum, amnem latissimum abeamus, & totius Indiæ prouincias, quæ nostro seculo innotuêre, obiter attingamus, ad clariorẽ eorum intelligentiam, quæ in literis Indicis & Iapanicis referuntur. Indo adiacet Cambaia olim propriè India appellata. Indigenæ Guzeratæ vocantur, homines sunt gentiles, omnem animantium cedem etiam pulicum adeo horrentes, vt numerato precio sępè eas redimant. Hinc facilè in Mahometanorum potestatẽ venerunt.

Cambaia.

Decam regnũ (modo ad meridiem Comorinum vsq; semper pergimus) sequitur Rex, Mahometũ colit, indigenę idola, in eo regno Goa multis Christianis gẽtiliũq; cõuersiõe, illustris regio.

Decam. *Goa.*

Post hanc Tulemar siue Canarin sub potentissimo

Canarin.

ſimo gentili Rege Narſingiæ, agimus autem hic de ſeculo anni 1510.

¶Sequitur Malauaria, in qua nobiliſſ. Calecutię regnum, ea ſe ad Comorinum promontorium, in extremo huius Indiæ ad meridiem ſitum extendit, quo vaſto tractu varia ſunt regna, in primis Tanaor vbi & in Calecut viciniſque regionibus, dæmonem ipſum ſub horrenda prorſus turpiſſimaque ſpecie depictum, miſeri adorant. *Malauar.* *Calecut.* *Dæmō colitur.*

In ſequentibus regnis & oppidis multi Neſtoriani degunt, & in Cranconor quod ordine ſequitur, duo templa, alterum B. Virginis, alterum D. Thomæ viſuntur. Sequitur Cochin, hoc Caicaulan, in cuius remotioribus locis à mari plurimi degunt Neſtoriani, qui à Babyloniis ſacerdotibus huc ſingulis triennijs venientibus & baptizantur & inſtituuntur. *Cranconor.* *Cochin.* *Caicaulan*

Caulan ſequitur, inſigni Apoſtoli Thomæ miraculo clarum, vbi & templum extruxiſſe legitur. In hoc regno anno 1510. amplius quam ſeptendecim Neſtorianorum millia habitant, verum adeò rudes rerum Chriſtianarum, vt multi etiam baptiſmate careant, quare olim vt inſtituerentur, Armenios, ne non eſſent ſimilia labra lactucis, euocârunt. Qui hactenus ſtatis temporibus, non animas, ſed diuitias piſcatum venerunt, id aduertāt noſtri hæretici, quos videmus ſimiliter proficere, & in tenebras denſiores ſemper magis magiſque demergi, neque enim ſe ſeruare poteſt cœca hæreſis. *Caulan.* De ſuis nebulonibus Jesuiteis loquitur

Hi in altari in quo Crucifixus CHRISTVS viſitur, panem ſalſum, & ſuccum ex vuis paſſis expreſſum, quia vino carent, conſecrant, & omnibus qui eorum ſacris interſunt, Æthiopum more miniſtrant.

extremo meridionali parte prope equinoctialẽ Malacca ſita eſt,quam cum Campaa Chinam ap pellari quidã qui has regiones frequentârunt,tradunt,fortè quia Sianæ Chinenſi, licet Regem ha beant potentiſſimũ,tributa pendunt.Indigenę pa rentum cadauera aſſa comedunt, nullũ ſe honeſtius ventre ſepulchrũ eis parare poſſe exiſtimantes.Odia gentis eſt metropolis. Ex indigenis qui terram adorãt terræ,qui aquam aquæ,qui ignem igni,traduntur à morte qui aërem in eo ſuſpenſi aues paſcũt.Brema altera parte Pegu, altera qua Cinas ſpectat Iangoma attingit, ad meridiem Camboiam.Camboia verò Boream verſus Campaam,ſiue Zambã,ſequitur Caucichina,ſiue vt indigenę vocant Cachu,concha dictũ,ni fallar Marco,in cuius Sinu eſt Ainon inſula,ſub Cantã Chinarum vrbe,quã in littore eodem tractu boreali ſequuntur aliæ Sinarũ vrbes Fuguiani, Chequiã, Nimpo ſiue Liãpo in lat.grad. 30.qui tractus ab Ainon ſiue Cauton, huc vſque continet leucos 275. A Nimpo,vbi ad circium ſe flectunt littora, occurrunt vrbes aliæ Cinarum Nangui, Xanton, Quinſai regia ſedes in gradu 46.ſi adiicias gra. 55.ſpacium hoc vniuerſum eſt leucarum 400. Sed ne tanta profectione laſſemur nimium, hic curſum ſiſtamus. Hæc ſunt admodũ R. D. Abbas quæ de Eccleſię ruinis,& miſerrimorũ multorum hominum moribus & ſtatu infœliciſſimo dicta volui,qui Chriſti caſtris relictis ad aduerſarios aufugêre,vnde tot videmus mala conſecuta eſſe,tot feros apros vineam Chriſti euertiſſe, tot quoque vulpeculas, quæ ſubdolè cuniculos egerunt,& talparum more fundamenta fidei luxarunt,radiceſq; vineę Chriſtianę corroſerunt:vtinã noſter orbis ſimilia non pateretur. Det DEVS om-

Græcũuerſus pergit.

Cachu.

Fuquiam.

Chequiam

Liampo.

Varij sunt fructus,nostratibus tamē longè impares,qui si huc inferrētur,colerenturq́;,non infeliciter credo prouenirent. Nam bis quotānis germinant vites,licet nō cum tanto prouentu,quòd immensa formicarū multitudine hic omnia deuastentur. Abundat limoniis,malis aureis,& ficis Europeis,nō insuauioribus.

Ex radice arboris, quam Mandiocam vocant. farinam conficiunt,cui milium, quo satis abundant,miscent & panis loco est. Abundant fluuialibus piscibus & marinis,nec nō ferinis carnibus, anseribus Indicis, vaccis, bouibus, ouibus,capris & gallinis. Variç sunt nationes hominū Gaynazzi,Carij,&c.quos paucos ante annos duo Hispani monachi,in doctrina Christiana instituerūt:quorū hortatu & sacras ædes erexerūt,& cœnobia in quibus viri fœminęq́; separatim cōmorarentur. Quā vitæ rationē multi secuti, in eadē perseuerassent,ni diaboli flatibus Piratę appulsi, omnes tū viros,tū virgines abduxissent. Pro eorū redemptione laborauimus sedulò, & iā aliquot in proprias ædes reduximus. Ethnici Gaymuri dicti, in vastis solitudinib⁹ educati, nullū nobiscum commerciū habent:Si quando occurrunt,timore perculsi,se nostros fratres dicunt, quòd similiter vt Christiani barbā nutriant: cū reliqui non solum barbā,sed & supercilia,& quicquid in facie est pilosum radant, labra naresq́; perforāt, ossibus foraminib⁹ impositis adeo vultū deformāt,vt ipsos dęmones referre videātur, maximè aūt incātatores qui hic in precio sunt,hoc ornatu gaudēt. Est & genus quoddā aliud nō admodū Gygātib⁹ dissimile:semper sagittis, robusto arcu, & magnis baculis armatum,terrori reliquis quòd in hostes acriter ferantur, facileque trucidet & mactet, deinde ad suas confugit speluncas.

Cibi.

Farina arborea.

Gaynazzi Carij.

Monasteria uirginum & uirorum.

Gaymuri Eremitæ.

Efferi homines.

Qui

Qui hactenus nobiscum egerunt, alij vocantur Tupenici, alij Tupenambi, hi amplissimas ædes ex palmis erectas, vt plurimum 50. simul habitant. Cum vxoribus & liberis, retibus ad aërem suspensis prope ignem, tota nocte accensum, dormiunt cùm ne frigus obsit nudis, tùm ne à dæmonibus, quos igne fugari existimant infestentur. Quare noctu quoties exeunt, titiones accensos manu gerunt.

Tupenici Tupenãbi. Lectus rete est.

Nullum hi numen adorant, nec Deum agnoscunt, tonitrua tamen diuinum quid esse, arbitrantur, quæ patria lingua Tupana nuncupant. Quare nos aptius nomen non habentes ad Dei Opti. Maxi. cognitionem insinuandam, ipsum Patrem Tupanæ siue Tonitrui appellamus. Pauca enim admodum habent vocabula, quibus res fidei nostræ ipsis declarari queant: quare vt intelligamur, multa tum ob id, tum quia sensib⁹ magis quàm ratione ducantur, ambagibus insinuanda. Hinc sæpius percunctantur, num Deus caput habeat, corpus, vxorem, vestem, quid commedat & similia. Quamuis autem numen nullum colant, nonnullas tamen obseruant cærimonias & superstitiones. Statis enim temporibus & annis ex longinquis regionibus huc veniũt præstigiatores, religiõnem præ se ferentes: iisque obuiam mittunt, qui vias mũdent & ornent, eos tripudiis excipiunt, & aliis lætitiæ indiciis. Antequam autem ad loca constituta accedatur, mulieres binæ & binæ, per ædes vagantes publicè fatentur iniurias maritis illatas, & veniam precantur. Post hæc præstigiator, cubiculum ingreditur per obscurum, & cucumerem, quem secum affert, figuram infantis referentem, in loco, fraudibus & deceptioni aptissimo collocat, vocéque simulata puerili,

Athei sunt

Magi in precio.

Confessio.

Stolida uanaq; præstigiatoris promissa.

Station, avij rum ... re ... Liqũjs

puerili,iuxta cucumerem astans,ita illos alloquitur:Non opus esse vt se fatigent amplius, aut ad agros colendi causa se conferant: Panem ipsis nō laborantibus vltrò prouenturum, nec quicquam illis ciborum defuturum, quin etiam vltrò domum delatum iri omnia. Ligones præterea vltrò ad fodiendum abituros,& sagittas per syluas volaturas, quāplurimos inimicorum, qui ipsis cibi futuri sint,transfixuras,longam illis vitam fore,vetulasque in iuuenculas conuertendas,quæ vt lubitum erit, connubio iungentur. His aliisq; huiusmodi illusionibus cœcum barbarumq; populum existimantem aliquid diuinitatis inesse cucumeri, res eiusmodi reuelanti ita dementāt: vt huic superstitioni adhibeat fidem. His ita finitis cærimonijs, maxima agitatione corporis contremiscere incipiunt tam Magi,quàm fœminæ,& à malis spiritibus arreptæ in terram prosternuntur, spumantque ora:qua ratione infundi eis sanctitatem persuadet Magus si alicui id nō accidat,mali ominis signum denunciat. His peractis, plurima præstigiatori offeruntur munera.Cùm aduersa laborant valetudine, varijs etiam à Magis circūueniuntur fraudibus. Bella gesturi,eosdē consulūt,& auguria: nobisq; hi sunt infestissimi,persuadentes populo,nos in illorum corpora cultellos forcipesque immittere,& mortem inferre.

Magna cæcitas & infidelitas.

In prælio captum magna lætitia fune collo iniecto deducunt,cui deinde in vxorem primarij alicuius viri dant filiam, aut quam magis ipse concupierit, ac instar porci impinguatur. Pridie autem quam eum occidant,à capite ad pedes vsque mundissimè lauatur: ac sequenti die multo concurrente populo,in loco eminentiori sistitur, vinctus fune circa vmbilicum. Tum demū per-

Hostis supplicium.

bellè

nuncupant,cumq; hac iter fecisse,à maiorib⁹ acceperunt,& vestigia Apostolica etiãmnum cerni prope quendã fluuium affirmant:quod vt certius cognoscerem,ipse abij & propriis oculis inspexi, quatuor pedum & digitorum satis altè impressa vestigia,quę nonnunquã aqua excrescẽs cœperit. Ferunt autem ea relicta,dum D. Thomas persecutores ipsum configere volentes, fugeret, fluměque diuisum fuisse, per cuius medium ad vlteriorem ripam sicco pede profectus, in Indiam abiit. Pari modo narrant sagittas quibus ipsum petebant, in sagittarios reflexas, syluasque per quas gradiebatur, cedentes viam prębuisse: illũ quoque pollicitum fuisse; se aliquando reuisurum has regiones:respiciat eos de cœlo, vt ad Dei cognitionem perueniant. Maiora expectate,cùm pleniorẽ regionis notitiam nactus fuero. Valete.

Ex vrbe Saluatoris, Anno 1552.
Vester in Christo seruus
Nobrega.

Hæ literæ Iapanicæ uidentur mihi piæ & utiles ad formandam uitam Christianam, sicut & aliæ quæ annectuntur,quare iudico expedire ut imprimatur.

Actum Calend. August. An. 1565.
Michael de Bay.

1. Cor. 3.
Cũ sit inter uos zelus & contentio, nonne carnales estis,& secundum hominem ambulatis?

TENOR PRIVILEGII.

CAutum est Regio Priuile. ne quis præter *Rutgerum Velpium Biblio. Iurat. intra annos 4. proximos, Epistolas* Indicas : De multorum gentilium in variis Insulis ad fidem conuersione, per Societatis Iesu Theologos &c. *imprimat, aut alibi impressas uendat, sub mulcta latius in literis eidem* Rutgero *datis & concessis cōtenta, Bruxellæ in Consilio priuato.* 6. *Augusti.* *Anno* 1565.

Subsig.
Mesdach.

Et in Consilio Brabantiæ. 10. *Octob.*
Anno 1565.

Subsig.
De VVitte.

INDEX RERUM,

quæ literis Iapanicis continentur.

C.

Eiusdem

Paradisus

Rege

FINIS INDICIS.

ORDO EPISTOLARVM Iapanicarum, quiq; eas conscripserint.

19. Gaspa-

19. *Gasparis Vilellæ.* 1559

20. *Baltazaris Gagi.* 1559

21. *Cosmæ Torris.* 1561

22. *Ioannis Fernandis.* 1561

23. *Laurentij.* 1561

24. *Aloysij Dalmeidæ.* 1561

25. *Melchioris Nunezij.* 1561

26. *Gasparis Vilellæ.* 1561

27. *Ludouici Froysij.* 1564

28. *Iacobi Nauarchi.* 1568

29. *Emanuelis Nobregæ.* 1552

30 ~~[illegible] 1544~~

ERRATA SIC corrigito.

Pagina 6. lin. 30. qui nunc in Iapaniã proficiſcitur. Pag. 10. lin. 9. monachis eiuſdem habitus. Pag. 16. li. 31. cingulo. Pa. 26. li. 25. & pauper. Pa. 27. li. 28. Bonzi non. Pa. 29. li. 3. conuerſatione. lin. 19. ſatietis. Pag. 122. li. ult. Alteram. Pa. 143. li. 8. diuina uoluntate. Pag. 147. lin. 25. in certo. Pa. 154. li. 6. permittens. Pa. 167. li. 34. dele, qui centenarios aliquot exceſſerunt. Pa. 171. li. 27. ſeruierint. Pa. 172. li. 11. qui tot tantoſque labores & continuas moleſtias in Chriſti. Pa. 184. li. 8. Fianxima quã. Pa. 298. li. 10. Samogitiam. lin. 11. hominis. Pa. 299. lin. 9. Indos Neſtorianorum Patriarcha. Pa. 300. li. 12. tradiderunt, aſſerit: Pa. 301. li. 2. rapiant, ſeruent: li. 7. fidem teſtatur. Pa. 303. miro modo inteſtino bello uexari: nã Claudij frater, homo crudelis & apoſtata, ſucceſſit, adeoque ſeuire cœpit in Catholicos, & principes ſuos, ut alium elegerint Regem, unde ſeditiones. fo. 304. li. 11. hinc factum eſt, ut anno circiter 1122. Ioannes quidam, quẽ patriarcha dignum iudicauerant Indi, ad Caliſtum 2. ut cõfirmaretur, ex tam remotis regionibus totius Italiæ admiratione uenerit, itẽ ut anno &c. Pa. 309. li. 19. & Armenorum Epiſcopi cum non paucis alijs ad cor rediſſe. li. 27. ſeruati. lin. 32. dele, enim. Pag. 312. li. 5. Mangiam lin. 13. Sarmatas. lin. 24. uſque aut ultra. li 32. amne. 314. li. 25 eſt. Sumungal. li. 26. & Iecmungal. 315. li. 4. furore anno 1162. excitato li. 25. Mongalis. Pag. 316. li. 20. Mongalis. Pa 317. li. 22. dele, ob id. Pa. 319. li. 28. mutare cum Tartaricis 321. li. 9, ob feras li. 17. Mangius, qui. 322. li. 5. cum Alepi. li. 19. trucidatus eſt Melexala, & Pa. 323. li. 19. ſupereſſe aliquem uirum. Pag. 324. li. 4. Alepum regni li. 6. Alepi Sultanus. li. 9. in Perſiã. Pa. 235. li. 9. Bondogabar ſucceſsor. Pag. 327. li 25. ſacro. li. 2. a f. cum 40. millib. & 328. li. 9. qui in lin. 15. uenerit, aut certe ſi uenerit, non diu remanſit: li. ult. Aſanbeus. 330. li. 14.

in

in Vociam.*li.* 30.*Iauā utramque*.330.*lin*.9.a *f.*Barſchol *&* Sitingui.146.*li.ult.momenti aggrediuntur*.350.*li.*12 *a f. dele*,Hochtoias. 11.*a f. lege*,*Chapar*. 10.*&* 9.*a f.quadringentis millibus*. 351.*lin*.7.*fuit.hinc* Zagathaiæ.*lin*.8. *inuaſit cui*. 353 *li*.34.*Turcæ tamen*, 354 *li*. 7.*obſedit & uicit*.*li*.14. *uſq;* *&* Arabiam. Pa.355.*lin* 10 *de* Zagataianis.*lin*.11. *Buſechus tartarus*.356 *li* 6.Temyrlanes.*li*.27.*huic* V*ſumcaſanes*,*cum eſſet*.*lin*.30.*ueritus autem* V*ſumcaſanis ſucceſſor* Sicaidaris *potentiam*. 358.*lin*.24. *habuere* Reges.356.*lin*.25.*impoſitas* 365.*lin*.25. Carcha, *ubi etiam degunt Chriſtiani*. 372.*lin*.1. *raptant*.373.*li*.2.*a f.genus armorum*.377.*li* 5.*a f.* Non *tā ad* Occidentem,*quam*.379.*li*.1.*&* *quod*.380. *li*.12.*a f.*Narſinga 381.*l*.1.*dele,hominis*.385.*li* 9 *uir unus*.*li*.25.Cardandan,386. *ad*, *li*.13.*in marg.alias*, *uerſus* Occidentē *&* Cataiam *&c.* *&* *uerſus ortum &* Mangiam. 388.*lin*.8.*a f. uidearis, ut &* *reliquo. lin ult.ſexto deinde die occurrit* Quelenſu , *nobilis ciuitas, in qua pontes pulcherrimi uiſuntur,longi centū, lati* 8.*paſſus* Quarto *poſt die* Cangiu,*ubi continuo* Chami *exercitus hæret*. Quintiduo *hinc abeſt uerſus mare nobilis urbs* Zaiton.*li*.5.*a.f.*Nimpo *li*.4.30.*grad. lat.ſitum eſt.ſiue,ut ait* Marcus,*a* Zaito. *li ult.forte ſic*.390.*li*.1.*dele*. Septentrionē *&* 391.*li*.21.22.*habitabant,uerum adeo rudium*.*li*.23.*carerent*. 392.*li*.5.*a f.* Euroauſtrum. 393.*lin*.15.*dele, concha dictum,ni fallor,Marco. lin*.20.*ſiue initio prouinciæ* Cantai. *li*.24.*gra*.4. *ſpacium*.401.*lin*.6.*cooperit*.


IVSTITIA
ET
PAX